10
9-b
26
BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
10
7 B
13
[Ex] Bibliotheca
[Maj]ori Coll. Rom.
Societ. Jesu
[..].2.105
[..].26

Digitized by Google

Digitized by Google

HISTORIA
HÆRETICORUM,
ET
HÆRESUM

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE IN ROMA

Digitized by Google

HISTORIA
HÆRETICORUM, ET HÆRESUM

Anteà Inſcripta

LUX FIDEI,
SEU
D. THOMAS
DOCTOR ANGELICUS

OMNIUM ERRORUM ANTE VITAM, in vita, & poſt vitam ad hæc uſque tempora ab incunabulis Eccleſiæ exortorum tenebras è Literis Sacris profligans, ac prædebellans;

Cujuslibet ſæculi ERRORIBUS præfigitur ERRONUM vita hiſtoricè deducta: Acceſſit ſingularis Diſſertatio adverſus modernos Sectarios;

Biblioth.

AUTHORE

F. FRANCISCO VAN-RANST

S. Ordinis FF. Prædicatorum in Alma Univerſitate Lovanienſi S. T. Licentiato, ac Studii Generalis Antverpienſis Regente.

EDITIO SECUNDA VENETA,

Appendicibus ſuo loco poſitis illuſtrior, & Præadamitarum Hiſtoria nunc primùm Auctior.

Coll. Rom. Soc. Jesu

VENETIIS, MDCCXXXV.

Apud Laurentium Baſilium.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

322

AMPLISSIMO
DOMINO
D. JACOBO HACHE
CELEBERRIMÆ ABBATIÆ VILLARIENSIS S. ORDINIS CISTERCIENSIS.
PRÆSULI DIGNISSIMO,
ORDINUM BRABANTIÆ DEPUTATO;

Toparchæ in Thil, Torembais-les Beginnes, Mellery, S. Mariæ, Scooten, Horſt, S. Job in Goora &c.

SUb cujus aptiùs auſpiciis, quam ſub tuis, vir AMPLISSIME, liber hic continens Errores omnes ab incunabulis Eccleſiæ ad hæc uſque tempora per Doctorem ANGELICUM profligatos in medium prodeat? ſcilicet ubique præclarum Lemma tuum *Fortiter*, & *Suaviter* cum THOMAM AQUINATEM, tum vitam Amplitudinis tuæ repræſentat. Nonne THOMAS *Fortiter*, & *Suaviter* infinitas expugnavit Hæreſes? quanta ejus in ſcriptis emicat ſoliditas, modeſtia, ſuavitas! nonne illuſtres illæ prærogativæ vel ipſis adverſariis laudem extorquent? ſed quàm egregiè hoc in Te Lemma exprimis; vos appello tecta, & Delubra Villarienſia: Nonne illic in Te effulſit Regularis vitæ obſervantia, mira in Deum pietas, ſingularis erga omnes comitas? in quocumque caſu inconcuſſa animi fortitudo? nonne è nutu Superiorum pependiſti? his ſa-

nè auſpiciis, & condebas Lemma, & Abbatiali præludebas dignitati: nullus enim rectè præeſſe novit, qui non ſubeſſe didicit. Quid tuam memorem in agendo dexteritatem? quid recenſeam calamitoſiſſimis, difficillimiſque temporibus tentatam, ſed non labefactatam prudentiam? in fervente rerum æſtu mens ſtabat erecta, immota, ſui ſecura, eventuum exploratrix futurorum, & præſentium moderatrix. Quis non ſuſpiciat in medio bellorum turbine tuam in *Scootenſi* villa adminiſtranda Induſtriam? dum Mars omnia quaſſat, peſſumdat, evertit, tu ornas ædificia, ſeris Arbores, ingratam terram ſubigis: pacem nactus è locis inamœnis & incultis hortos eruis Semiramis, Antverpienſis agri delicias, ſolitudini ſacros, ſepoſitarum curarum receptacula. Certarunt hic inter ſe, & Induſtria, & affabilitas, qua ſummos, Medios, Infimos, tenaciſſimo tibi amore agglutinaſti, ita ut nova quadam Metempſychoſi omnium in Te animi transformati eſſe videantur. Quid ex his pro commiſſo tibi Grege non augurer? qua non dulcedine, quo non amoris illicio ſubditorum nectis pectora? ſcitè proinde binos tibi *Agnos* adſciviſti: ne verò Manſuetudo deſpectui ſit, illam binis armaſti *Leonibus*: hos reformident, ſi qui forent à virtute degeneres. In Arca fœderis Moyſes Manna recondebat, & Virgam Clementiæ utique, & juſtitiæ Symbola. Hæc in ſe continent argumenta tum *Agni*, tum *Leones* tui Gentilitii. Accedit, quod & Aſciam (HACHE) nomine tuo præferas. Quemadmodùm hęc in Arboribus luxuriantia ſcindit ligna, ut reliqui fructum Rami producant, ita & in Grege tuo pręſtò es, ut omnem ſuccidas, amputes, convellas, ſi quis oriatur, abuſum. Quò me, quò rapis, Patria? nonne Te eximia hęc virtutum ornamenta impulere, ut ABBAS Villarienſis Ordinum Brabantiæ Deputatus conſtitueretur? ſcilicet pro Patria excubabunt *Leones*,

per

per *Agnos* reluctantia Reip. Saluti pectora emollientur. Pergerem, ſed ecce innata tibi Modeſtia promerita ſiſtit Encomia. Pareo imperanti: apud Te ſanè virtutis *Laus eſt Actio*. Virtutem amas, non laudes. Atque hęc tua laus eſt maxima.

Suſcipe igitur opus hoc ſponte ſua in Patrocinii tui ſinum convolans, meque egregia, qua omnes, noſtrumque pręſertim Ordinem (quem tenerrimè diligis) complecti ſoles, benevolentia proſequi non dedignare. Ita ex animo precatur, & ſeipſum Amplitudini tuæ Dedicat, conſecrat, ac devovet;

AMPLISSIME DOMINE;

Veſtræ Amplitudinis Obſervantiſſimus Famulus Fr. FRANCISCUS VANRANST Ord. Præd.

PRÆFATIO.

SIc eſt. Jam dudum Doctor Angelicus omnium audiit profligator, & prædebellator Hæreſum, ac Errorum *S. Doctor Apoſtolicam Eccleſiam* (Pius V.) *infinitis confutatis Hæreſibus illuſtravit*: & Paulus V. *Hujus ſcriptorum Clypeo militans Eccleſia Hæreticorum tela feliciter eludit*. His accedit inter alios *Jacobus Florentinus* Ord. Minorum Præf. in Opus *Raynerl de Piſis*: *Diſpoſitione*, inquit, *ſummi Dei factum eſſe reor, ut noviſſimis diebus, cum nulla ferè mirabilium rerum opera coruſcarent, hujus viri* (S. Thomæ) *doctrina profundiſſimis, ac validiſſimis rationibus præmunita clareſceret, per quam Eccleſia Hæreticorum prælia & quondam exorta, & inpoſterum oritura repellere poſſet. Quiſnam Error per eum illicò non eſt extinctus? aut quis novus fidei oppugnator acceſſit, in quem non protinus jacula Catholici ſui Dogmatis contorſerit?*

Hæc, iiſque æquipollentia millies è Cathedris, pulpitis, libris certatim effuſa ſunt in Thomam Aquinatem encomia: ſed an per ſingula probatum eſt ſæcula, eum fuiſſe Hæreſum expugnatorem? an Error quilibet cum S. Præceptoris doctrina collatus eſt? demonſtretur, ajebat nonnullus, hæc Elogia non ſolùm in genere, ſed in ſpecie Doctori poſſe aptari Angelico.

Hoc igitur in præſenti demonſtrandum ſuſcipio. Hunc in finem cuilibet Errori ſubſternere conatus fui D. Thomæ Authoritatem omnis Hæreſis ante vitam, in vita, & poſt vitam exortæ è Literis ſacris peremptricem, ac præſuffocatricem. Si nova naſcantur monſtra, arma ſibi Thomas ſuis in ſcriptis reſervat expedita, quibus illa Herculis inſtar monſtrorum domitoris enecet. Si velut Hydra renaſcantur, capita excidet, & conteret nunquam ampliùs repullulatura. Sed profana hæc faceſſant. Aquinas eſt alter Angelus, *qui percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia*. 4. Reg. 19. Eſt alter Sampſon, *qui plures occidit moriens, quàm ante vivus occiderat*. Jud. 16. In nupero Opuſculo noſtro (cui titulus *Veritas in medio*) D. Thomas utrumque extremum, *Laxitatem & rigorem*, *Baianiſmum*, infelicem *Janſenii Pentadem*, & famoſas propoſitiones 101. *Queſnellianas* Damnatarum in *Bajo*, & *Janſenio* aſſertionũ renovatrices prædamnavit; ab iſtis modò ad dogmata *Sectariorum*, & antiquas, totque à ſæculis proſcriptas me converto hæ-

reſes:

reſes: ut ſcilicet omninò pateat, Doctorem Angelicum fuiſſe cunctorum planè errorum, quorum Authores vel gremio Eccleſiæ immortui, vel extra illam extincti ſunt, prędebellatorē.

Quàm felix proindè Orbis foret, ſi una D. Thomæ doctrina ubique obtineret? illud ſanè ferventiſſimi ſumma deſiderii eſt: eò & in altero collimavit, & in hoc collimat libro qualiſcumque labor meus. Eminentiſſimus *Palavicinus* inſignis S. J. Theologus hęc olim in ſcriptis protulit. *Aquinate*, inquit, *tantoperè nunc delector, ut vix alium è Scholaſticis diù teram ſine faſtidio: non quod in cæteris multa non inveniam oppidò pulchra; ſed alia longè pulchriora me inventurum fuiſſe intelligo, ſi divo Thoma tempus illud impendiſſem.*

Cæterùm per quælibet ſæcula Erroribus præfigendam eſſe duxi Erronum vitam, cum ob connexionem mutuam inter ſe, tum quòd Theologo perutilis ſit hiſtorię Eccleſiaſticæ præſertim hæreſes concernentis notitia. Omnibus in promptu non ſunt ingentia illa *Baronii*, *Spondani*, aliorumque volumina: hic in Epitomen contracta ſunt, quæcumque ab iis fuſiùs pertractantur.

Ad 5. Prima Sęcula adhibui *Epiphanium*, *Irenæum*, *Auguſtinum*, *Clementem Alexandrinum*, *Tertullianum* de præſcriptionibus, *Philaſtrium*, *Theodoretum*, *Euſebium*. Ad 6. *Baronium*. Ad 7. & 8. *Joannem* potiſſimùm *Damaſcenum*: & *Baronium*. Ad ſequentia præcitatum *Baronium*, *Spondanum*, alioſque caſtigatiores Hiſtoricos. Ad 17. *Gualterium* S. J. *Moreri*, Modernoſque aliquot: ita ut de veritate hiſtoriæ, & Errorum prudenter dubitari nequeat.

Porrò præcipuos tantùm recenſui Errores, tum quod in multis Hęreticis (licet vario tempore extiterint) conveniant, tum quòd alias in infinitum quodammodò fuiſſet procedendum.

Hinc cęteras non memoro propoſitiones *Antonii de Dominis*, de quo pag. 468. Pleræque enim illæ *Wicleffi*, *Huſſi*, *Sectariorumque* ſuis refutata locis refricant Dogmata. Vide Bail t. 1. Conc.

Fruere igitur hoc opere, Lector Benevole: in quo ſi quid acrimoniam quandam (quam prorſus averſor) præ ſe ferre videatur, id ex animo reiicio, & retracto. Ama veritatem à Thoma ſignatam.

thoMas LUX CLara fIDeI.

IN-

INDEX ERRONUM

PER SÆCULA DIVISORUM.

Errones Sæculi I.

Simon Magus. pag. 1
Menander. 4
Saturninus. ibidem
Baſilides. ibidem
Hymenæus, & Philetus. 6
Nicolaita. ibidem
Vindicatur Nicolaus Diaconus ab hæreſi Nicolaitarum. 7
Cerinthus. 8
Ebion. ibidem

APPENDIX

Thebutes. 16
Cleobius, Doſitheus, Gortheus, & Malbotheus. ibid.
Alexander Erarius. ibid.
Diotrephes. ibid.

Errones ſæculi II.

Helceſcita, quorum Pater Elxai. 17
Gnoſtici. ibid.
Adamita. 18
Antitacta. 19
Cerdon. ibidem
Marcion. ibid.
Apelles. 20
Valentinus. ibid.
Caïnani. 21
Ophita. ibid.
Sethiani. ibidem
Ptolomæus. 22
Archontici. ibid.
Florinus. ibidem
Blaſtus Dux Quartodecimanorum. ibidem
Tatianus Pater Encratitarum, & Aquariorum. ibidem
Severus. 23
Montanus. ibid.
Cataphryges. 24
Proclus. ibidem
Artotyrita. ibidem
Pepuziani ibidem
Aſcodrogita. ibid.
Pattalorinchita. ibid.
Bardeſanes. ibid.
Theodotus Coriarius. 25
Theodotus Argentarius Dux Melchiſedechianorum. ibid.
Praxeas. ibid.
Hermogenes. 26
Seleucus. ibidem

APPENDIX.

Lucanus. 40
Nazaræi. ibidem
Secundus. ibid.
Marcus. ibid.
Colarbaſus. 41
Heracleon. ibid.
Hydroparaſtata. ibid.
Alogi. Lucianus. ibid.
Artemon. ibidem

Errones ſæculi III.

Tertullianus. 41
Arabici. 43
Valeſii. ibid.
Origenes. ibid.
Novatus. 46

Ne-

Index Erronum.

Novatianus. ibid.
Rebaptizantes. 47
Apoſtolici, dicti etiã Apotacti. 48
Noetus 49
Sabellius. ibidem
Paulus Samoſatenus. ibid.
Scythianus. 50
Buddas. ibidem
Manes. 51
Hierax Pater abſtinentium. 53

APPENDIX.

Angelici. 67
Beryllus. ibidem

Errones ſeculi IV.

Donatiſta. 67
Eorum furor in res ſacras. 69
Circumcelliones. 70
Arius. ibid.
Progreſſus Arianiſmi. 74
Semiariani. 75
Colluthus. ibidem
Aetius. 76
Eunomius. ibidem
Metangiſmonita. ibid.
Theophronius. ibidem
Euſtathius. 77
Audeus. ibidem
Photinus. ibidem
Macedonius. ibidem
Apollinaris. 78
Millenarii, ſeu *Chiliaſta.* 79
Aerius. 80
Meſſaliani, ſeu *Euchita, Precatores, Enthuſiaſta, Saccophori* 81
Collyridiani ibid.
Nudipedes. ibidem
Priſcillianus. ibid.
Helvidius Antidicomarianita 83
Jovinianus. ibidem
Rhetorius. ibid.
Paterniani. ibid.

APPENDIX.

Aſterius. 99
Aceſius. ibidem
Troglodyta. ibid.
Hypſiſtarii. 100
Zacheus. ibidem
Timotheus. ibidem
Bonoſus. ibid.
Agapeta. ibidem
Lucifer. 101

Errones ſæculi V.

Vigilantius. 101
Vincentius Victor. 102
Abeliani. ibid.
Theodorus Mopſueſtenus. 103
Pelagius. ibid.
Ejus Diſcip. Cœleſtius. 104
Iulianus. 105
Semipelagiani. 108
Neſtorius. 109
Eutyches. 111
Dioſcorus. 112
Aegyptii. 114
Petrus fullo. ibid.
Acephali. 115
Illorum Pater Severus. ibid.
Iacobita à Iacobo Syro. ibidem
Xenaias. 116

APPENDIX.

Secundinus. 121
Prædeſtinatiani. ibid.

Errones ſæculi VI.

Paſſibiles. 132
Impaſſibiles. ibid.
Agnoita. 133
Joannes Philoponus Author Tritheitarum. ibidem
Caucobabdita, Damianiſta, Tetradita, Petrita, & Paulita. 135

Erro-

Errones ſæculi VII.

Mahometh. 136

Cauſa odii Turcarum in Chriſtianos. 138

Monothelitæ. ibidem

Armeni. 140

Illorum unio in Concilio Florentino. 141

Relabuntur in Errores. 143

Gnoſimachi. 144

Ethnophrones. ibid.

Chriſtolytæ. ibid.

Parermeneutæ. ibidem

Occaſione illorum agitur de lectione Sacræ Scripturæ, & potiſſima objectio Patris Queſnel *ſolvitur.* 153

APPENDIX.

Heicetæ. 153

Chazinzarii. ibidem

Thnetopſychitæ. 154

Theocatagnoſtæ. ibid.

Lampetiani. ibidem

Errones ſæculi VIII.

Agonyclitæ. 154

Iconoclaſtæ. ibidem

Leo Iſaurus. 155

Conſtantinus Copronymus. 157

Leo Porphyrogenitus. 158

Chriſtianocategori. 159

Adalbertus Gallus, & Clemens Scotus. ibidem

Felix Urgelitanus, & Elipandus. ibid.

APPENDIX.

Pauliciani. 163

Errones ſæculi IX.

Sergius. 164

Claudius Taurinenſis. ibidem

Thiota pſeudo-prophetiſſa. ibid.

Gotheſchalcus. 165

Photius. 166

Sæculum X.

Nulla hoc ſæculo fuerunt hæreſes per ſingularem Dei providentiam. Ob connexionem ſchiſmatis, & doctrinæ Photii hoc ſæculo tractatur de Erroribus Græcorum 177. & 184.

Michael Cærularius renovator ſchiſmatis. 177

Unio Eccleſiæ Grecæ cum Latinæ in Concilio Florentino. 182

Græci redeunt ad vomitum. 184

Miſera modò facies Græciæ. ibid.

Errones ſæculi XI.

Heribertus, & Liſoius. 186

Berengarius. 188

Simoniaci. 191

Reordinantes. ibid.

Novi Nicolaitæ. ibid.

Inceſtuoſi. ibid.

Tudetchinus, & Ioannes Venetus Simoniaci palliati. ibid.

Wecilo. 192

Roſcelinus. ibid.

Errones ſæculi XII.

Durandus de Waldach. 199

Bongomoli. ibidem

Tanchelinus. ibidem

Petrus de Bruis. 200

Henricus Petrobruſſianus. 201

Petrus Abailardus. ibidem

Arnaldus de Brixia. 204

Gilbertus Porretanus. 205

Eon. 206

Apoſtolici. ibidem

Waldenſes. Dicti etiam Patareni, Cathari, pauperes de Lugduno. 207

AP-

APPENDIX.

Marſilius Paduanus. 220
Barulenſes. ibidem
Ioachim Abbas. ibidem

Errones ſæculi XIII.

Albigenſes. 221
Illorum hiſtoria. 222
Almaricus. 225
David de Dinando. ibid.
Guilielmus de S. Amore. 226
Illius bellum adversùs Religioſos, præſertim SS. Doctores Thomam, & Bonaventuram. ibid.
D. Thomas moritur anno 1274. 227.
Petrus Ioannis. ibid.
Fratricelli. 228
Gerardus Segarellus Author pſeudo-Apoſtolorum. ibid.

APPENDIX.

Ad hoc ſæculum referendi videntur Albanenſes, recenſendi ſcilicet inter Albigenſes. 243

Errones ſæculi XIV.

Dulcinus, & Margarita. 243
Beguardi, & Beguinæ. 244
Ioannes de Poliaco. 245
Waltherus Lolardus. 246
Ceccus Aſculanus. ibidem
Flagellantes. ibidem
Bertholdus de Rorbach. 247
Bartholomæus Ianovezius. ibid.
Turlupini. ibidem
Ioannes Wicleff. 248
Wicleffiſmi hiſtoria. 249

Errones ſæculi XV.

Ioannes Hus. 277
Hieronymus de Praga. 278
Iacobellus Miſnenſis. 279
Petrus Dreſdenſis. ibid.
Hiſtoria Ioannis Hus. 283
Hiſtoria Hieronymi de Praga. 287
Inter Huſſitas eminent Thaboritæ Duce ZisKa. 288
Nicolaus Galæcus Thaborita. 289
Orebitæ Huſſitarum altera progenies. 290
Bedricus illorum Ductor. ibidem
Ioannes Roatius. ibidem
Ioannes Behaim Tympaniſta. ib.
Profligantur Huſſitæ, & reconciliantur Eccleſiæ. 291
Adamitæ Duce PiKardo. ibidem
Petrus Oxomenſis. 292
Hermanns Ruiſvich. ibid.

Errones ſæculi XVI.

Lutherus. 305
Lutheri hiſtoria. 307
Lutherani. 316
Philippus Melanchthon Pater Mollium Lutheranorum, Confeſſioniſtarum, Adiaphoriſtarum, ſeu *Indifferentium.* ibid.
Flaccus Illyricus Rigidorum Lutheranorum Coryphæus, uti & ſubſtantialiſtarum. 317
Nicolaus Amſdorphius. ibid.
Georgius Major. 318
Ioannes Agricola parens Antinomorum ibid.
Andreas Oſiander. ibid.
Franciſcus Stancarius. ibid.
Andreas Muſculus. ibidem
Ioannes Brentius Pater Ubiquitariorum. ibid.
Ioannes Spanebergus. 319
Gaſpar SvvencKfeldius. ibid.
Anabaptiſtæ. 320
Nicolaus StorKius. ibidem
Thomas Muntzerus 321

Joannes Matthias. ibidem
Joannes Bocoldus ſartor Leidenſis. ibidem
Obſidio Monaſterienſis, & ſupplicium Joann. Leidenſis. 322.
Knipperdolingus Joannis in ſupplicio ſocius. ibid.
Mennoniſtæ. 323
David Anabaptiſta. ibidem
Anabaptiſtarum ſpecies. 324
Clancularii, ſeu *hortenſes.* ibid.
Dæmoniaci. ibidem
Sabbatharii. ibid.
Communia habentes. ibidem
Condormientes. ibid.
Ejulantes. 325
Libertini. ibidem
Sacramentarii. ibid.
Carolſtadius. ibidem
Zuvinglius. 326
Oecolampadius. ibidem
Bucerus. ibidem
Petrus Martyr. 327
Joannes Calvinus. ibid.
Hiſtoria Calviniſmi. 329
Calviniſtæ. 332
Sebaſtianus Caſtellio. ibid.
Joannes à Laſco. ibid.
Henricus Bulingerus. ibidem
Petrus Boquinus. ibidem
Sepulchrales Authore Beza. 333
Infernales. ibidem
Uncti Anglicani. ibidem
Puritani, ſeu *Presbyteriani.* ibid.
Eccleſia Anglicana. ibidem
Antitrinitarii. 334
Michael Servetus. ibid.
Valentinus Gentilis. 335
Georgius Blandrata. ibidem
Joannes Alciatus. 336
Bernardinus Ochinus. ibidem
Franciſcus Davidis. ibidem
Sociniani: horum Authores Lælius Socinus, & Fauſtus Socinus. 337

Errones ſæculi XVII.

Gommarus, & Arminius. 350
Famoſiores Arminiani Epiſcopius & Stephanus Courcelles. 352
Gommariſtæ celebriores Joannes Piſcator, & Librandus Lubbertus. ibid.
Conrardus VVorſtius. ibidem
Lucilius Atheiſta. ibid.
Marcus Antonius de Dominis. 353.
Illuminati. ibidem
Conveniunt cum Beguardis, & Beguinis, ac Michaele Molinos. 354
Independentes. ibidem
Tremblantes ſive *QuaKeri.* ibi.
Spinoſa politico-Atheus. 355
Inveſtigantes, ſeu *expectantes, Sceptici, Quæſtionarii,* vel *Quærentes.* ibid.
Voetius. 356
Cocceius. ibidem
Errantes circa diem Dominicum 357
Edmundus Richerius. ibid.

APPENDIX.

Præadamitæ. 366

Errones ſæculi XVIII.

Pietiſtæ. 369
Noviſſima ſecta cujuſdam viſionarii in Gallia. 370
Diſſertatio ſpecialis adversùs modernos Sectarios. 371

Conferuntur moderni errores cum antiquis hęreſibus, oſtendit urque pleraque illorum dogmata eſſe hareſes antiquas à tot elapſis ſæculis ab Eccleſia damnatas. 371
Expenduntur particulariter Sectariorum dogmata. 373
De Invocatione Sanctorum. 374
De cultu Imaginum. 378
De cultu Reliquiarum. 380
De Feſtis Sanctorum. 381
De Juſtificatione. 382
De Merito. 385
De libero Arbitrio. 389
De ſatisfactionibus. 390
De Indulgentiis. 393
De Purgatorio. 395
De Sacramentis in genere. 397
De Sacramentis in ſpecie. 398
Luſtratur potiſſimùm realis præſentia Corporis Chriſti in Euchariſtia. 407
De Sacrificio Miſſæ. 421
De Communione ſub utraque ſpecie. 426
De Traditionibus. 429
De authoritate Eccleſiæ. 433
De capite viſibili Eccleſiæ. 439
Petrus fuit primum viſibile illius caput. 440
Petro ſuccedunt Romani Pontifices. 441
Nullus Princeps ſæcularis poteſt eſſe caput Eccleſiæ in ditione ſua. 442
Sola Romana dicenda eſt vera Chriſti Eccleſia. 442
Sectarii ſuam ab Apoſtolis ad ſeipſos ſine ulla interruptione ſucceſſionem in lucem proferre nequeunt, quod per omnia ſæcula demonſtratur. 448
Quilibet nequit ſalvari in ſua fide ut Sectarii volunt. 455
Apoſtrophe ad Chriſtum pro converſione Sectariorum.

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

COncedemo Licenza a Lorenzo Baſeggio, che poſſi ſtampare li due Libri intitolati, l' uno *Hiſtoria Hæreticorum & Hæreſum*, l' altro *Veritas in medio &c. Authore Franciſco Van-Ranſt S. Ord. FF. Præd.* giuſta l' eſemplare ſtampato nell' anno 1720.

Data 20. Aprile 1732.

(
(Alviſe Piſani K. Proc. Riform.
(Zan-Piero Paſqualigo Riform.

Agoſtino Gadaldini Segr.

ERRONES

SÆCULI PRIMI.

ANtiquus humani generis hoſtis & nova ſemper moliens, & gloriæ Chriſti ęmulus cum vidiſſet ſuper Simonem Petrum ſuam à Chriſto ędificatam, ac firmiter ſtabilitam Eccleſiam; ſuo quoque noluit carere *Simone*, cui ut fundamento erigendum per quęlibet ſęcula omnis hereſis, & impietatis Theatrum incumberet. *Simon* ille natione Samaritanus fuit ex quodam vico, cui *Gitthon* nomen eſt, magicis artibus inſigniter imbutus, ideoque *Simon Magus* appellatus. Suis pręſtigiis ita Samaritanorum oculos, menteſque perſtrinxerat, ut omnes in illius admirationem rapti certatim ad eum confluerent, ipſique acclamarent: *Hic eſt virtus Dei magna* Act. 8. interim *Philippus* Diaconus qui una cum cæteris diſcipulis Hieroſolymis pulſus fuerat, adit Civitatem Samariam, Evangelium pręadicat, convertuntur innumeri, quos inter & Simon *Magus* non valens obniti veris divini pręconis Miraculis credit, & à *Philippo* baptizatur. Mittuntur *Petrus*, & *Joannes*, ut Samaritanis converſis manus imponant. *Cum vidiſſet autem Simon, quia per impoſitionem manus Apoſtolorum daretur Spiritus Sanctus, obtulit eis pecuniam dicens: date & mihi hanc poteſtatem, ut cuicumque impoſuero manus, accipiat Spiritum Sanctum. Petrus autem dixit ad eum: pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam* *Simon Magus*

donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri. Non eſt tibi pars, neque ſors in ſermone iſto. Cor enim tuum non eſt rectum coram Deo. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum, ſi remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. Reſpondens autem Simon dixit: precamini vos pro me ad Dominum, ut nihil veniat ſuper me horum, quæ dixiſtis. Act. ibid.

Sed non diu *Petri* correctioni acquievit: poſt illius enim diſceſſum depoſita ementitæ pœnitentiæ larva, *primus* evaſit Hæreſiarcha, ſinumque Matris Eccleſiæ, quo benignè fuerat per Baptiſmum exceptus, quaſi vipereus partus laceravit. Apoſtolorum itaque Doctrinæ totis cœpit viribus reluctari. Cum Judæos videret eſſe infenſos Apoſtolis, commentum, quod olim Samaritanis ſuis, jactans ſe eſſe *Magnam Dei virtutem* propinaverat, illis communicavit, eis per horribilem blaſphemiam ſe perſuadens eſſe Filium Dei. Docebat ſemetipſum eſſe, qui inter Judæos quidem quaſi Filius Dei apparuerit, in Samaria quaſi Pater deſcenderit, in reliquas verò Gentes quaſi Spiritus ſanctus ignearum linguarum ſpecie diffuſus fuerit.

A Tyro Civitate Phœnices quæſtuariam meretricem *Helenam* ſecum circumducens, effutiebat eam eſſe primam mentis ſuæ conceptionem, matremque omnium, per quam initio creaſſet Angelos, à quibus poſtea Mundus fuiſſet conditus: porrò Angelos ægrè ferentes ſe cujuſquam alterius putari progeniem, in ipſam *Helenam* fuiſſe commotos, ac eam detinuiſſe in terra, ne furſum ad ſuum Patrem recurreret, uſque adeò, ut in corpore humano includeretur, & per ſæcula veluti de vaſe in vas in altera muliebria corpora tranſmigraret, fuiſſeque & in famoſa illa *Helena*, quæ facem bello Trojano ſubminiſtraverat: commigrantem verò de corpore in corpus, & ſemper ab Angelis contumelias patientem, poſtremò etiam in fornice proſtitiſſe *Helenam* viliorem, & *hanc* eſſe perditam illam ovem, quapropter & ſe de Cœlo deſcendiſſe, ut eam peccati vinculis primam liberaret, ac deindè per illius jam redemptæ agnitionem ſalutem humano generi præſtaret, quare in *ſe* duntaxat, & in *Helena* ſpem ſalutis collocandam eſſe, ac

de

de cætero licere cuicumque vivere, ut libuerit.

Imperabat ea tempeſtate Nero coronatum illud omnium flagitiorum Monſtrum: cætera inter crimina eminebat in eo incredibile magiæ ſtudium, ita ut non ſolum ejuſmodi circulatores ſponte artes ſuas offerentes, ac vili pretio venditantes avidè exciperet, verùm etiam è remotis planè Regionibus accerſiret, quos inſignes noviſſet iſtius artis profeſſores. Hac igitur fama percrebreſcente ſtimulatus *Simon* Romam rapitur Imperatori, Orbique terrarum explicaturus ampliſſimum ſuæ ſcientiæ magicæ Theatrum. Sub idem tempus benigna, & propria Dei totius hujus Univerſitatis Rectoris erga humanum Genus providentia omnium Apoſtolorum Principem, ac primum viſibilem Eccleſiæ moderatorem *Petrum* Romam verſus ad hujuſmodi peſtiferam vitæ humanæ corruptelam proſternendam quaſi manu ſua deduxit. Simon Magus illicò ſuis ſe præſtigiis amicitiæ Neronis inſinuans divinos ab eo ſibi honores comparavit, ita ut inſtar Jovis ille, ſua verò *Helena* inſtar *Minervæ* adoraretur. Quinimò ad utriuſque imagines in omnium conſpectu auctoritate publica mira Neronis cæcitate conſtitutas adoratio illa protendebatur. Ut verò Cœleſtes promeritus fuiſſe honores videretur, per aera volatum in Cœlum uſque Imperatori pollicitus eſt. Nec promiſſum moratur exequi. Volat itaque tota urbe in inſolitum effuſa ſpectaculum, jamque malignis ſpiritibus in ſublimem aerem ſubvectus erat, Cæſare, & univerſo ei applaudente populo, cum ecce admirabilis ille *Petrus* Orationis ſuæ vi diſſipatis præſtigiis, eum in ima præcipitem egit, ex quo lapſu cruribus effractis, totoque corpore eliſus, lacer & ſaucius brevi miſerrimè interiit.

Talis fuit exitus & Hæreticorum Coryphæi, & Magi nefandiſſimi, qui (ut narrat Anaſtaſius Nicætas) ita arte ſua oculos ſpectantium faſcinabat, ut in ſui admirationem omnes fermè converteret. Statuis motum imprimebat, in igne volutatus non exurebatur; in aere volabat, & ex lapidibus panes eliciebat. Fiebat ſerpens, & in reliqua animantia transformabatur: binas habebat facies, in aurum convertebatur: fores clauſas

aperiebat, in conviviis exhibebat formarum omnis generis ſpectra. Vaſa, quæ erant in ædibus, ejus opera videbantur tamquam quæ ſua ſponte moverentur ad miniſterium, iis, qui ea geſtabant, non viſis, efficiebatque, ut multæ eum umbræ præcederent, quas dicebat eſſe mortuorum animas. A Cæſare aliquandò quæſitus, & territus aufugit, ſua forma alteri impoſita.

Præter terribilem illam blaſphemiam, qua dicebat tum ſe eſſe Deum, qui in Samaria apparuit ut Pater, in Judæa ut Filius, in Gentibus ut Spiritus Sanctus, tum in ſe, ſuaque Helena tantummodò habendam eſſe ſpem ſalutis, quæ narraſſe, refutaſſe eſt, hi ſunt potiſſimi Simonis Magi errores.

1. *Donum Dei poteſt pecunia poſſideri.*

2. *Mundus non eſt creatus à Deo, ſed ab Angelis.*

3. *Homo non eſt Liberi Arbitrij.*

4. *Non ſunt neceſſaria ad ſalutem bona opera, ſed ſufficit fides.*

5. *Non eſt futura corporum reſurrectio.*

6. *Anima tranſit de uno corpore ad aliud corpus.*

Menander, Menander pariter Samaritanus (ex vico *Caporotaia*) & Magus fuit; dignus Natione, Profeſſione, doctrina, moribus *Simone* Magiſtro Diſcipulus. Antiochiæ hæc ſparſit dogmata.

1. Cùm Simone docuit *Mundum non eſſe conditum à Deo, ſed ab Angelis.*
2. Aſſeruit, *perpetuam in hac vita immunitatem à ſenio, & à morte dandam eſſe illis, qui tincti eſſent lavacro Baptiſmatis à ſe collati.*

Saturninus, Saturninus *Menandrum* ſectatus eſt. patria fuit Antiochenus, & in Syria ſcholam erroris aperuit.

1. Ajebat, *Mundum fuiſſe creatum à ſeptem Angelis.*
2. *Chriſtum umbratili duntaxat in carne apparuiſſe.*
3. *Nubere, & generare eſſe à Satana.*

Cum ſuis ab animatorum eſu abſtinebat, ut ficta hujus abſtinentiæ Religione faciliùs hominibus imponeret.

Baſilides. Baſilides Genere Alexandrinus, condiſcipulus *Saturnini*, & *Menandri* auditor gloriabatur ſe *Glauciam* habuiſſe Præceptorem, interpretem Apoſtoli Petri teſte Cle-

Clemente Alexandrino lib. 7. ſtromatum. Profectus in Ægyptum, ibi ſuæ fudit venena Hæreſeos, quam ultra *Simonis*, *Menandri*, *&* *Saturnini* deliria ſe extendens, majoribus ornavit commentis. *Nus* ab innato natus eſt Patre, qui vocatur *Abraxas*. *A No* prodiit *Logos*, deinde à Logo *Phroneſis*, à Phroneſi *Sophia*, & *Dynamis*, ab his fluxerunt *Virtutes*, *&* *Principes*, *&* *Angeli primi*. Hi condiderunt primum Cœlum; ab eorum verò derivatione alii ſimpliciter procedentes aliud Cœlum æquale priori crearunt: rurſus verò ex iſtis alii provenientes tertium formarunt Cœlum; & ſic deinceps Angelorum propagine uſque ad trecentos ſexaginta quinque Ordines dilatata; totidem ab illis Cœli fabricati ſunt; juxta quorum numerum tot etiam diebus compoſitus fuit annus. Porrò Angeli noviſſimi Cœli, nobiſque viciniores hæc inferiora crearunt, ac orbem terrarum, Genteſque omnes inter ſe diſtribuerunt. Princeps autem ipſorum eſt ille, qui Judæorum putatur eſſe Deus. Quia verò iſte, ſuis hominibus, id eſt, Judæis cæteras voluit Gentes ſubſternere, cuncti Angeli conglomeratis viribus ei reſtiterunt, ejuſque Genti Gentes reliquæ. Ingenitus autem Pater videns miſerrimam rerum faciem, miſit Primogenitum ſuum *Nun* in forma hominis, (& *hic* eſt, qui dicitur *Chriſtus*) ut credentes in eum è poteſtate Angelorum Mundi hujus Conditorum erueret. Cæterùm Baſilides aſſerebat Chriſtum ſpecie tenus mortalibus apparuiſſe, neque hominem reverà extitiſſe, nec paſſum, aut crucifixum, eò quòd eſſet virtus æterni Patris incorporalis, impaſſibilis, omnibus inviſibilis, transfigurans ſe quemadmodum vellet, atque adeò cum non poſſet teneri, ſuam formam indidiſſe Simoni Cyrenæo, qui crucem ejus geſtavit, & vice illius crucifixus eſt; ipſum verò effigiem Simonis induentem adſtitiſſe cruci irridentem eos, qui Simonem crucifigebant; itáque non credendum eſſe in eum, qui ſit crucifixus, ne quis confiteatur ſe in Simonem credidiſſe.

Suis Diſcipulis, cum primùm ſe in illius diſciplinam tradebant, quinquennii ſilentium Pythagoreorum more, inſtitutoque præcipiebat, illis & hoc dedit manda-

 tum.

tum: *Date operam, ut omnia cognoſcatis, nemo verò vos cognoſcat*. Tam nefaria namque erant ipſorum Sacra, ac tam obſcœna facinora, ut ſuæ impuritatem doctrinæ evulgari formidarent.

Palmaris ejus Error eſt iſte jam deſcriptus.

Chriſtus non eſt crucifixus, ſed Simon Cyrenæus, qui angariatus ſuſtulit Crucem.

Filium reliquit *Iſidorum* nomine, impietatis ſuæ & hæredem, & propagatorem.

Hym. & Phil. Hymenæus, & Philetus odio adverſus Paulum inflammati *corporalem* mortuorum reſurrectionem(quam ſuis ille auditoribus ſtrenuè inculcabat) mala fide ad novam, & commentitiam ſignificationem detorſerunt, ad *Spiritualem* ſcilicet dumtaxat reſurrectionem, quæ conſiſtebat in excitatione à morte peccati ad vitam gratiæ, à tenebris erroris, & infidelitatis ad lumen veritatis, & fidei, inficiantes omninò futuram reſurrectionem *corporum*. De his loquitur Apoſtolus 2. ad Timoth. 2. de quo loco in refutatione erroris.

Nicol. Nicolaitæ nomen deprompſerunt à *Nicolao* Patria Antiocheno, uno ex ſeptem Diaconis.

Cum eſſent in omnem effuſi libidinem, docuerunt, *licitum eſſe promiſcuum fœminarum uſum.*

Ajebant præterea initio tenebras, ac voraginem fuiſſe, & aquam, à Spiritu deinde ſecretas. Verùm tenebras contra Spiritum commotas ſurſum excurriſse, & cum eo fuiſſe congreſſas. Ex hoc conſortio prodiiſſe Matricem quandam; quæ rurſus eidem Spiritui juncta quatuor Æones peperit. Hi 4. alios procrearunt; dexteram, & ſiniſtram, lucem & tenebras. Ex his inquiebant, genitus eſt turpis Æon: ex cujus cum præfata Matrice conſortio Dii, Angeli, homines, & ſeptem ſpiritus Dæmoniorum ortum habuere. Talia ne fabularum portenta ab humano formari potuiſſe intellectu!

Cæterùm an verè iſtius hæreſis author fuerit Nicolaus unus è ſeptem Diaconis, in dubium revocatur. Nonnulli ex Antiquis ipſum Hæreſeos caput aſſerunt, alii hanc ab ipſo labem depellunt, quorum ſententiæ ob ſequentes rationes ſuffragandum eſſe exiſtimamus.

1. Incredibile eſt eum, quem Scriptura ſacra annume-

me-

Digitized by Google

merat viris boni teſtimonii, plenis Spiritu ſancto, & ſapientia, & quem nullibi damnat, aut perſtringit, fuiſſe caput, & auctorem nefariæ hæreſis, ſed Scriptura ſacra *Nicolaum Advenam Antiochenum* ſeptem Diaconorum unum, annumerat *viris boni teſtimonii*, *plenis Spiritu ſancto*, & *ſapientia*; Act. 6. & nullibi innuit ipſum tam divinas dotes hæreſi, aut libidine maculaſſe: etſi enim *facta Nicolaitarum* execretur Apocal. 2. Nicolai tamen Nomini nullam notam inurit; veriſimile igitur eſt, ipſum non fuiſſe Hæreſeos auctorem.

Vindicatur Nicolaus Diaconus ab hæreſi Nicolaitarum.

Idem probat Eminentiſſimus *Baronius* ex ſancto *Ignatio* Martyre in Epiſtola ad Trallianos dicente: *fugiamus quoque impuros Nicolaitas*; Falſum ſibi nomen ſumentes, *voluptatum amatores*, & *Sycophantas*.

Probatur ſecundò ex *ſancto Clemente Alexandrino* libro 2. ſtromatum pag. 301. ubi poſtquam de quibuſdam hæreticis locutus eſt, qui per uſum voluptatis pugnare ſe cum voluptate dicebant, hæc ſubjungit: *tales ſunt etiam hi, qui dicunt ſe ſequi Nicolaum, adducentes ejus viri aliquid literarum monumentis mandatum, ſed ab eis* Detortum, nempe oportere carne uti. *Sed ille vir præclarus ſignificabat, oportere voluptates arcere, eas frænando jejuniis, vel intra caſti thori limites. Qui verò inſtar Hircorum effuſi ſunt in voluptatem, hi decretum ipſius voluptatis, non autem viri Apoſtolici ſequuntur.* Et libro 3. pag. 318. ſic rurſus Nicolaum Diaconum ab impura hæreſi vindicat. *Ego audio Nicolaum nulla unquam alia, quàm ea, quæ ei nupſerat, uxore uſum eſſe: & ex illius liberis filias quidem conſenuiſſe virgines, filium autem permanſiſſe incorruptum. Docebat autem illud*, uti carne oportere; *hoc eſt exercere carnem*: ne feratur extra matrimonii terminos, ſed nec in eo unicè quærat voluptatem: *neque enim volebat duobus dominis ſervire, voluptati, & Deo. Dicunt enim Matthiam quoque ſic docuiſſe, cum carne quidem pugnare, &* ea uti nihil ei impudicum largiendo ad voluptatem effrænem, *fovere autem animam per fidem, & agnitionem.* Certè *uti carne* licet. Qui enim ea utitur, nec excedit matrimonium, nec conſtituit finem in voluptatibus corporis, nec dicit cum Epicuro, *Mihi frui mea carne bo-*

num eſt, unde aliud eſt *uti*, aliud *frui carne*, quod nunquam Nicolaus aſſeruit. Nicolaitæ igitur nomine Nicolai viri Apoſtolici abuſi ſunt, & ejus verba pravum in ſenſum detorſere, ut tanto Nomine ſectam impuriſſimam ornarent. In eam Sententiam conſpirant *Euſebius* lib. 3. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 29. *Theodoretus* lib.3. Hæreticarum fabularum c.23. *Victorinus Petabionenſis* Commentario in Apocalypſim, quibus adſtipulantur caſtigatiores Critici moderni.

Cerinthus. Cerinthus Philoſophiæ in Ægypto operam dedit, deindè Hieroſolymis, Cæſareæ, Antiochiæ ipſis Apoſtolis frequenter reſtitit.

In Aſiam profectus virulentam illic doctrinam profudit. Fertur Joannes Evangeliſta intraturus in Balneum, conſpecto Cerintho, qui eò quoque fortuitò acceſſerat, dixiſſe diſcipulis. *Fugiamus extemplo, ne balneum, in quo Cerinthus veritatis hoſtis moratur, ſubitò concidens nos opprimat.* Euſeb. lib.3. Hiſtoriæ Eccl. c.22.

Porrò hæc ſunt præcipua illius doctrinæ Capita.

1. *Beatitudo conſiſtit in carnis deliciis.*
2. *Legalia ſunt obſervanda cum Lege nova, ut quis ſalutem conſequatur.*
3. *Chriſtus eſt merus homo.*

Cæterùm ex primo dogmate effutiebat poſt reſurrectionem carnis humanæ, Regnum Chriſti terreſtre futurum, ac Hieroſolymis homines carnis cupiditatibus, & voluptatum illecebris ſerrituros: & numerum mille annorum in nuptiarum feſtis, & celebritate conſumendum. Hinc iſtius Erroris ſectatores Chiliaſtæ, id eſt, Millenarii ſunt nuncupati. Sed de hiſce Sæculo 4.

Ebion Ebion, cum in docendò Paulum primas ferre videret, in eum maledicta jacere, contumeliiſque illum proſcindere orſus eſt: idque eò conſilio, ut Judæorum animos ab eo redderet alienos. Ajebat enim ipſum eſſe Græcum, non natura Judæum, factumque ex Gentilibus proſelytum ea occaſione, quod Hieroſolymis agens adamaſſet filiam Pontificis, quam cuperet ducere in uxorem, utque fieret voti compos, accepiſſe circumciſionem: ſed cum nec ita, quod optaſſet, fuiſſet aſſecutus, ad impugnandum circumciſionem, & legem eſſe con-

converſum. Sic igitur exiſtimans hac ratione Pauli Prædicationem, & Scripta à ſe eſſe convulſa, alios Apoſtolorum actus, a Canonicis diſtinctos edidit figmentis, erroribuſque refertos.

Præter dogma *de legalibus una cum Lege nova obſervandis* illi cum Cerintho commune, aſſeruit *Chriſtum eſſe conceptum ex ſemine viri*, vel potiùs eſt idem utriuſque error.

Refelluntur Errores Sæculi primi.

1. *Donum Dei pecunia poteſt comparari.* *Errores Simonis Magi.*

D. Th. 2. 2. q. 100. a. 1. *Actus aliquis eſt malus ex genere eò quòd cadit ſuper materiam indebitam, emptionis autem, & venditionis eſt materia indebita res ſpiritualis* (ſeu donum Dei) *triplici ratione. Primò quidem, quia res ſpiritualis non poteſt aliquo terreno pretio compenſari, ut de ſapientia dicitur Prov. 3. pretioſior eſt cunctis opibus, & omnia, quæ deſiderantur, huic non valent comparari. Ideò etiam Petrus in ipſa ſui radice Simonis pravitatem condemnans dixit: pecunia tua tecum ſit in perditionem:* Quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri. *Secundò quia id non poteſt eſſe debita venditionis materia, cujus venditor non eſt dominus, Prælatus autem Eccleſiæ non eſt dominus ſpiritualium rerum, ſed diſpenſator, ſecundùm illud 1. ad Corinth. 7. Sic nos exiſtimet homo ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores Myſteriorum Dei. Tertiò quia venditio repugnat ſpiritualium origini, quæ ex gratuita Dei voluntate proveniunt. Unde & Dominus dixit Matth. 10.* Gratis accepiſtis, gratis date.

Cæterùm licèt Simonia ſic dicta ab illius Parente Simone Mago, propriè loquendo non ſit Hæreſis, in Simone tamen fuit Hæreſis. Iſte enim non tantùm voluit emere donum Spiritus Sancti, ſed etiam credidit hoc poſſe fieri. *Exiſtimabat enim, quòd donum Dei poſſet pecunia poſſideri*, ſeu comparari.

2. *Mundus non eſt creatus à Deo, ſed ab Angelis.*

D. Th. 1. p. q. 65. art. 3. *dicitur Geneſ. 1. in principio* crea-

Creavit Deus *Cælum*, *& terram*, non eſt igitur Mundus productus ab Angelis.

Ratio autem eſt, quia *producere aliquid hoc modo, ut nihil præſupponatur* (quod fit in creatione) *eſt virtutis infinitæ, quod nulli creaturæ competit*. ibid.ad 3.

3. *Homo non eſt Liberi Arbitrij*.

D. Thomas 1. p. q. 83. art. 1. *dicitur Eccleſiaſtici* 15. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit eum in manu conſilij ſui, id eſt, in libertate arbitrij, inquit Gloſſa interlinearis ibidem*.

Ne quis verò hæc ad hominem in ſtatu Innocentiæ reſtringat, dicatque hominem poſt lapſum Adæ libero carere Arbitrio, (ut poſtea, longa evoluta ſæculorum ſerie voluere Sectarij; quibus hic Simon præluſit) en alia Scripturæ loca. *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & ſequatur me*. Lucæ 9. *noli repellere Conſilia matris tuæ*. Prov. 3. *dedi illi tempus pœnitentiæ, & non vult pœnitere*. Apocalypſis 2. & Matth. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus*.

Sectarij.

4. *Non ſunt neceſſaria ad ſalutem bona opera, ſed ſufficit Fides*.

D. Th. 2. 2. q. 124. art. 5. *Dicitur Iacobi* 2. *Ego oſtendam tibi ex operibus fidem meam*. *Quid prodeſt*, Si quis fidem dicat ſe habere, opera autem non habeat? *Sanè ſicut corpus ſinè ſpiritu mortuum eſt, ita & Fides ſinè operibus mortua eſt*, & ad Rom. 2. *Non auditores legis juſti ſunt apud Deum, ſed factores legis juſtificabuntur*.

5. *Non eſt futura corporum reſurrectio*.

Sectarij. D.Thomas in ſupplemento q.75.art.1. *dicitur Iob.*19. *Scio, quod redemptor meus vivit, & in Noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſum circumdabor pelle mea: ergo reſurrectio corporum erit*.

Reſurrectionem etiam corporum novum exprimit Teſtamentum 1.Corinth.c.15.deducto argumento à reſurrectione Chriſti. *Si Chriſtus prædicavit, quòd reſurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam reſurrectio mortuorum non eſt? ſi autem reſurrectio mortuorum non eſt, neque Chriſtus reſurrexit. Si autem Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt ergò prædicatio noſtra, inanis eſt & fidei noſtra: invenimur autem & falſi teſtes*

Dei,

Dei, quoniam teſtimonium diximus adverſus Deum, quòd ſuſcitavit Chriſtum, quem non ſuſcitavit, ſi mortui non reſurgunt.

Hinc D. Th. ibid. *membra*, inquit, *debent eſſe Capiti conformia: ſed Caput noſtrum vivit, & in æternum vivet in corpore, & anima; quia Chriſtus reſurgens ex mortuis jam non moritur, ut patet Rom. 6. ergo & homines, qui ſunt ejus membra, vivent in corpore, & anima, & ſic oportet carnis reſurrectionem eſſe.*

Præter argumentum petitum ex fide, rationem moralem reſurrectionis aſſignat S. Doctor ad 3. *Quia operanti debetur operis merces, oportet, quod ipſe homo compoſitus ex anima, & corpore operis ſui mercedem* in reſurrecturo corpore *accipiat*. Et artic. 2. *Reſurrectio ad hoc neceſſaria eſt, ut reſurgentes accipiant pro meritis pœnam, vel præmium.*

6. *Anima tranſit de uno corpore ad aliud corpus.*

D. Th. 2. contra Gentes c. 83. fermè circa finem. *Plures ponunt tranſitum animæ de corpore in corpus. Hoc eſt autem impoſſibile: animæ enim humanæ non differunt ſpecie ab invicem, ſed numero ſolo. Alioquin & homines ſpecie differrent, differentia autem ſecundùm numerum in eſt ſecundùm principia materialia; oportet igitur diverſitatem animarum humanarum ſecundùm aliquid materiale* (ſeu corpus) *ſumi: ſi igitur ſunt diverſa corpora, neceſſe eſt, quod habeant diverſas animas ſibi unitas; non igitur* unitur una Pluribus (corporibus) ſeu ſimul, ſeu ſucceſſivè. *Hinc etiam dicitur Pſal. 32. qui finxit ſingillatim corda eorum: quia ſcilicet unicuiquè* ſeorſim *Deus animam fecit: nec* unam diverſis corporibus adjunxit. Proindè anima non tranſit de corpore ad aliud corpus, ſed in diverſis corporibus diverſa regnat anima.

Primus illius Error, *de Mundo non à Deo, ſed ab Angelis condito*, ſtatim in *Simone* refutatus eſt. *Errores Menandri.*

Alia ejus fabula, ſcilicet *Diſcipulos ſuos nunquam morituros à ſe tinctos Baptiſmate*, ſola, quæ illos morte involvit, refellitur experientia.

Porrò D. Th. disertè dicit 3. p. q. 68. art. 3. ad 2. *Duplex eſt pœna peccati, gehennalis, & temporalis. Gehennalem prorſus delevit Chriſtus, ut eam non ſentiant bapti-*

baptizati, *& veri pœnitentes*, *temporalem verò nondum penitùs tulit: manet enim fames*, *ſitis*, *&* mors, *& hujuſmodi*.

Sed juvat, preter Aquinatem, tantiſper audire Tertullianum de anima c. 50. ubi has ineptias egregiè explodit. *Publica totius Generis humani ſententia mortem naturæ debitam pronuntiamus. Hoc ſpopondit omne,quod naſcitur. Quænam*, *& ubinam iſta felicitas aquarum Menandri*, *quas nec Ioannes Baptizator præminiſtravit*, *nec Chriſtus ipſe Diſcipulis demonſtravit? quod hoc Menandri balneum? translatus eſt Enoch,& Elias*, *nec mors eorum reperta eſt*, *dilata ſcilicet*, *cæterum* morituri *reſervantur*, *ut Antichriſtum ſuo ſanguine extinguant*. *Poſtremò ubi ſunt illi*, *quos Menander ipſe perfudit? veniant Apoſtoli perennes*, *ac immortales*.

Errores Saturnini. 1. *Mundus conditus eſt à ſeptem Angelis*.

Cum Mundus non ſit conditus ab Angelis, nec à ſeptem conditus eſt.

2. *Chriſtus umbratili duntaxat in carne apparuit*.

D. Th. 3. p. q. 5. art. 3. *Cum Chriſtus ſit veritas*, *non decuit*, *ut in ejus opere aliqua fictio eſſet*, *undè & Dominus hunc Errorem per ſe ipſum excludere dignatus eſt Lucæ ultimo: cum diſcipuli conturbati*, *& conterriti putabant ſe ſpiritum videre*; *& non verum corpus*, *& ideò ſe eis palpandum præbuit dicens*. *Palpate*, *& videte*, *quia ſpiritus carnem*, *& oſſa non habet*, ſicut me videtis habere. Deindè dicitur de Chriſto ad Rom. 1. *Factus eſt ex ſemine David* ſecundum carnem. Et 1.Joan.4.*Omnis ſpiritus*, *qui non confitetur Jeſum Chriſtum in Carne veniſſe*, *ex Deo non eſt*, *& hic eſt Antichriſtus*. Dicitur etiam Iſ. 50. *Corpus meum dedi percutientibus*, corpus verò umbratile,ſeu phantaſticum percuti nequit. Undè *ſi non fuerit verum Chriſti corpus*, *ergo nec veram mortem ſuſtinuit*, *nec aliquid eorum*, *quæ Evangeliſtę de eo narrant*, *ſecundùm veritatem geſſit*, *& ſic etiam ſequeretur*, *quod non fuerit vera ſalus Hominis ſubſecuta*.

3. *Nubere*, *& generare*, *ſeu actus matrimonialis eſt à ſatana*.

D.Th. in ſupp. q.41. a.3. ad 1. *ad Corinth. 7. dicitur. Si nupſerit virgo*, *non peccavit*. *&* 1. *ad Timoth.* 5.

Volo

Volo juniores nubere, filios procreare, ſed procreatio filiorum non poteſt fieri ſine carnali conjunctione, ergo actus matrimonialis non eſt peccatum, cujus author eſt ſatanas.

Præterea: nullum peccatum eſt in præcepto, ſed actus matrimonialis eſt in præcepto 1. *ad Corinth.* 7. *Uxori vir debitum reddat: ergo non eſt peccatum.*

Chriſtus non fuit crucifixus, ſed Simon Cyrenæus, qui angariatus ſuſtulit Crucem. *Error Baſilidis.*

D.Th.3.p.q.46.a.4. *Dicitur Phil.*2. *Chriſtus factus eſt obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis.* Apoſtolo omnes quatuor conſonant Evangeliſtę.

Nonne iterum Paulus 1.ad Corinth.1.apertiſſimè aſſerit, *Nos prædicamus* Chriſtum crucifixum? quęnam apud Apoſtolum, Evangeliſtas, aut alibi fit vel umbra mentionis, *Simonem Cyrenęum*, quamvis Crucem Chriſti angariatus tulerit, illi fuiſſe affixum? Unde hęc eſt horribilis planè blaſphemia.

Reſurrectio mortuorum jam facta eſt. *Error Hymenæi, & Phileti.*

D. Th.4. contra Gent. c.79. *Quidam perversè intelligentes, reſurrectionem corporum futuram non credunt, ſed quod de Reſurrectione legitur in Scripturis, ad ſpiritualem reſurrectionem referre conantur, ſecundùm quod aliqui à morte peccati reſurgunt per gratiam. Hic autem Error ab ipſo Apoſtolo reprobatur: dicit enim* 2. *ad Timoth.* 2. *Profana, & vaniloquia devita: multùm enim proficiunt ad impietatem, & ſermo eorum, ut cancer ſerpit, ex quibus eſt* Hymenęus, & Philetus, *qui à ver tate fidei exciderunt, dicentes reſurrectionem jam factam eſſe, quod non poterat intelligi, niſi de reſurrectione ſpirituali. Eſt autem contrà veritatem Fidei ponere Reſurrectionem ſpiritualem, & negare corporalem:* ut vidimus circa Errorem quintum Simonis Magi.

Licitus eſt promiſcuus fœminarum uſus.

Vel per promiſcuum fœminarum uſum intelligitur fœmina libera, vel conjugata, aut aliis vinculis, puta ſanguinis ligata, nulla autem ex iis, uti licet, quod oſtendit D. Th. 2.2. q. 154. a.2. *dicitur Tobiæ* 4. *Attende tibi ab omni fornicatione, & preter uxorem tuam numquam patiaris crimen ſcire. Crimen autem importat* *Error Nicolaitarum.*

pec-

peccatum mortale. Itaque fornicatio, & omnis concubitus, qui eſt præter uxorem, eſt peccatum mortale, adeòque omnis ille concubitus, ſeu promiſcuus fœminarum uſus eſt illicitus.

Id etiam liquet, de fornicatione quidem ad Galatas 5. Ubi Apoſtolus, præmiſſa fornicatione, ſubdit, *qui talia agunt, Regnum Dei non conſequentur:* de adulterio autem. Exod. 2. *Non mœchaberis;* de inceſtu Levit. 18. *omnis homo ad proximam ſanguinis ſui non accedet, ut revelet turpitudinem ejus.*

Ratio autem eſt, quoad fornicationem; *quia eſt contra bonum prolis educandæ;* quoad adulterium, *quia violatur matrimonii fides;* quoad inceſtum, *quia homo debet naturaliter quandam honorificentiam Parentibus, & per conſequens aliis conſanguineis, qui ex eiſdem parentibus de propinquo originem trahunt, manifeſtum eſt autem, quòd in actibus venereis maxime conſiſtit quædam turpitudo honorificentiæ contraria, unde de his homines verecundantur. a.*2.8. *&* 9.

Errores Cerinthi & Ebionis. 1. *Beatitudo conſiſtit in carnis deliciis.*

D. Th. 1.2. q.2. a.8. In ſolo Deo beatitudo hominis conſiſtit. His adde citata verba Apoſtoli circa errorem præcedentem ad Galatas. Si fornicatio, ſi opera carnis conſecutioni Regni Dei adverſentur, qui fiet, ut Regnum Dei in operibus carnis conſiſtat? Sanè ſi *illa homines beatos efficere poſſent, nihil cauſę eſſet, quin pecudes quoque beatæ eſſe dicantur.* 1.2. q.2. a. 6.

2. *Legalia ſunt obſervanda cum Lege nova, ut quis ſalutem conſequatur.*

D. Th. 1.2. q.103. art.3. ad 2. *Dominus dixit moriens, conſummatum eſt. Joan.*19. *Et ideò tunc totaliter ceſſarunt Legalia, jam veritate eorum conſummata; in cujus ſignum in Paſſione Chriſti velum templi legitur eſſe ſciſſum Matth.* 27. Non igitur, cum ceſſaſſent poſt mortem Chriſti Legalia, illa quis obſervare tenebatur cum Lege nova, multò minus illorum obſervationi ſalus erat adſtricta.

Quin imò temporibus Cerinthi, cum jam ſufficienter eſſet promulgatum Evangelium, ne quidem Legalia obſervari poterant, undè tunc erant, & *mortua, & mortifera,*

tiſera, à fortiori ea quis obſervare non tenebatur.

3. *Chriſtus non habuit naturam Divinam, ſed ſolùm humanam*, Eſt error Cerintho, & Ebioni communis.

D. Th. 3. p. q. 16. a. 2. *Dicitur Rom. 9. Ex quibus eſt Chriſtus ſecundùm carnem, qui eſt ſuper omnia* Deus *benedictus in ſæcula*.

Et 1. Joan. c. 5. *Scimus quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis ſenſum, ut cognoſcamus Deum verum, & ſimus in vero filio ejus: Hic eſt* verus Deus, *& vita æterna*.

Item Apoſtolus ad Titum 3. *Apparuit Benignitas, & humanitas Salvatoris noſtri* Dei.

Adversùs hunc errorem, ut Chriſti Divinitatem aſſereret, ſcripſit omnium noviſſimus Evangelium Joannes ſic intonans. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, &* Deus erat Verbum.

Oportebat autem, inquit Angelicus 3. p. q. 1. art. 2. *Jeſum Chriſtum eſſe* Deum, *& hominem, quia homo purus ſatisfacere non poterat pro toto humano genere. Undè & Leo Papa dicit in ſermone de Nativitate. Suſcipitur à Virtute infirmitas, à Majeſtate Humilitas, ut quod noſtris remediis congruebat, unus, atque idem Dei, & hominum Mediator, & mori ex uno, & reſurgere poſſet ex altero. Niſi enim eſſet* Verus Deus, *non adferret remedium, niſi eſſet verus Homo, non præberet exemplum*.

4. *Chriſtus conceptus eſt ex ſe[illegible] ne viri*. Eſt error magis attributus Ebioni.

D. Th. 3. p. q. 28. a. 1. *dicitur Iſa. 7.* Ecce Virgo concipiet.

Sed quomodò? Reſpondens Angelus dixit Mariæ. *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi, ideòque & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei. Quia non erit impoſſibile apud Deum omne verbum*. Lucæ 1.

Hinc virtus ſupernaturalis divina, cum ſit infinita, ſicut non eſt determinata ad unum effectum, ita non eſt determinata ad modum producendi quemcumque effectum. Et ideò ſicut virtute divina fieri potuit, ut primus homo de limo terræ formaretur, ita etiam fieri potuit, ut divina virtute Corpus Chriſti formaretur de Virgine abſque virili ſemine.

APPEN-

APPENDIX AD SÆCULUM PRIMUM.

ERrores quoſdam circa ſæcula XVIII. ſtudio omiſeram, tum quia levioris momenti ſunt, ita ut de ſe facilè refellantur; tum quia ad alios (de quibus meminimus) reducuntur. Quia tamen plures me hortati ſunt, ut & ipſos (qualeſcunque ſint) in medium proferrem: idcircò votis eorum obſecundans, illos ad ſua (quibus errores viguere) pandimus ſæcula.

Thebutes. Thebutes incidit in errores, ipſi cum *Simone Mago*, & *Menandro* communes, quòd ab Epiſcopatu ambitioſè petito repulſam tuliſſet. Ejus Diſcipuli fuerunt hæc hominum, & nominum portenta *Cleobius*, *Doſitheus*, *Gortheus*, & *Malbotheus*. De his omnibus Nicephorus l. 4. c. 7.

Alexander Ærarius. De Alexandro Ærario ſic loquitur Apoſtolus 1. ad Timoth. 1. *Quidam . . circa fidem naufragaverunt; ex quibus eſt Hymenæus, & Alexander; quos tradidi ſatanæ, ut diſcant non blaſphemare.* Item 2. ad Timoth. 4. *Alexander Ærarius multa mala mihi oſtendit: reddet illi Dominus ſecundùm opera ejus, quem & tu devita: valdè enim reſtitit verbis noſtris.*

Veroſimile eſt, eum cum *Hymenæo*, & *Phileto* corporalem reſurrectionem corporum detorſiſſe ad novam, & commentitiam ſignificationem, ad *ſpiritualem* ſcilicet duntaxat reſurrectionem. Vide paginam 6. & 13.

Diotrephes. Diotrephes à Joanne Apoſtolo epiſt. 3. v. 9. 10. condemnatus eſt, quòd *amaret primatum gerere*, quod ipſum Apoſtolum Joannem *non reciperet*, imò *verbis malignis* in eum *garriret*, quòd neque *ipſe ſuſciperet fratres* peregrinos pro nomine Dei itinera conficientes, *& eos, qui ſuſcipiebant, prohiberet, & de Eccleſia ejiceret.*

ERRO-

ERRONES

SÆCULI SECUNDI.

HUjus Author hęreſis fuit *Elxai* Pſeudo-propheta ex Judæis oriundus. *Helceſeitæ.*

Spiritum ſanctum ſexu eſſe fœminam, & Chriſti ſororem evomebant Helceſeitę, utrique molem corpoream portentoſam affigentes.

Sed hac pretermiſſa blaſphemia, quam vel referre pudet, pręcipuus illorum error conſiſtebat in eo, quod docerent, *non eſſe peccatum ore negare fidem, dummodo quis corde in fide permaneat.*

Nefarium id dogma viam ſtravit Seculo 3. Diſſimulationi impię, pernicioſę, execrandę Libellaticorum, qui libellos à Magiſtratibus Ethnicis numerata pecunia obtinuerant fidem facientes ipſos Cęſarum edictis de cultu Idolorum (quę tamen non adoraverant) paruiſſe. *Prodromi Libellaticorũ.*

Porrò librum circumferebant Helceſeitę, quem jactabant è Cœlo delapſum, cujus doctrinę qui credidiſſet, remiſſionem peccatorum conſequeretur diverſam à remiſſione peccatorum per Jeſum Chriſtum. Tempore S. Epiphanii duas mulierculas ex ſtirpe Elxai *Marthum*, & *Marthanam* tanta veneratione proſequebantur, ut pulverem pedibus earum adhęrentem, & ſputa ad amuleta, & phylacteria facienda colligerent, quę morbis pręſentiſſima eſſe remedia aſſeverabant.

Carpocras natus Alexandrię frena laxans carni fuit author *Gnoſticorum*. Omni rupto vel umbratilis honeſtatis repagulo, in quamcumque ſe iſti obſcęnitatem pręcipitabant. Impuritatis exercebant non tam crimina, quàm monſtra. Nulla fuit turpitudo, aut modus ullus libidinis imaginationi pervius, quo ſe non conſpurcarint. Semine humano in ſacris libabant, & ne in coitu mulier conciperet; ſtudioſè obſiſtebant; at ſi quę fortè concepiſſet, fœtum ex utero erutum (horreſco referens) ei aromata admiſcentes, in mortario contundebant, coctum manducabant, & hoc nefan- *Gnoſtici.*

neſandum Lycaonis epulum *Paſcha* appellabant. Quamvis in rebus ad fidem, & mores ſpectantibus fuerint talpis cæciores, ſibi nihilominus *Gnoſtico-rum*, id eſt, Sapientum nomen arrogabant.

Cætera ipſorum flagitia ſanctus Epiphanius, licet renitens accuratè narrat hæreſi 26. Sed eà tamquam mortui cadaver fœtidi, ac cujuſdam peſtiferi afflatus, in ſepulchrum abiici jam ſatius eſt, ne vel auditu ipſo perniciem afferant.

Nulla ſanè Hęreſis plus detrimenti, quam iſta intulit Eccleſię. Nam Ethnici, cum tot profligata ſcirent committi flagitia à Gnoſticis, qui de Chriſtiano nomine gloriabantur, illa etiam à veris Chriſtianis perpetrari ſibi perſuadebant, ea ipſis exprobrabant, & falſa de Religione noſtra opinione imbuti, eam omnibus diris dévovebant velut ſectam propudioſarum etiam naturę adverſantium ſentinam libidinum, & infanda offerentem Sacrificia.

Hi communiter de Gnoſticis circumferuntur errores.

1. *Licita eſt omnis luxuria.*

2. *Chriſtus non eſt natus de Maria, ſed per Mariam oſtenſus.*

3. *Martyrium non eſt ſanctum, ſeu actus virtutis.* Eheu! quot homines hoc perverſo dogmate à martyrio non arcuerunt Gnoſtici!

4. *Non eſt futurum judicium extremum.*

5. *Non ſunt admittendæ Traditiones.* Hoc docuerut etiam Marcion, Eunomius, Macedonius, Neſtorius, Eutyches, aliique infrà recenſendi.

Adamitæ. *Prodicus* è *Gnoſticorum* Schola infamem Adamitarum ſectam, ne quid carnis ſpurcitię deeſſet, inſtituit. Hi ſuis in conventiculis, omni pudore depoſito, nudi ſuos ritus obibant. Uxorum communio decretum erat ſectę, promiſcuus concubitus myſtica initiatio. Si quis eorum judicio in culpam lapſus videretur, hunc è ſua pellebant Eccleſia, ut Adamum è Paradiſo: ſuam namque Eccleſiam Paradiſi nomine decorabant.

Ne doctrina à factis degeneraret, docuerunt, *nu-*

ditatem Adæ in ſtatu innocentiæ imitandam eſſe.

Antitactæ prodierunt quoque è Gnoſticorum colluvie. Docebant *peccatum non eſſe ſupplicio, ſed præmio dignum.* *Antitactæ.*

Cerdon primò errorem ſparſit in Syria; deindè Romam ſe contulit ſub Hyginio Pontifice maximo. Verùm admiratione res digna eſt, procaciſſimum Hæreſiarcham Romam advenientem, ita Majeſtate ejus Eccleſiæ perculſum fuiſſe, ut non auſus fuerit palam ſuas eructare blaſphemias, ſed fidem Catholicam ſimulando, ſe æquè Catholicum profeſſus fuerit, & non niſi clanculùm diſputationis occaſione capta Hæreſes propinaverit. *Cerdon.*

Detectus palinodiam cecinit, & acta pœnitentia, fuit Eccleſiæ reſtitutus: ſed relapſus, & varias iterum nunc reſipiſcentiæ, nunc erroris indutus formas, tandem hæreſi immortuus eſt.

Introduxit *duos Deos, unum Bonum, alterum malum*, ita facem præferens *Manichæis*. Negavit etiam Chriſti Incarnationem.

Diriſſima ex Ponto afflata peſtis Marcion vehementer afflixit Eccleſiam. Oriundus erat ex urbe cui nomen *Synope*, ad Pontum ſita Euxinum, à Patre genitus, qui poſt mortem Conjugis, ob vitæ integritatem, ad Epiſcopatum promotus fuit. Ab hoc Marcion ſanctè educatus, in teterrima vitia deflexit, conſecratam Deo virginem corrumpens; qua ex cauſa à proprio Patre excommunicatus, Romam confugit ſperans ſe communioni à Romano Pontifice redditum iri. Verùm ob nequitiam ſuam ſpe illa fruſtratus, Cerdoni ſe adiunxit, illumque nactus Impietatis magiſtrum, eo ſuperior Hæreſeos ſuæ virus latius diffudit, multoſque pervertit, ex quibus tamen plurimos divinus ille Polycarpus, qui tunc Romam cum Aniceto Papa de rebus Eccleſiæ collaturus advenerat, ad Fidem reduxit Catholicam. Polycarpo Marcion aliquando Romæ occurrens procaciter dixit: *Cognoſciſne nos?* cui ille: *Cognoſco te primogenitum Diaboli.* *Marcion.*

Sed audiatur Tertullianus omnem ſtyli & energiam, & gravitatem in hunc vibrans Hereſiarcham lib. 1. con-

tra Marcio: c. 1. *Nihil tam Barbarum, ac triſte apud Pontum, quàm quòd illic Marcion natus eſt, Scytha terrior, Maſſageta inhumanior, Amazone audacior, nubilo obſcurior, hyeme frigidior, gelu fragilior, Iſtro fallacior, Caucaſo abruptior: jam & beſtiis illius Barbariæ importunior Marcion. Quis enim tam caſtrator carnis caſtor, quàm qui Nuptias abſtulit? quis tam comeſor mus Ponticus, quàm qui Evangelia corroſit? Næ tu, Euxine, probabiliorem feram Philoſophis edidiſti, quàm Chriſtianis. Nam illa Canicula Diogenes hominem invenire cupiebat lucernam meridie circumferens: Marcion Deum, quem invenerat, extincto Fidei ſuæ lumine amiſit.*

Hi verò ſunt ipſius errores.

1. *Conjugia ſunt illicita.*
1. *Non eſt futura corporum reſurrectio.*
3. *Lex vetus fuit mala.*

Solum Lucæ, ſed truncatum quoque, cæteris exploſis, Evangelium admittebat. Et circa hoc alludit citatus Tertullianus.

Apelles. Apelles Marcionis diſcipulus, præter alios errores, quos cum ipſo communes habuit, à Virgine quadam Philumene revelationes, & miracula fabricante, deceptus, ac depravatus, finxit, quòd *Filius Dei è Cælo deſcendens carnem ſibi contexuerit aeream, eamque in aſcenſu ſingulis reddiderit elementis.*

Suſtinuit etiam *Prophetias eſſe falſas.*

Valentinus. Valentinus Ægyptius ob amiſſum, quem ſpe devoraverat, Epiſcopatum, ab Eccleſia defecit. Romam veniens errores abjurat, ſed mox ad vomitum reverſus, ab iis avelli non potuit. Unde obiit pertinax.

Præter ſuos Æonas à Nicolaitis deprомptos, Palmaris ejus error conſiſtebat in eo, quod doceret, *Chriſtum Dominum corpus de Cęlo detuliſſe, nec quidquam de Virgine ſumpſiſſe, ſed per eam, quaſi aquam per fiſtulam tranſiiſſe;* ſeu (ut Tertulliani verbis utar) *illum per Virginem, non ex Virgine fuiſſe editum, quia delatus in Virginem tranſmeatorio potiùs, quàm generatorio more proceſſit, per ipſam, non ex ipſa; non Matrem eam, ſed viam paſſus.*

E Va-

E Valentino proruperunt *Cainani*, *Ophitæ*, *Sethiani*. Cainani dicebant *Cainum* à potentiori quadam virtute eſſe derivatum, nec non *Core*, *Dathan*, *& Abiron*, *& Sodomitas*; *Judam* etiam *Iſcariotem*. Quapropter impios illos, ac reprobos *divino* quoque colebant *honore*. Evangelium ſub ejuſdem Judæ nomine, alioſque nefarios libellos diſpergebant. Præter hæc, addebant Core, Dathan, & Abiron ita Deo fuiſſe abſconditos, ut nihil eis mali inferre potuerit. *Cainani.*

Ophitæ Chriſtum in ſerpentis ſpeciem transformatum aſſerebant, ſive *hunc ipſum* ſerpentem eſſe dicebant, qui Adamum, & Evam decepit. Serpentem propterea adorabant, & in menſam, ubi propoſiti panes erant, incantationibus quibuſdam è Spelunca, in qua nutriebatur, advocatum, & circa panes illos gyrantem oſculabantur: ſic verò panes à ſerpente Chriſto ſanctificatos confringebant in Euchariſtiam, ac populo tradebant. *Ophitæ.*

Sethiani hanc fabulam procuderunt. Dicebant duos eſſe homines ab Angelis creatos, *Cain*, *& Abel*, & propter hoc magnas inter Angelos contentiones extitiſſe; atque hanc ob cauſam, illam virtutem, quæ ſuper omnes virtutes eſſet, quam Matrem pronuntiabant, Abele interfecto, voluiſſe concipi ejus loco *Seth* purum ſemen, ut evacuarentur Angeli illi, qui duos priores illos homines condidiſſent. Permixtiones autem Angelorum, & hominum iniquas fuiſſe; ideoque illam virtutem Matrem, ad vindictam Cataclyſmum induxiſſe, ut illud permixtionis ſemen tolleretur, & ſolum ſemen purum conſervaretur: Verùm & illos, qui ſemen prius inſtituiſſent, clam Matre virtute, cum octo animabus in arca miſiſſe etiam ſemen *Cain*, ut ſemen malitiæ non periret, ſed poſt Cataclyſmum exemplo cæterorum excreſceret, ac totum orbem impleret, & occuparet. *Sethiani.*

Porrò Sethiani ſuſtinebant *Seth* eſſe *ipſum Chriſtum*, illumque ut talem ab omnibus *adorandum* exhibebant.

Ex eodem Valentini ſeminario profluxere *Ptolomæus*, *Archontici*, *Florinus*, *& Blaſtus*.

BIBLIOTECA ... PARMA ... VITTORIO EMANUELE

Ptolomæus. Ptolomæus, præter Æonas diverſo modo, prout labefactata ferebat phantaſia, explicatos docuit: *Deum præcipere impoſſibilia.*

Per iſtos autem *Æones* vel intelliguntur *Sæcula*, vel mediæ illæ Deum inter, & Creaturam ſubſtantiæ, quę neceſſariò à Deo emanabant, nec tamen Deus ipſe erant: atque has, poſt Platonicos finxere tum hic Ptolomæus, tum Baſilides, Nicolaitæ, Valentinus, aliique. Sed hæc apage commenta.

Archontici. Archontici penitus abjiciebant *Sacramenta*: dicentes, *non oportet eſſe Divina Myſteria, quæ ſunt inviſibilium ſigna, nec incorporalia per viſibilia, ac corporalia eſſe communicanda.* Porrò illi cœteris ad alios fallendos erant aſtutiores, quod ſolitariè agentes renuntiationem omnium præ ſe ferrent, & ſe fuco ſanctitatis oblinirent. Teſtatur Epiphanius eos ad ſua uſque tempora viguiſſe in Paleſtina.

Florinus. Florinus evibravit *Deum eſſe auctorem peccati.*

Blaſtus Dux Quartodecimanorum. Blaſtus docuit *Paſcha celebrandum eſſe more Judæorum Luna decima-quarta menſis primi*, ita Legalia reſuſcitans. Vide refutationem erroris.

Tatianus. Tatianus Natione Syrus, S. Juſtini Philoſophi, & Martyris, (à quo Fidem hauſit) Diſcipulus, ſtrenuè pro Fide dimicavit, quoad vixit Profeſſor ejus: poſt illius verò felicem obitum, ſcientia ſua elatus, & Doctoris nomen ſibi arrogans, in hæreſim lapſus eſt, & ſectæ *Encratiarum* ortum dedit.

Illi à vino abſtinebant, quòd improbos eo duntaxat uti cenſerent. Deteſtabantur etiam *Nuptias*. Hinc *Encratitæ* dicti ſunt, id eſt, continentes. Deinde ſolam aquam ad Myſteria ſua adhibebant, undè & *Aquarii* appellati ſunt. Hi ſunt igitur potiſſimi ipſorum errores.

1. *Sola aqua in Altaris ſacrificio offerenda eſt.*
2. *Uſus vini eſt illicitus.*

Cæterum Evangelium compoſuit Tatianus, quod *Diateſſaron* dicitur; id eſt, unum ex aliis quatuor compactum, in quo deſiderabantur Genealogiæ, & omnes textus, qui Dominum ex ſemine David ſecundum carnem natum oſtendunt. Ex quo liquet, illum cum *Sa-*

tur-

turnino, *Cerdone*, aliiſque Dominicam negaſſe Incarnationem.

Severus *Tatiani* errores amplexus; ultra iſtos, Pauli Epiſtolas, & Acta Apoſtolorum rejiciebat. Sacrarum etiam Literarum ſenſus, & ſententias pro *Arbitratu* interpretabatur: ſic certè tot ante ſęcula viam ſignans *Sectariis noſtris* idem factitantibus. *Sectarij.*

Montanus in Myſia Phrygię natus inſatiabili Primatus cupiditate incenſus malo arreptus ſpiritu, furioſo impetu, ac peregrinis vocibus Prophetam cœpit profiteri: nactus ad eam rem duas, quas à maritis abduxit, Nobiles, & opulentas Mulieres *Priſcillam*, & *Maximillam*, quas pariter maligno ſpiritu afflatus prophetare docuit. Libros etiam ſcribebant illæ, quos propheticis adæquabat *Montanus*. Porrò ut plures ille deciperet, interdum promiſſorum magnitudine ſectatores alliciebat; interdum conjecturis, & rationibus in ſpeciem probabilibus nixus, apertè eorum peccata arguebat, ut vitiorum hoſtis, & corrector videretur. Catholicos, qui ipſi, & ejus Prophetiſſis furioſè, ineptè, & novo, ac peregrino modo garrientibus reſiſtebant, Prophetarum vocabat interfectores. Silentium fruſtra indixit ei Eccleſia, & illum tandem cum ſequacibus anathemate feriit. Denique *Montanum*, & *Maximillam* ſibi laqueo mortem conſciviſſe, & eorum inſtar Judę proditoris, effuſa fuiſſe viſcera, teſtatur Apollinaris Hierapolitanus apud Euſebium lib. 5. c. 15. *Montanus.*

Hi modo ſunt pręcipui Montaniſtarum errores.

1. Docebant, *promiſſionem Domini de dando Spiritu ſancto Paraclito*, *non fuiſſe completam in Apoſtolis*, *ſed in Montano*, *& Priſcilla*.

2. Damnabant *ſecundas Nuptias tamquam ſcortationes*.

3. Aſſerebant *nunquam licere perſecutionis tempore fugere Martyrium*.

4. *Nunquam à fortiori*, dicebant, *licet illud fugere Epiſcopis*, *vel Paſtoribus in iiſdem circumſtantiis*.

5. Nova jejunia obſervanda ſtatuebant *tanquam ad ſalutem neceſſaria*, *tres ſcilicet Quadrageſimas*.

Ex Montani hęreſi varii pullularunt ſurculi, ut *Ca-*

taphryges, *Artotyritæ*, *Pepuziani*, *Aſcodrogitæ*, *Pattalorinchitæ*.

Cataphryges. Cataphryges perhibebantur de infantis ſanguine, quem de toto ejus corpore minutis punctionum vulneribus extorquebant, quaſi Euchariſtiam ſuam conficere, miſcentes eum cum farina, panemque inde conflantes. Puer ille ſi moreretur, apud eos habebatur pro Martyre; ſi ſuperſtes foret, pro magno Sacerdote. Sunt nonnulli, qui factum negant ob horribilem criminis immanitatem, ſed videtur prævalere illuſtrium Doctorum, ut *Epiphanii*, & *Auguſtini* authoritas illud aſſerentium.

Proclus. Inter Cataphrygas celebrior extitit *Proclus*. Illi Gajus vir diſertiſſimus coram Zephyrino Pontifice diſputans os planè obſtruxit.

Inter alia tradidit, *concupiſcentiam eſſe peccatum*.

Artotyritæ. Artotyritæ ſic appellati ſunt, quòd *in Sacramento Euchariſtiæ panem*, *& caſeum offerrent*.

Pepuziani. Pepuziani a *Pepuza* vico Phrygiæ, quem incolebant nuncupati, Mulieres ad Epiſcopatum, & Presbyteratum evehebant, docentes, *illas eſſe iſtorum graduum capaces*, *nec ullum ſexus habendum eſſe diſcrimen*.

Aſcodrogitæ. Aſcodrogitæ ſe *Montani* ſpiritu inſtructos eſſe jactantes, inſanis mentibus inſtar bacchantium furentes agebantur. Hinc pellem novo vino juxta Altare adimplebant, & linteolis tectam choreis diſſolutioribus vacantes circuibant, dicentes ſe eſſe *utres novos*, de quibus Chriſtus loquitur Matth. 9. *Vinum novum in utres novos mittunt*, *& ambo conſervantur*.

Pattalorinchitæ. Pattalorinchitæ ſic vocati ſunt, quòd ſuperſtitiosè naribus, vel ori palum, aut hujus defectu digitum apponerent, ut ſic ſtrictius ſervarent ſilentium. *Pattalos* enim palum ſignificat, & *Rinchos* naſum.

Bardeſanes. Bardeſanes Syrus Edeſſæ natus, fuit in Eccleſia celeberrimus, tum ob ſingularem eruditionem, tum ob eximiam in fide propaganda conſtantiam. Cum enim Apollonius Chalcedonius inter Stoicos illius Sæculi Philoſophos facilè Princeps, & Imperatoris Aurelii Antonini familiaris aliquando conatus eſſet illum Gentiliſmo inſerere, non ſolùm id conſtanter renuit, ſed egregiam quoque pro Chriſtiana Religione defenſionem

ſionem edidit, quod ejus opus laudat Hieronymus libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis.

Sed eheu! Valentiniani erroris maculam, quamvis non in omnibus illum ſectatus fuerit, tam pręclarę famę inſperſit. Undè lugendus profectò eſt tanti viri lapſus. Scripſit enim propemodum infinita adversùs omnes fermè Hęreticos, qui ejus ętate emerſerant: in quibus eminet Liber ille *de fato*, quem Cęſari Aurelio inſcripſit. Undè falſum eſt, eum docuiſſe, quod *ſideribus, & fato eſſet imputanda hominum converſatio*. Nihil enim validius, quam *fatum* Bardeſanes in eo opere impugnat. Credendum eſt, aſſertionem illam fuiſſe Bardeſanis inſinuatam libris ab ejus ſectariis, qui poſtea fuerunt; & ab eo ſunt dicti *Bardeſaniſtæ*. Proindè error ille non eſt Bardeſanis, ſed *Bardeſaniſtarum*.

Theodotus patria Byſantinus, arte Coriarius, Chriſti nomine ſub Marco Aurelio in perſecutione negato, ut ſe à juſtis fidelium exprobrationibus tueretur, Deum ſe non negaſſe, ſed hominem duntaxat, Chriſtum ſcilicet, blateravit, ac deinceps *Chriſtum eſſe purum, ac merum hominem* impiè cum Cerintho, Ebione, aliiſque ſuſtinuit. *Theodotus Coriarius.*

Theodoto Coriario ſeſe adjunxit *Theodotus* Argentarius, qui ejus errori addidit, *Melchiſedech eſſe ipſum Chriſtum, cum Melchiſedech ſit ſine Patre, & Matre*, imò *Chriſto majorem*, eo Davidis verſu abuſus, *tu es Sacerdos in æternum ſecundùm Ordinem Melchiſedech*. ejus ſectatores *Melchiſedechiani* vocati ſunt. *Theodotus Argentarius.*

Sanè mirandum non eſt, Sectarios, pręſertim Sęculo 16. è Sutrinis, Calceariis, vel Fabrilibus tabernis conſcendiſſe crebrò Cathedram; pręiverant *Theodoti* ignobilium artium profeſſores: nec rursùs mirum eſt, quod Hęretici tam audacter Scripturas ſacras negent, detruncent, augeant, immutent, corrumpant & pervertant ſecundùm libitum: viam illis hi pręclari Duces aperuerunt. Hi magna inſcitia, & impudentia auſi ſunt dicere, *ſe illa corrigere, quæ non benè in Sacris Paginis haberentur*, atque ita ſe Spiritu Sancto ſapientiores pronuntiare. *Reflexio ad Sectarios.*

Praxeas Montaniſta primum, deinde Montani fuit *Praxea.*

fuit hoſtis infenſiſſimus, Romamque ſe conferens, Pontificem de ſecta illius reddidit certiorem : ſed detectus & ipſe Hæreticus, erroris pœnitens illum retractavit. At eundem rursùs poſtea excuſſa fronte diſſeminavit.

Docuit, Deum Patrem Omnipotentem eſſe Jeſum Chriſtum, *illumque Crucifixum*, *Paſſum*, *ac Mortuum*, *præterea ſeipſum ſibi ſedere ad dexteram Patris*. Hinc ejus aſſeclæ *Patro-paſſiani* ſunt nuncupati. Vide *Noetum*, & *Sabellium* Sæculo 3. quorum fuit præcurſor.

Hermogenes. Hermogenes primò docuit in Africa, deinde, cadente ſecundo Sæculo, à Chriſtianis ad Philoſophos ſtoicos defecit. Illius præcipuus error in eo fuit, quòd aſſereret *materiam eſſe Deo coæternam*.

Seleucus Ex cœnoſo Hermogenis gurgite manavit Seleucus. Hic præter errorem illius de *materia*, negavit *Salvatorem in Carne ſedere ad dexteram Patris*, aſſerens, *quod Carnem in ſole poſuerit*.

Refelluntur Errores Sæculi ſecundi.

Error Helceſeitarum. *Non eſt peccatum ore negare fidem, dummodò quis corde in Fide permaneat.*

D. Thomas 2. 2. qu. 110. art. 3. & 4. *Dicitur Eccleſiaſtici* 7. *Noli velle mentiri omne mendacium, unde omne mendacium eſt peccatum : conſiſtit autem mendacium in hoc, quòd quis voce ſignificet id, quod non habet in mente :* proinde mendacium eſt Fidem corde retentam ore negare ; cumque mendacium illud verſetur in materia *Religionis*, *peccatum eſt* ſanè *graviſſimum*.

Licet quidem interdum celare Fidem, dum quis V. G. à legitima non interrogatur Authoritate, nunquam tamen licet negare Fidem. *Qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in Cœlis eſt*. Matth. 10.

Errores Gnoſticorum. 1. *Licita eſt omnis Luxuria.*

D. Thomas 2. 2. q. 153. art. 3. *Galatarum quinto Luxuria enumeratur inter opera carnis. Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia,*

tia, Luxuria. Opera autem carnis ſunt illicita. Proinde que illicita eſt Luxuria.

Ratio autem inter alias, hæc eſt. *Quia per luxuriam, cum iſta ſit inordinatus uſus corporis, injuria fit Deo, qui eſt principalis Dominus corporis noſtri. Unde dicitur* 1. *ad Corinth.* 6. *Empti eſtis prètio magno, glorificate, & portate Deum in corpore veſtro*. Portabaturne Deus in corpore *Gnoſticorum*, dùm ſe tot illi horrendis, infandiſque libidinibus contaminabant? vide etiam errorem Nicolaitarum Sæculo 1.

2. *Chriſtus non eſt natus de Maria, ſed per Mariam oſtenſus*.

D.Th.3.p.q.31. a.4. *Dicitur Gal.* 14. *Miſit Deus Filium ſuum factum ex Muliere*: ergo non per illam oſtenſum: ſi enim tantum per illam fuiſſet *oſtenſus*, deſtrueretur Incarnatio, per ejus verò ex Maria Nativitatem, *veritas Incarnationis aſtruitur. Undè Ambroſius dicit in Libro de Incarnatione. Multa in Chriſto ſecundùm naturam invenies, & ultra naturam. Secundùm enim conditionem naturæ, in utero fœminei Corporis fuit: ſed ſupra conditionem Virgo concepit, Virgo generavit. Ut crederes, quia Deus erat, qui innovabat naturam, & Homo erat, qui ſecundum naturam naſcebatur ex homine. Et Auguſtinus dicit in Epiſtola ad Voluſianum. Si Omnipotens Deus hominem ubicumque formatum non ex Materno utero crearet, ſed repentinum inferret*(ſeu oſtenderet) *aſpectibus, nonnè opinionem confirmaret erroris, nec Hominem verum ſuſcepiſſe ullo modo crederetur? dum omnia mirabiliter facit, auferret, quod miſericorditer fecit*.

3. *Martyrium non eſt Sanctum*, ſeu *actus virtutis*.

D. Th.2.2. q.124. art.1. & 3. *Præmium Beatitudinis non debetur niſi actui virtutis: debetur autem tale prẹmium Martyrio ſecundùm illud Matth.* 5. *Beati, qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt Regnum Cœlorum. Martyrium* itaque *eſt actus virtutis*.

Imò maximæ Virtutis, & perfectionis; *quia ut Apoſtolus dicit ad Coloſſ.* 3. *Charitas eſt vinculum perfectionis. Martyrium autem inter omnes actus virtutis, ma-*

maximè demonſtrat perfectionem Charitatis: quia tantò magis oſtenditur aliquis rem amare: quantò pro ea rem magis amatam contemnit, & rem magis odioſam eligit pati. Manifeſtum eſt autem, quòd inter omnia alia bona præſentis vitæ maximè amat homo ipſam vitam, & è contrario maximè odit ipſam mortem, & præcipuè cum doloribus corporalium tormentorum. Adeòque Martyrium eſt maximæ perfectionis, utpote *maximæ Charitatis ſignum, ſecundùm illud Jo: 5. Majorem Charitatem nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.*

Sectarij. 4. *Non eſt futurum judicium.*

D. Th. in ſuppl. q. 88. art. 1. *Matth. 12. dicitur: Viri Ninivitæ ſurgent in judicio cum Generatione iſta, & condemnabunt eam: igitur poſt reſurrectionem, aliquod judicium fiet.*

Præterea Jo. 5. dicitur: Procedent, qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in reſurrectionem judicii.

Nec tamen Deus judicabit bis in idipſum; quia non duas pœnas pro uno peccato inferet, ſed pœna, quæ ante judicium completè inflicta non erat, in ultimo judicio complebitur: tunc impii cruciabuntur quoad corpus, & animam ſimul.

5. *Non ſunt admittendæ Traditiones.*

D. Th. 3. p. q. 25. ad 4. *Dicitur 2. ad Theſſ. 2. State, & tenete Traditiones, quas didiciſtis ſive per Sermonem, ſcilicet ore prolatum, ſive per Epiſtolam ſcilicet ſcripto tranſmiſſam.*

Nuditas Adæ in ſtatu innocentiæ imitanda eſt.

Error Adamitarum. D. Th. Opuſculo 5. cui titulus de Sacramentis Eccleſiæ, fermè circa finem. *Eſt error quorumdam, qui dicuntur Adamani* (ſeu Adamitæ,) *hi imitantur nuditatem Adæ, nudi Mares, Fœminæque conveniunt, nudi lectionem audiunt, nudi orant, Sacramenta nudi celebrant: contra quos dicitur* 1. *Corinth.* 14. *Omnia honeſtè fiant in vobis.*

Adæ etiam, & Evæ poſt peccatum (quod omnes Adæ poſteri contrahunt) *fecit Dominus tunicas pelliceas, & induit eos: Geneſ.* 3.

Pec-

Peccatum non ſupplicio, ſed præmio dignum eſt.

D.Th. in ſuppl. q.99. a.1. in corp. *Dicitur Matth.25. Ibunt (ſcilicet peccatores) in ſupplicium æternum.* Non igitur peccatum præmio, ſed ſupplicio dignum eſt. **Error Antitactarum.**

Duo ſunt Dii, unus bonus, alter malus.

D. Th. 1. p. q. 11. a. 3. *Dicitur Deuter. 6. Audi Iſrael, Dominus Deus tuus.* Deus unus eſt. Plura infra ad errorem 1. Manichęorum, Sæculo 3. **Error Cerdonis.**

1. & 2. Errores Marcionis concernentes *Nuptias*, & *reſurrectionem corporum* ſupra Sęculo 1. tum in Saturnino, tum Simone Mago refutati ſunt. **Errores Marcionis.**

3. *Lex vetus fuit mala.*

D. Th. 1. 2. q.98. ar.1. *Apoſtolus dicit ad Rom. 7. Itaque lex ſancta eſt, & mandatum ſanctum, & juſtum, & bonum.* Et paulò poſt, *Conſentio legi, quoniam bona eſt.* Vide infra errorem 8. Manichæorum citato Sæculo.

1. *Chriſtus aeream ſibi carnem contexuit, eamque in aſcenſu ſingulis elementis reddidit.* De eo ſtatim ad errorem *Valentini*. **Errores Apellis.**

2. *Prophetiæ ſunt falſæ.*

D. Th. 2.2. q. 171. a. 6. *Prophetia eſt quædam cognitio intellectui Prophetæ impreſſa ex revelatione divina, cui impoſſibile eſt ſubeſſe falſum: unde* Prophetiæ nequit ſubeſſe falſum. Alioquin iſta falſitas in ipſum Deum refunderetur. *Non enim voluntate humana allata eſt aliquando Prophetia, ſed Spiritu Sancto locuti ſancti Dei homines* 2. Petri 1.

Chriſtus de Cęlo Corpus detulit, & ſic nihil aſſumpſit de Beata Virgine, ſed per eam, quaſi per fiſtulam tranſiit. **Error Valentini.**

D.Th. 4. contra Gentes c.30.ſub initium. *Valentinus dixit, quòd Chriſtus non terrenum corpus habuit, ſed de Cœlo apportavit, & quod nihil de Virgine Matre accepit, ſed per eam quaſi per aquæductum tranſivit. Sed* certè *ſi Chriſti corpus non fuit terrenum, in ipſo non fuit vera Caro, at omnia in eo fuerunt ſecundum apparentiam tantum, & ita etiam non fuit verus Homo, ſed apparens:* nec verè paſſionem, & mortem ſuſtinuit, *cum corpus cęleſte ſit impaſſibile.*

Quòd

Quòd verò Chriſtus per Deiparam tanquam per fiſtulam non tranſierit, ſic probat S. Doctor. *Apoſtolus dicit ad Galat.* 4. *Quòd Deus miſit Filium ſuum factum ex Muliere, & Matt.* 1. *dicitur, quòd Jacob genuit Joſeph virum Mariæ, de qua natus eſt Jeſus, qui vocatur Chriſtus*. Non autem, vel ex ea factus, vel ex ea natus diceretur, ſi ſolum per eam, ſicut per fiſtulam tranſiiſſet. Sanè cum ex ea natus ſit, ex ea verè Corpus aſſumpſit.

Atque hinc ſponte ſua ruit Error 1. Apellis de *carne aerea* à Chriſto ſibi contexta: cum enim ſit natus ex Muliere, non carnem aeream, ſed veram ſuſcepit.

Error Calnanorum, Ophitarum, Sethianorum,

Cain, Core, Dathan, Abiron &c. Divino honore colendi ſunt, item ſerpens, qui Evan decepit, & Seth.

D. Th. 2.2. q. 84. art. 1. *Dicitur Matth.* 4. *Dominum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies*: ita ut adoratio, ſeu divinus honor ne quidem Sanctis impendi poſſit. Poteritne ille igitur impendi iſtis, quorum infandam memoriam univerſum genus humanum execratur?

Quoad *Ophitas, & Sethianos*, quamvis eorum terribilis ſit blaſphemia (quæ refutatione non indiget) conſequentiùs tamen errant, cum & *ſerpentem*, qui Evam decepit, & *Seth Criſtum* fuiſſe, adeòque adorandum eſſe dicant.

Error Ptolomæi. Sectarii.

Deus præcipit impoſſibilia.

D. Th. 2. 2. q. 107. a. 4. *Dicitur* 1. *Joa.* 5. *Mandata ejus gravia non ſunt*. Et *Matth.* 11. *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve*. Deinde Deuteron. 30. dicitur. *Mandatum, quod ego pręcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum ... juxta te eſt ſermo valde in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum*, ſcilicet per gratiam Dei. Unde & Apoſtolus ad Philipp. 4. *Omnia*, inquit, *poſſum in eo, qui me confortat*. Nonne etiam plures tum in antiquo, tum novo Teſtamento mandata Dei adimplerunt? *Joſue non præteriit de univerſis mandatis, nec unum quidem verbum, quod juſſerat Dominus*. Joſue 11. Et 3. Regum 14. *Non fuiſti, ſicut ſervus meus David, qui cuſtodivit mandata mea*. Porrò Lucæ 1. Legitur de Zacharia, & Elizabeth.

Erant

Erant ambo juſti ante Deum incedentes in omnibus mandatis Domini. Et Joan. 17. Chriſtus loquens de Apoſtolis: *tui erant*, inquit, *Pater*, *& mihi eos dediſti*, & ſermonem tuum ſervaverunt. Si multi mandata Dei ſervarunt poſſunt igitur illa ſervari, proinde Deus non pręcipit impoſſibilia, *Illud, quod pręcipit Deus, non eſt impoſſibile homini ad ſervandum* q. 24. de veritate art. 17.

Sanè ſi Deus (ut alia omittamus) talia pręciperet, injuſtus maximè foret, & crudelis, utpote & imponens homini mandata, quę adimplere non poſſet, & aliundè ob eorum tranſgreſſionem graviſſimis, ac ſempiternis illum tormentis excrucians. Enormem hanc quilibet vel ſuperficie Deitatis obumbratus averſatur blaſphemiam.

Nulla omninò Sacramenta admittenda ſunt. *Error Archonticorum.*

D. Th. 3. p. q. 61. a. 1. *Pertinet ad divinam providentiam, ut unicuique rei provideat ſecundum modum ſuæ conditionis, conditionis autem naturæ humanæ proprium eſt, ut per corporalia, & ſenſibilia in ſpiritualia deducatur. Et ideò divina ſapientia homini auxilia ſalutis confert ſub quibuſdam corporalibus ſignis, quę Sacramenta dicuntur.*

Ceterum Sacramenta ſunt ſeptem: & hęc de Fide admittenda ſunt. De omnibus fit mentio in Scripturis. Baptiſmus exprimitur Joannis 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei*. Confirmatio habetur Act. 8. *Oraverunt pro ipſis* (Apoſtoli) *& tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum*. Item 2. ad Corinth. 1. *Qui* confirmat *nos Deus, & qui unxit nos, & qui ſignavit nos, & dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris*. Euchariſtia patet ex Joannis ſexto. *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam*. Pœnitentia ex Joann. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*. Extrema unctio ex Jacobi 5. *Infirmatur quis ex vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum ungentes cum oleo in Nomine Domini, & oratio Fidei ſalvabit* *Sectarii.*

infir-

infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei. Ordo liquet ex 1. ad Timoth. 4. & 2. ad Timot. 1. *Admoneo te, ut reſuſcites Gratiam, quæ eſt in Te per impoſitionem manuum mearum*. Matrimonium ex 5. ad Epheſios. *Viri diligite Uxores veſtras, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea*. Mox ſubjungitur. *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia*.

Error Florini. *Deus eſt Auctor peccati*.

D. Th. 1. 2. q. 79. a. 1. *Sapientiæ* 11. *Dicitur*. *Nihil odiſti eorum, quæ feciſti: odit autem Deus peccatum ſecundùm illud ſapientiæ* 14. *Odio eſt Deo impius, & impietas ejus, ergo Deus non eſt cauſa peccati*.

Sectarii. Sed nec eſſe poteſt. *Quia omne peccatum eſt per receſſum ab ordine, qui eſt in Deum, ſicut in finem: Deus autem omnia inclinat, & convertit in ſeipſum, ſicut in ultimum finem. Undè impoſſibile eſt, quod alicui ſit cauſa diſcedendi ab ordine ultimi finis. Unde non* poteſt eſſe cauſa peccati. Cauſa peccati eſt ſola Creatura. *Perditio tua ex te Iſrael, tantummodò in me auxilium tuum*. Oſ. 13.

Error Quarta-decimanorum. *Paſcha debet celebrari more Judæorum Luna decima quarta Menſis primi*.

D. Th. 1. 2. q. 103. art. 3. *Dominus dixit moriens Joan.* 19. *Conſummatum eſt: Et ideò tunc totaliter debuerunt ceſſare legalia, ſcilicet jam veritate eorum conſummata*. Inter legalia verò etiam referebatur celebratio Paſchatis luna decima-quarta, illud proindè præfato nunc tempore celebrari nequit.

quædam memorantur circa celebrationem Paſchatis. Porrò Paſcha ex perpetua Traditione Romanæ Eccleſiæ præſertim poſt Concilium Nicænum, celebratur in Dominica, ut pote Reſurrectione Domini conſecrata, eaque Lunam 14. primi Menſis immediatè ſequente.

Nonnulli quidem Aſiatici antè Nicænum Paſcha celebrabant Luna 14. Sed per hoc noluerunt extinctas dudum Legis Moſaicæ ſuſcitare obſervantias, nec aſſeruerunt uſquam non poſſe Paſchatis ſolemnitatem celebrari extra Lunam 14. Sed conſuetudinis ſuæ, quam tra-

traditionem Apoſtolicam arbitrabantur, tenaciòres cum iis, qui aliter Paſcha obſervabant, communione conjuncti ſemper extiterunt, nec à Romana Eccleſia, quæ Centrum eſt Eccleſiaſticæ unitatis, ſeſe ullatenus ſepararunt. *Blaſtus* verò *Quartadecimanorum* Pater docebat cum ſuis, non aliter *cuſtodiendum eſſe Paſcha niſi* Secundum legem Moyſis luna 14. menſis. *Quis autem neſciat*, inquit Tertullianus de præſcriptionibus num. 329. *Quoniam gratia Evangelica evacuatur, ſi ad* legem Chriſtum redigit? In hoc igitur erravit *Blaſtus*, & ſe ab Eccleſia diviſit.

1. *Sola Aqua in Altaris ſacrificio offerenda eſt.* *Errores Tatiani*

D. Thomas 3. p. q. 74. art. 1. *Quidam, qui dicuntur Aquarii, aquam ſolam ſub ſpecie ſobrietatis in hoc Sacramento offerunt: ſed hic error excluditur per hoc, quod Chriſtus hoc Sacramentum ſub ſpecie panis, & vini inſtituit, ut patet Matth. 26. Unde panis, &* Vinum *ſunt materia hujus Sacramenti*. Proindèque ſola aqua (quæ ex ordinatione Eccleſiæ vino apponitur) non eſt in Altaris ſacrificio offerenda.

2. *Uſus Vini eſt illicitus.*

D. Thomas 2. 2. q. 149. art. 3. *Apoſtolus dicit* 1. *ad Timoth:* 5. *Modico vino utere propter ſtomachum tuum*. Et Eccleſiaſtici 31. *dicitur, Æqua vita Hominibus vinum in ſobrietate*. Deinde 1. ad Tim: 4. *Omnis creatura Dei bona eſt*. Et Eccleſiaſtici 31. *Vinum in jucunditatem creatum eſt ab initio*. Imò, & Chriſtus Dominus vino uſus eſt, & aquas Joan. 2. mutavit in vinum optimum. Apage igitur dementem iſtum errorem.

1. *Promiſſio Domini de dando Spiritu Sancto Paracleto, non fuit completa in Apoſtolis, ſed in Montano, & Priſcilla.* *Errores Montani.*

D. Thomas 1. 2. q. 106. art. 4. *Auguſtinus dicit in Libro contra Fauſtum, & libro de Hæreſibus, quod Montanus, & Priſcilla poſuerunt, quòd Promiſſio Domini de Spiritu Sancto dando non fuit completa in Apoſtolis, ſed in eis: Et ideò non recipiebant Actus Apoſtolorum, in quibus manifeſtè oſtenditur, quòd illa promiſſio fuit in Apoſtolis completa, ſicut Dominus eis iteratò promiſit Act.* 1. *Baptizabimini in Spir. Sancto non poſt multos hos dies,*

quod impletum legitur Act. 2. Cum enim *complerentur dies Pentecoſtes factus eſt repentè de Cœlo ſonus tanquam advenientis ſpiritus vehementis, & replevit totam domum, ubi erant Apoſtoli ſedentes, & repleti ſunt omnes Spiritu Sancto.* Sed & Montani error *excluditur per hoc, quod dicitur Joan. 7. Nondum erat ſpiritus datus, quia nondum Jeſus erat Glorificatus. Ex quo datur intelligi, quod ſtatim Glorificato Chriſto in Reſurrectione, & Aſcenſione, fuit eis Spiritus Sanctus datus.*

Ex Montani exemplo negantis Actus Apoſtolorum ob rationem hìc à D. *Thoma* aſſignatam, colligitur, mirandum non eſſe, quòd moderni Sectarii varios è canone Scripturarum Sanctarum libros expunxerint. *Sectarii.* Id certè tum Antiquis, tum Novis familiare fuit, & eſt Hæreticis. Manichæi, cum Manetem (de quo Sæculo 3.) etiam dicerent eſſe Spiritum Paracletum, non recipiebant (ad Montani exemplum) actus Apoſtolorum: Marcion ſolum Lucæ (demptis quibuſdam capitibus, quæ Chriſti Incarnationem, cui adverſabatur, continebant) admittebat Evangelium. *Tatianus* compoſuit Evangelium, quod nuncupavit *Diateſſaron*, unum ſcilicet ex quatuor coacervatum, ſed orbatum Genealogia, Dominum ex ſemine David ſecundùm carnem natum oſtendente; ut idem eluderet Myſterium. Cerinthus, & Ebion inficiati ſunt eos libros, ea capitula, quæ Chriſti Divinitatem adſtruebant. Id & alii factitarunt negantes, quæ ſibi refragabantur (prout ferax errorum phantaſia dictabat) amplectentes quæ ſuffragabantur, Scripturas. Ita & modò Sectarii exoſculantur, qui ſibi favent, qui repugnant, hos repudiant Codices. Alios inter reiiciunt Machabæorum Libros quia patrocinantur (quas averſantur) *precibus pro defunctis*. Lutherus Epiſtolam Jacobi *contentioſam*, *tumidam*, *aridam*, *ſtramineam* appellat: quia hoc ſcripto confoditur, dum in *ſola Fide* (ſine operibus) juſtitiam collocat. Alia prætereo paſſim obvia. Eccleſiæ ſanè ſolius eſt judicare, quinam ſint Libri veri, genuini, indubitati, Canonici; illa ſola eſt diſcretrix ſacrarum Literarum, cum ſit *Columna, & firmamentum veritatis*, 1. ad Timoth. 3.

2. Se-

2. *Secunda Nuptiæ non ſunt Licita, ſed ſcortationes.*

D. Thomas in ſupplemento q. 63. a. 1. *Dicit Apoſtolus* 1. *ad Timoth.* 5. *Volo ego juniores* (*ſcilicet viduas*) *nubere, filios procreare.* Et ad Rom. 7. *Mulier, vivente viro, vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro, ſi autem mortuus fuerit vir ejus, liberata eſt à lege viri, ut non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro. Et ſic non ſolùm* ſecundæ, *ſed tertiæ, & deinceps Nuptiæ ſunt licitæ.* Proinde illæ non ſunt ſcortationes.

3. *Non licet perſecutionis tempore fugere Martyrium.*

D. Thomas 2. 2. q. 185. a. 5. *Apoſtolis dixit Dominus Matth.* 10. *Si vos perſecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam.*

Et ratio eſt (2. 2. q. 3. a. 2.) quia *confeſſio fidei cum ſit quoddam affirmativum, non poteſt cadere, niſi ſub præcepto affirmativo. Præcepta autem affirmativa non obligant ad ſemper: adeòque confiteri Fidem nòn ſemper, neque in quolibet loco eſt de neceſſitate ſalutis;* licet igitur per fugam declinare confeſſionem fidei, proindeque emergens ex fidei confeſſione Martyrium.

4. *Nunquam licet à fortiori Epiſcopis, vel Paſtoribus fugere Martyrium.*

Præter authoritatem Scripturæ, & rationem Angelici adversùs hanc quoque aſſertionem militantes, ſic præterea D. Thomas loco priori citato in corpore. *In qualibet obligatione præcipuè attendi debet obligationis finis. Obligant autem ſe Epiſcopi, & Paſtores ad exequendum Paſtorale officium propter ſubditorum ſalutem . . . & ideo ſi ſubditorum ſaluti poſſit ſufficienter in abſentia Paſtoris per alium provideri: tunc* licet Paſtori vel propter aliquod Eccleſiæ commodum, vel propter perſonæ periculum corporaliter gregem deſerere. *Unde Auguſtinus dicit in Epiſtola ad Honoratum. Fugiant de civitate in civitatem ſervi Chriſti, quando eorum quiſquam ſpecialiter à perſecutoribus quæritur, ut ab aliis, qui non ita quæruntur, non deſeratur Eccleſia.* Itaque Epiſcopis, vel Paſtoribus quandoque licet fugere Martyrium.

Illud etiam conſtat ex eo, quòd ipſemet Apoſtolus

vividum illud, & pręclariſſimum Paſtoralis officii exemplar, cognitis Judęorum inſidiis, eas declinarit *per murum in ſportam dimiſſus* Act. 9. & quod, cum plures quàm quadraginta viri devoviſſent, ſe nihil guſtaturos donec eum interficerent, per filium ſororis ſuę curarit hoc tribuno ſignificari ut ejus induſtriâ poſſet evadere Act. 23.

Quod ſi tamen *ſubditorum ſalus exigit* (inquit S. Doctor) *perſonæ Paſtoris præſentiam, non debet Paſtor perſonaliter ſuum gregem deſerere, neque propter aliquod commodum temporale, neque propter aliquod periculum perſonale imminens, cum bonus Paſtor animam ſuam ponere teneatur pro ovibus ſuis.*

3. *Tres Quadrageſimæ obſervandæ ſunt tamquam ad ſalutem neceſſariæ.*

D. Thomas 2. 2. q. 10. a. 12. *Conſuetudo Eccleſiæ ſemper eſt in omnibus æmulanda.* Fuit verò ſemper Eccleſiæ conſuetudo, quòd illa duntaxat *unam* ex Apoſtolica Traditione obſervarit Quadrageſimam, non igitur tres obſervandæ ſunt tanquam ad ſalutem neceſſariæ.

Multi quidem Regulares Ordines plura in anno ſervant jejunia tribus quodammodò Quadrageſimis æquivalentia, ſed hujuſmodi leges non ſunt *univerſæ*, ut Montanus volebat, præſcriptæ Eccleſiæ, at illis tantùm, qui arctiori diſciplinæ vinculo, voto, inquam, ſe, Conſtitutionibus talia jejunia continentibus adſtrinxerint.

Perperam proindè nonnulli ſectarii, Religioſos *Montaniſmi* arguunt, qui ultra Quadrageſimam alia prolixa obſervant in anno jejunia.

Error Cataphrygum. *Materia Euchariſtiæ eſt Panis ex infantis ſanguine, & farina confectus.*

Refutabitur cum errore mediatè ſequenti.

Concupiſcentia eſt peccatum.

Error Procli. D. Thomas 1. 2. q. 80. a. 3. ad 3. *Concupiſcentia carnis contra ſpiritum, quando ratio ei actualiter reſiſtit,* non eſt peccatum; *ſed materia exercendæ Virtutis.*

Sed nonnè dicitur, *non concupiſces?* Sanè adverſùs præceptum illud non impingit homo, dum motus illos carnis, ſeu concupiſcentiæ invitus, & non conſentiens pati-

patitur. *Fruſtrà dictum eſt*, inquit Auguſtinus lib. 5. Contra Julianum cap. 3. Poſt concupiſcentias tuas non eas. Eccleſiaſtici 18. *Si jam quiſque reus eſt, quia tumultuantes, & ad mala trahere nitentes ſentit eas*. Concupiſcentia igitur, ſeu fomes peccati, ſtimulus carnis peccatum non eſt: relinquitur ille in homine *propter ſpirituale exercitium*. *Homo habet concupiſcentiam, cum qua pugnet, eamque adjuvante Deo ſuperet*. 3. p. q. 69. a. 3. in corp.

In Sacramento Euchariſtiæ offerendus eſt Panis, & Caſeus. *Error Artotyritarum*

D. Thomas 3. p. q. 74. a. 1. *Circa materiam hujus Sacramenti aliqui multipliciter erraverunt. Quidam enim... ſcilicet Cataphryga de infantis ſanguine, quem de toto ejus corpore minutis punctionum vulneribus extorquent, quaſi Euchariſtiam ſuam conficere perhibentur miſcentes eum farina, panemque indè conficientes. Alii qui dicuntur Artotyritæ (ut Auguſtinus dicit in lib. de Hæreſibus) offerunt Panem, & Caſeum in hoc Sacramento dicentes à primis Hominibus oblationes de fructibus terræ, & ovium fuiſſe celebratas.. Omnes autem hi, & ſimiles errores excluduntur per hoc, quod Chriſtus hoc Sacramentum ſub ſpecie Panis, & vini inſtituit; ut patet Matth. 26. Undè panis, & vinum ſunt materia hujuſmodi Sacramenti, & hoc rationabiliter quantum ad uſum hujus Sacramenti, qui eſt manducatio. Sicut enim aqua aſſumitur in Sacramento Baptiſmi ad uſum ſpiritualis ablutionis, quia corporalis ablutio communiter fit in aqua: ita Panis, & vinum, quibus communiùs homines reficiuntur, aſſumuntur in hoc Sacramento ad uſum ſpiritualis manducationis.*

Fœmina Presbyteratus, & Epiſcopatus ſunt capaces. *Error Pepuzianorum*

D. Thomas in ſuppl. q. 39. a. 1. *Dicitur 1. ad Timoth. 2. Mulierem in Eccleſia docere non permitto*, docere autem maximè Presbyteris, & Epiſcopis convenit, unde habetur Malachiæ 2. *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus.*

Ratio quoque ſuffragatur. *Quia in Sacramentis requiritur ſignificatio Sacramenti.. cum igitur in ſexu fœmineo non poſſit ſignificari aliqua eminentia gradus*, quæ ad Sacramentum Ordinis requiritur: *Mulier enim ſtatum*

ſubjectionis habet, ideò nec licitè, nec validè *poteſt Sacramentum ſuſcipere*: proindè à fortiori neque Presbyteratus, neque Epiſcopatus eſt capax.

Quædam notanda circa Diaconiſſas. Fuerunt quidem olim in primitiva Eccleſia (paulò etiam ante tempora Pepuzianorum) *Diaconiſſæ*, & *Presbyteræ*, ſed ſine ulla ordinatione. *Viduæ*, ſcilicet ſeniores *dicebantur Presbyteræ*; *Diaconiſſæ* verò appellabantur illæ, quæ miniſterium in Eccleſia præſtabant affine functionibus alicujus Ordinis. Earum officium primum erat, cuſtodire Januas, per quas in Eccleſiam intrabant Mulieres; ſecundum, comitari eas Mulieres, quæ ad Diaconum, vel Epiſcopum ibant. Nulli enim Mulieri tunc temporis ſine Diaconiſſa licebat eos accedere. Tertium, ad Chriſtianas mitti fœminas, eas vel conſolandi, vel ſublevandi gratia. Quartum, ſubſervire Presbytero, vel Epiſcopo Baptizanti Mulieres: Ita S. Ignatius Martyr in Epiſtola ad Antiochenſes, & Clemens lib.8. Conſtitutionum c.28. Quintum illarum officium, erat curam gerere pauperum viduarum, ut de Phœbe Miniſtra, ſeu Diaconiſſa patet ad Rom. 16.

Cæterùm *Presbyteræ*, imò & *Epiſcopæ* fuerunt quondam vocatę illæ etiam Mulieres, quarum Mariti cum conſenſu mutuo perpetuæ caſtitatis, facti erant Presbyteri, vel Epiſcopi.

Aſcodrogitæ, *& Pattalorinchitæ*, præſertim ultimi, *taliter* tacentes tacendo vincantur.

Error Bardeſaniſtarum. *Sideribus*, *& fato converſatio hominum eſt imputanda*.

D. Th. 1. p. q. 115. art. 4. Si hominum converſatio ſideribus imputaretur, *ſequeretur*, *quod homo non eſſet liberi arbitrii*, *nam illud quod fit in iſtis inferioribus ex impreſſione corporum cœleſtium*, *naturaliter agitur*, *unde homo haberet actiones determinatas: ſicut & cæteræ res naturales*. *Quæ manifeſtè ſunt falſa*, *& converſationi humanæ contraria*.

Nec etiam fato ſubditur hominum converſatio. Non enim tunc erit opus pugnare adversùs vitia: imò talis pugna eſt inanis, ſed expectandum erit, quò fata ducant, quibus homo non poteſt repugnare, cum ſit inevitabili, & neceſſitanti (ut dicunt) fato ſubjectus; fru-

fruſtrà igitur perſuadetur boni amor, & proſecutio, & diſſuadetur vitium: fruſtra dixit Propheta: *declina à malo, & fac bonum*: fruſtrà etiam præcepit Paulus, *fugite fornicationem.* Quis enim alicui præcipiat ea, quæ non ſunt in ejus poteſtate? Cur interdicitur mihi furtum, ſi me ad furtum fata impellunt?

Si tamen conſideremus *omnia quæ hic aguntur* (q. 116. a. 1.) *Divinæ providentiæ ſubdi tanquam per eam ordinata; ſic fatum ponere poſſumus: licet hoc nomine S. Doctores uti recuſaverint propter eos* (præſertim Bardeſaniſtas) *qui ad vim poſitionis ſiderum hoc nomen detorquebant. Unde Auguſtinus dicit in 5. de Civitate Dei. Si propterea quiſquam res humanas fato tribuit, quia ipſam Dei voluntatem, vel poteſtatem fati nomine appellat, ſententiam teneat, & linguam corrigat.*

Melchiſedech eſt ipſe Chriſtus, cum Melchiſedech ſit ſine Patre, & Matre, imò Chriſto major, cum Chriſtus dicatur Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech. Error Theodoti Argentarii.

D. Th. 3. p. q. 22. a. 6. ad 3. *Melchiſedech dictus eſt ad Hebr. 7. ſine Patre, & ſine Matre, & ſine Genealogia, & quòd non habet initium dierum, neque finem; non* quia iſta non habuerit, *ſed quia in ſcriptura Sacra iſta de eo non leguntur. Et per hoc aſſimilatus eſt* (ſcilicet per figuram) *Filio Dei, qui in terris eſt ſine Patre, & in Cœlis ſine Matre, & ſine Genealogia ſecundùm illud Iſ. 53. Generationem ejus quis enarrabit? Et ſecundum divinitatem neque principium neque finem habet dierum.*

Quantum ad ſecundam partem Erroris, *Chriſtus non dicitur Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech quaſi* principalioris Sacerdotis, *Sed quia excellentia Sacerdotii Chriſti ad Sacerdotium Leviticum fuit figurata in Sacerdotio Melchiſedech, qui ab Abraham decimas ſumpſit, in cujus lumbis decimatus eſt quodamodò ipſe ſacerdos legalis.*

Deus Pater mortem in Cruce ſuſtinuit. Error Praxeæ.

D. Th. 3. p. q. 47. a. 3. *Dicitur ad Rom. 8. Proprio Filio ſuo non pepercit Deus, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Et Lucæ 23. *Clamans voce magna Jeſus ait: Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum, & hæc dicens expiravit.* Non ergò Deus Pater mortem in

Cruce ſuſtinuit, ſed Filius ejus Jeſus Chriſtus.

Materia eſt Deo coæterna.

Error Hermogenis. D. Th. 1. p. q. 45. art. 1. *Dicitur Geneſ. 1. In principio* (ſcilicet temporis) *creavit Deus Cœlum, & terram:* adeòque, & materiam, cum ſine illa formæ nequeant exiſtere. Proindè materia non eſt Deo coęterna.

Huc etiam ſpectant verba illa Pſal. 89. Priuſquam.. formaretur terra, & orbis, *à ſæculo, & uſque in ſæculum tu ès Deus.*

Accedit & Auguſtinus citatus q. 44. art. 2. *Duo feciſti Domine* in tempore, *unum prope te, ſcilicet Angelum, aliud prope nihil, ſcilicet materiam primam.* Lib. 12. Confeſſ. c. 7.

Salvatòr aſcendens carnem in ſole poſuit.

Error Seleuci. D. Th. Opuſc. 5. titulo de articulis fidei. *Seleuciani negant Salvatorem ſedere in carne ad dexteram Dei Patris, ſed aſſerunt, quòd eam exuit, & in ſole poſuit. Contra quod dicitur Marci ult. Dominus quidem Jeſus, poſtquam locutus eſt eis, aſcendit in Cœlum, & ſedet* a dextris Dei. Et 3. p. q. 57. a. 1. *Chriſtus humanam naturam aſſumptam in Cœlo collocavit.* Unde exulet commentum de *carne exuta, & in ſole poſita.*

APPENDIX AD SÆCULUM II.

Lucanus DE Lucano ſic Tertullianus libro *de præſcriptionibus* c. 51. *Lucanus per eadem vadens blaſphemiæ genera, eadem docuit, quæ Marcion, & Cerdon docuerant.* luſtra paginam. 19.

Nazaræi Nazaræi licet Jeſum confiterentur eſſe Filium Dei, adeòque hoc in puncto à Judæis recederent, judicabant nihilominùs *totam legem judaicam eſſe obſervandam.* Conveniunt cum errore 2. *Cerinthi.* p. 14.

Secundus Secundus Valentini, Ptolomęique perfidię ſuccedens ad fabulas eorum plus quàm Pythagoricas, uxorumque communitatem hauſtam à Nicolaitis, *novus* adjunxit *impudicitiæ fœditates.*

Marcus Marcus etiam Valentini Diſcipulus, inſuper Magiam exercens efficiebat, ut colores cęrulei, purpureique in calice apparerent, quo poſtremo colore miſellis, præ-

ſer-

fertim Mulierculis perſuadebat, Sanguinem Chriſti in Calicem diſtillari: ita à verbis incantatoriis, non conſecratoriis vim Sanguinis Chriſti confectivam depromebat impius.

Colarbaſius (qui apud *Philaſtrium* etiam *Baſſus* dictus reperitur) Marci Sectator fuit. *Colarbaſius.*

Magiſtri præſtigiis hanc fabulam addidit *omnium hominum vitam, & generationem ex ſeptem dependere ſideribus.*

Heracleon Marci, & Colarbaſii preſſit veſtigia. Conſueverat præterea invocatis ſuper morientes quorumdam principatuum nominibus ungere defunctos oleo, ut incomprehenſibiles fierent ſupernis principatibus, & ſic ab eorum poteſtate redimerentur. Qualis ſuperſtitio! *Heracleon.*

Hydroparaſtatæ græcè iidem ſunt qui *Aquarii*. Vide pag. 33. *Hydroparaſtatæ.*

Lucianus Samoſatenſis Rhetoricis apprimè diſciplinis inſtructus poſteà à fide defecit Gentiliſmum amplexus. Refert Suidas, eum à canibus, poſtquam diù adversùs Eccleſiam latraſſet, fuiſſe diſcerptum. *Lucianus.*

Alogi (grecè *ſine verbo*) non differunt à ſectatoribus *Theodoti Coriarii*, qui dixit *Chriſtum non eſſe æternum Dei Verbum, ſed purum, ac merum hominem*. Vide pag. 25. & etiam errorem 3. Cerinthi Sæculo 1. pag. 15. *Alogi.*

Artemon (nihil de ejus Patria, aut Profeſſione didici) iſtius *Theodoti* adoptavit blaſphemiam. Veteres à ſe ſtare Patres calumnioſiſſimè jactabat. *Artemon.*

ERRONES
SÆCULI TERTII.

Septimius, Florens, Tertullianus Carthaginenſis, Centurionis proconſularis filius, Ethnicus olim, ut ex ejus libris conſtat, Carthagine cauſarum Patronus, Chriſtianam poſtea amplexus religionem, Latinorum Patrum Princeps ab omnibus eſt habitus. Vir fuit acris & vehementis ingenii; in omni diſciplinarum genere *Tertullianus.*

ver-

verſatiſſimus. Omnem Philoſophiam, & cunctas Philoſophorum ſectas, Authores, Aſſertoreſque ſectarum, omnem Hiſtoriarum, & Studiorum varietatem mira quadam mentis capacitate complexus erat. Nihil in divinis, humaniſque ſcientiis reconditum fuit, quo non vi ingenii penetrarit; nulla ei difficultas propoſita, quam non pondere argumentorum eliſerit. Diſertiſſimi viri quot verba, tot erunt ſententiæ, quot ſenſus, tot Victoriæ, Palmæ, Triumphi. Norunt hoc *Marciones*, *Apelles*, *Praxeæ*, *Hermogenes*, *Gentiles*, *Gnoſtici*, cæterique, quorum ille blaſphemias multis, ac magnis voluminum ſuorum molibus, velut quibuſdam fulminibus evertit. Stylus ejus gravis eſt, elegans, ſublimis, nervoſus, Heroicus, & ſingularem ſpirans Majeſtatem.

Hic tamen tot, tantiſque dotibus exornatus Tertullianus à *Montano*, quem inter hæreticos in præclaro ſuo de Præſcriptionibus libro connumerarat, ita fuit dementatus, ut ejus partes adverſus Eccleſiam Catholicam præfracte defenderit. Scilicet hominem proprii ingenii fiducia ſuperbientem, & ad omnia, quæ ſeveritatem ſapiebant, immodice propenſum mirabiliter deluſerunt magnifica illa Paracleti in Montanum diffuſi larva, vitę ejus auſteritas, continentia à ſecundis nuptiis, appetentia Martyrii, quod nunquam juxtà Montanum alicui licebat per fugam declinare, jejunia per tres in anno deducta Quadrageſimas. Hinc furere cœpit in Catholicos, quòd *unam* inter alia tantùm obſervarent Quadrageſimam, eos, idcircò non Chriſtianos, ſed *pſychicos* nempè animales appellans, calumniis inſuper, ac contumeliis eoſdem onerare non ceſſans. Undè quantum aliis elucubrationibus profuit Eccleſię, tantùm illi nocuit libris in hęreſi conſcriptis.

Tanti faciebat opera Tertulliani S. Cyprianus, ut nullam diem ſinè illorum lectione prætermitteret, & crebrò Notario ſuo diceret, *da Magiſtrum* Tertullianum innuens.

Præter Errores Montaniſtis proprios, quibus vir tantus turpiſſimè fuit involutus, hæc ſunt privata ipſius dogmata.

1. *Anima rationalis fit ex traduce, ſeu traducitur, vel*

vel generatur à parentibus.

2. *Deus eſt corporeus.*

Sunt nonnulli eruditi, qui hunc poſtremum à Tertulliano removent Errorem: ſed præponderat authoritas D. Th. 1. contra Gentes c.20. ubi dicit, *Tertullianus, Audiani, ſide Anthropomorphiæ Deum corporalibus lineamentis figurabant.* Unde Tertullianus his proluſit, de quibus ſæculo 4.

Arabici. Arabici, ſeu Arabes, tales dicti ſunt, eò quod in Arabia quidam aſſererent, *animas hominum una cum corporibus extingui, ſed poſtmodum in reſurrectione ſimul cum corporibus reſurrecturas.* In Synodo ibidem adversus illos habita, pleroſque eorum Origenes illic præſens diſputatione ſuperatos rectæ fidei reſtituit.

Valens. Illorum author fuit Arabs nomine. *Valens.* Quoſcumque obvios ſi viribus prævalerent, mutilabant, dictitantes, *non poſſe obtineri ſalutem, niſi membra, quæ offenſioni ſunt, & in quibus regnat concupiſcentia, abjicerentur.*

Origenes. Origenes Patria Alexandrinus, Leonidis Martyris Filius, Sacras Literas una cum humanioris literaturæ ſtudiis combibit. Pater ſententias aliquot Scripturæ Sacræ, quas ei memoriter recitandas præſcribebat, ab eo in dies ſingulos exigebat. Non ſatis videbatur admirabili puero ſimplices, & apertos Sacrarum paginarum ſenſus eruere, ſed reconditiores in ea etiam ætate, & magis abſtruſos ſcrutabatur. Pueri dormientis pectus cum reverentia ſæpius exoſculabatur pius parens (id referente Euſebio lib.6. Hiſt. Eccl. c.2.) velut templum Spiritui Sancto conſecratum. Dum Pater ad Martyrium raperetur, vix à Matre, non quidem precibus, ſed veſtium ſubtractione potuit retineri, ne ſeipſum perſecutoribus offerret, & Parenti commoreretur. Cum hoc non poſſet, ſaltem illum in carcere detentum ad ſubeundum fortiter Martyrium literis exhortatus eſt.

Poſt laureatam mortem SS. Patris completo anno 17. ætatis ſuæ, ſimul cum Matre, & ſex Fratribus natu minoribus; opibus paternis in fiſcum relatis, in ſummam redactus eſt inopiam. Hunc mulier nobilitate conſpicua, & locuples magna excepit, fovitque huma-

nitate

nitate. Annum ætatis agens 18.Scholis Alexandriæ præfectus eſt: quo tempore incredibili ardore Martyribus preſtò fuit, eoſque multis Chriſtianæ pietatis officiis promeritus eſt. Hinc ob rem adeò perſecutionis æſtus adverſus eum efferbuit, ut tota Civitas Alexandrina non ampliùs illum tenere, aut tueri potuerit; ſed ubique diriſſima perpeſſus, domicilium ſubinde mutare cogeretur. Grammaticæ interea profeſſioni nuntium remittens, ſeque divinarum literarum interpretationi devoturus veterum Oratorum libros divendidit, pacta conditione, ut ab emptore 4. Obolos ad victum in dies ſingulos exigeret, ne externis indigeret ſubſidiis. Sanè ſevera fuit Origenis etiamnum Adoleſcentis vita, omnium expugnatrix voluptatum, omniumque laborum patientiſſima. Dum Alexandriæ Grammaticam exponeret, & non ſolum viri, ſed & mulieres juventute floridæ ad eum confluerent, & ex illius ore penderent, Origenes ſuæ timens caſtitati ſe caſtravit, quæ res ei poſtmodum ingentes conflavit procellas.

Porrò dum Sacras literas omni ſtudio, & induſtria, nec minori tam Catholicorum cujuſcumque generis, & conditionis, quam ipſorum etiam Hæreticorum, atque Gentilium fructu explicat, inter plures alios Ambroſium quemdam virum eruditiſſimum, ſed Valentini, Marcioniſque hæreſibus infectum ad Catholicam fidem convertit: à quo idem Origenes omnibus rebus tam ad victum, quàm ad ſtudia neceſſariis adjutus, illius maximè impulſu commentarios in Sacras Literas ſcribere adorſus eſt; idq; tanto & ardore, & facilitate, ut celeres Scribæ plures, quàm ſeptem ei dictanti preſtò adeſſent, qui præſtitutis temporibus ſcribendi laborem viciſſim ſuſciperent, ac librarii non pauciores, à quibus eadem dictata ſcitè, & concinnè exſcriberentur.

Cæterùm celeberrimus eſt Origenes per ſua *Tetrapla Hexapla*, & *Octapla*. Tetrapla vocavit editionem Scripturæ Sacræ quatuor columnis per ſingulas paginas diſtinctam. Prima exhibebat verſionem 70. Interpretum: altera translationem Aquilæ, tertia Symmachi; quarta Theodotioniſi. *Hexapla* continebant ſex columnas in ſingulis paginis: quarum prima comprehendebat textum

tum Hebraicum Hebraicè ſcriptum, ſecunda eundem textum Hebraicum, ſed Græco charactere exaratum, tertia verſionem Aquilæ, quarta Symmachi, quinta ſeptuaginta Interpretum, ſexta Theodotionis. *Octapla* complectebantur octo columnas, nimirum ſex illas verſiones, & præterea duas alias editiones ab Hebræis, ſed piis (ut putat Hieronymus) hominibus elaboratas.

Hinc innumeri ex ſinu ſuo Doctores, Sacerdotes, Confeſſores, & Martyres promanarunt. Ex omnibus etiam reconditis mundi partibus ad eum Diſcipuli confluebant quod maximam illi authoritatem conciliabat. A Mamæa Matre Alexandri Imperatoris, religioſa fœmina rogatus venit Antiochiam, & ab ea ſummo in honore habitus eſt. Ad Philippum Cæſarem, qui primus è Romanis Principibus fertur fuiſſe Chriſtianus, & ad Matrem ejus Literas dedit, quarum meminit Sanctus Hieronymus.

Tantus tamen ac talis Origenes, dum ingenio ſuo nimium indulget, dum ſe plus cunctis ſapere præſumit, incidit in Errores tanto viro indignos.

Hæc verò eſt Errorum ejus œconomia. Ponebat animas humanas ejuſdem eſſe naturæ cum ſpiritibus cœleſtibus, & Corporibus ſuis, ac mundi creationi præxiſtere; propter priora autem peccata corporibus jungi, in illis purgari, eis tandem liberari, ac liberas eouſque felices eſſe, donec novorum peccatorum merito rurſus eiſdem alligentur. Ex quo deducebat, nullam dari felicitatem ſtabilem, ſeu inamiſſibilem, ſed perpetuum eſſe circulum ſpirituum, qui juxta meritorum, aut demeritorum diverſitatem, vel eiſdem corporibus affixi manent, vel deterioribus adſtringuntur, vel meliori fato emergunt ad ſupera, ea tamen lege, ut aliis ſubinde aliiſque affigantur, nec uſquam iis ita ſolvantur, ut non alios iterum & fortaſſe deteriores carceres ſemper formidare debeant. Ex iſta variatione domicilii animarum, inferebat etiam pœnas Dæmonum, & damnatorum aliquando eſſe finiendas. Porrò hęc ſui cerebri figmenta Incarnationis materiæ applicans Origenes; dicebat animam Chriſti ab initio ante corporales creaturas, cum omnibus aliis ſpiritualibus creaturis creatam, & à

ver-

verbo Dei aſſumptam, & demum circa finem ſæculorum pro ſalute hominum carnem fuiſſe indutam.

En modò Errores ordine digeſtos.

1. *Animæ humanæ ejuſdem naturæ ſunt cum ſpiritibus cœleſtibus.*

2. *Animæ humanæ, quemadmodum Spiritus, mundi corporalis creationi præexiſtunt.*

3. *Omnes illæ animæ ſimul creatæ ſunt, ſed propter peccata ſua in Corpus, velut in carcerem detruduntur.*

4. *Anima Chriſti ab initio ante Corporales creaturas, cum omnibus aliis ſpiritualibus creaturis creata eſt, & à Verbo Dei aſſumpta, & demum circa finem ſæculorum pro ſalute hominum carnem fuit induta.*

5. *Beatitudo poteſt amitti.*

6. *Damnatio dæmonum, & impiorum aliquando finem habitura eſt.*

Cæterùm variæ pro Origene ſcriptæ ſunt Apologiæ, quæ ipſum conatæ ſunt purgare ab Erroribus; aliis è contra Scriptoribus eum illis eſſe vel immortuum contendentibus. Ut ut eſt, notior eſt certè peccans, quàm pœnitens, novuſque Salomon, qui pręter ſua de ſalute ambiguitatem, docuit ſumma ingenia magnis eſſe navigiis paria, quę mergantur faciliùs, quòd magna ſunt, niſi gubernaculo pareant.

Novatus Novatus, & Novatianus hæreſim Novatianorum condiderunt. Novatus Presbyter Carthaginenſis erat graviſſimorum criminum reus, ob quę cum ſe propediem ab Epiſcopis damnandum, excommunicandumque prævideret, Carthagine furtim diſceſſit, & Romam profectus, Novatiano conflandi ſchiſmatis adversùs Pontificem Cornelium ritè electum author fuit, eum ad ſupremos in Eccleſia prenſandos honores aſſiduè ſtimulans, & nonnullos è populo (ut in Communitate ſemper aliqui in turbas proclives ſunt) hunc ſibi in finem devincire ſtudens.

Novatianus. Novatianus quondam fuit energumenus, in lecto Baptizatus urgente morbo, ex quo cum convaluiſſet, cœremonias Baptiſmi in ſe ſuppleri nequaquam curavit, nec Sacramentum Confirmationis, quod tunc temporis

ex

ex Eccleſię diſciplina ſtatim poſt Baptiſmum confere-batur, ſuſcepit. Hinc *Confirmationem Sacramentum eſſe*, negarunt ejus ſectatores. Poſt Baptiſmum, aliquanto tempore elapſo, Presbyter ordinatus eſt, Epiſcopo de regulis cum ipſo diſpenſante Eccleſiaſticis, quæ prohibebant ad Clerum eos promoveri, qui in lecto Baptizati eſſent: cui diſpenſationi Clerus univerſus, pluresque è populo refragabantur; qui ægrè tandem in ejus Ordinationem conſenſerunt. Sanè tam eximio fuit gradu indignus. Tempore enim perſecutionis admonitus, & rogatus à Diaconis, ut ex cubiculo, in cujus latebris ſe præ metu mortis abdiderat, egrederetur, fidelibuſque ſuccurreret, non ſolùm non Chriſtianis opitulatus fuit raptatis ad Martyrium, ſed ira percitus reſpondit, nolle ſe amplius eſſe Presbyterum, ſed *alterius rei* deſiderio teneri.

Scilicet *res* illa, fuit *Suprema in Eccleſia dignitas*, quam diu animo ambitionis æſtu fervente præconceperat. Ambitio illa proruperat è nonnullo applauſu ex dicendi facundia ſibi comparato. Itaq; nihil non molitus tandem per tres rudiores, ac ſimpliciores Epiſcopos ad hoc vi,& fraude adactos,eoſdemq; ebrios redditos clandeſtinè fuit ordinatus Pontifex. Atque ita turpi ſchiſmate Romana fuit diviſa Eccleſia, quæ hactenus unita permanſerat juncta capiti firma compaginatione membrorum. Idem verò Novatianus adeò fuit in fulciendo ſchiſmate ſacrilegus ut etiam in ipſa diſtributione Euchariſtiæ unicuique ex aſſeclis ſuis hoc execrandum planè extorqueret juramentum. *Jura mihi per Corpus, & Sanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti, te nunquam meas partes deſerturum, nec ad Cornelium reverſurum.*

Hi modò ſunt pręcipui utriuſque Errores.

1. *Poſt primam pœnitentiam, quæ agitur Baptiſmo, peccans non poteſt iteratò per pœnitentiam reſtitui.*

2. *Non datur Sacramentum Confirmationis.*

Primus omnium, qui aſſeruit *Baptizatos ab Hæreticis ſecundùm Catholicæ Eccleſiæ formam, eſſe abſolutè rebaptizandos*, fuit *Agrippinus* S. Cypriani deceſſor; ardore quodam pietatis abreptus, quòd quęcumque Hęreticorum eſſent, deberet abominari Eccleſia. Error **Rebaptizantes.**

iſte

Iſte ex Africa citò in Aſiam tranſmeavit, ibique magni nominis viros, & ſanctitate etiam inſignes propugnatores nactus eſt, Firmilianum præcipuè Cæſareæ in Capadocia Epiſcopum, & S. Dionyſium Alexandrinum.

Sed nullus pro iſta ſtetit acriùs ſententia, quàm *Cyprianus*, tribus hac de re Conciliis, quibus frequentiſſimi interfuere Epiſcopi, habitis Carthagine. Ex ſecundo Concilio Divus Cyprianus una cum çeteris Præſulibus ſynodicam ad Stephanum Romanum Pontificem Epiſtolam direxit, quæ illius inter Epiſt. eſt 72. qua ipſum de ſuæ Synodi Actis, quæ ſanciverat invalidum eſſe Hæreticorum Baptiſma, proindèque illud iterandum, certiorem fecit, illiſque, ut præberet aſſenſum, atque Authoritatis ſuæ pondus adjiceret, efficere conatus eſt.

Sed Pontifex Stephanus univerſo Torrenti Epiſcoporum Africæ intrepidè, inconcuſsè, irrefragabiliter oppoſuit, *validumque* eſſe *Hæreticorum Baptiſma*, nec ab illis Baptizatos *abſolutè* eſſe *rebaptizandos* Pontificiæ vi, pondere, & plenitudine Authoritatis inviċtiſſimo armatus *Traditionis* Clypeo decrevit.

Cæterùm licèt Cyprianus erraverit, notam tamen nec Hæreſeos, nec Schiſmatis incurrit, quod præſertim liquet ex ejus literis datis ad Jubajanum Epiſcopum, quibus conteſtatus eſt ſe ſalvo pacis, & concordiæ vinculo, liberum cuique relinquere quam vellet ſequi ſententiam: quod ſincerum ejus propoſitum de unitate conſervanda & Hieronymus, & Auguſtinus ſæpè laudarunt. Errorem porro Sanguine pro Jeſu Chriſti nomine profuſo diluit.

Apoſtolici. Apoſtolici germen *Encratitarum*, ſeu *Continentium* (de quibus ſæculo 2.) hoc ſe nomine appellarunt ob exactum diſciplinæ ſtudium: ſed & dici voluere *Apoſtatici* à *renunciatione*, quòd conjugiis, & bonorum poſſeſſionibus renunciarent. At non in hoc conſiſtit ipſorum Error; cum *tales* habeat plurimos Eccleſia, ſcilicet *Religioſos*; ſed ideò iſti ſunt habiti Hęretici, quòd ſe ab Eccleſia ſeparantes docerent; *nullam iis eſſe ſpem ſalutis, qui poſſident divitias.*

Fue-

Fuerunt & alii Hæretici, dicti *Apoſtolici*, de quibus ſæculo 12.

Noetus fuit oriundus ex urbe Smyrna, de qua Joannes Evangeliſta meminit 1. & 2. Apocalypſis: modò illa eſt Emporium ſub ditione Turcarum, navigatione, & commercio percelebre. Vehementiùs propugnavit hæreſim *Patripaſſianorum*, quam *Praxeas* (de quo ſæculo 2. ſub finem) præformaverat. In tantum faſtum elatus erat, ut auderet ſe *Moyſem*, & Fratrem ſuum *Aaron* aſſerere. Noetus unà cum ſuis ab Eccleſia ejectus, paulò poſt extinctus eſt ſimul cum fratre ſuo; nullúſque fidelium eos verè & natura, & impietate germanos tradere voluit ſepulchro. *Noetus.*

Sed hanc hæreſim ſuo nomine, patrocinio, propagatione celebriorem fecit *Sabellius* Ptolemaide in Lydia natus. Negabat *perſonarum in Trinitate diſtinctionem* dicens *eas tantùm eſſe tria unius Dei nomina ad inſinuandos diverſos divinitatis effectus compoſita*. Undè cum unam ſolummodò Perſonam profiteretur, illa neceſſariò deducebatur conſequentia, ut ſicut Filius, ità & Pater, & Spiritus Sanctus dicerentur incarnati,& paſſi. *Sabellius.*

Paulus Samoſatenus Antiſtes Antiochenus antè Epiſcopatum pauper, & mendicus, ſceleribus, ſacrilegiis, fratrum concuſſionibus, aliiſque pravis actibus immenſas corraſit divitias. Divitiis abuſus eſt ad faſtum, quo maximum Chriſtianis conflavit ſcandalum. In concionibus ſoli applauſui, & gloriæ inhiabat. Se Angelum è Cœlo delapſum a ſuis prædicari aſſentatoribus patiebatur; & in locum pſalmorum, & cantus Eccleſiaſtici in media Eccleſia, ipſo ſolemni Paſchatis die, inanes cantilenas in laudem ſuam à Mulierculis depromi imperabat. *Paulus Samoſatenus.*

Zenobiæ Reginæ Palmyrenorum (quæ Romanis rerum Dominis fuit auſa reſiſtere) patrocinio fultus ſuam propagavit hæreſim. Palmaris ejus Error verſabatur circa Chriſti *Divinitatem*, quam abrogabat, utpote confingens *Divinitatem in Chriſto non per naturam; ſed per quandam excellentem gloriæ participationem, quam per bona opera meruerat*. Ita Photino præluſit, de quo Sæculo 4.

D Cum

Iſte ex Africa citò in Aſiam tranſmeavit, ibique magni nominis viros, & ſanctitate etiam inſignes propugnatores nactus eſt, Firmilianum præcipuè Cæſareæ in Capadocia Epiſcopum, & S. Dionyſium Alexandrinum.

Sed nullus pro iſta ſtetit acriùs ſententia, quàm *Cyprianus*, tribus hac de re Conciliis, quibus frequentiſſimi interfuere Epiſcopi, habitis Carthagine. Ex ſecundo Concilio Divus Cyprianus una cum ceteris Præſulibus ſynodicam ad Stephanum Romanum Pontificem Epiſtolam direxit, quæ illius inter Epiſt. eſt 72. qua ipſum de ſuæ Synodi Actis, quæ ſanciverat invalidum eſſe Hæreticorum Baptiſma, proindeque illud iterandum, certiorem fecit, illiſque, ut præberet aſſenſum, atque Authoritatis ſuæ pondus adjiceret, efficere conatus eſt.

Sed Pontifex Stephanus univerſo Torrenti Epiſcoporum Africæ intrepidè, inconcuſsè, irrefragabiliter oppoſuit, *validumque* eſſe *Hæreticorum Baptiſma*, nec ab illis Baptizatos *abſolutè* eſſe *rebaptizandos* Pontificiæ vi, pondere, & plenitudine Authoritatis invictiſſimo armatus *Traditionis* Clypeo decrevit.

Cæterùm licèt Cyprianus erraverit, notam tamen nec Hæreſeos, nec Schiſmatis incurrit, quod præſertim liquet ex ejus literis datis ad Jubajanum Epiſcopum, quibus conteſtatus eſt ſe ſalvo pacis, & concordiæ vinculo, liberum cuique relinquere quam vellet ſequi ſententiam: quod ſincerum ejus propoſitum de unitate conſervanda & Hieronymus, & Auguſtinus ſæpè laudarunt. Errorem porro Sanguine pro Jeſu Chriſti nomine profuſo diluit.

Apoſtolici. Apoſtolici germen *Encratitarum*, ſeu *Continentium* (de quibus ſæculo 2.) hoc ſe nomine appellarunt ob exactum diſciplinæ ſtudium: ſed & dici voluere *Apoſtatici* à *renunciatione*, quòd conjugiis, & bonorum poſſeſſionibus renunciarent. At non in hoc conſiſtit ipſorum Error; cum *tales* habeat plurimos Eccleſia, ſcilicet *Religioſos*; ſed ideò iſti ſunt habiti Heretici, quòd ſe ab Eccleſia ſeparantes docerent, *nullam iis eſſe ſpem ſalutis, qui poſſident divitias*.

Fue-

Fuerunt & alii Hæretici, dicti *Apoſtolici*, de quibus ſæculo 12.

Noetus fuit oriundus ex urbe Smyrna, de qua Joannes Evangeliſta meminit 1. & 2. Apocalypſis: modò illa eſt Emporium ſub ditione Turcarum, navigatione, & commercio percelebre. Vehementiùs propugnavit hæreſim *Patripaſſianorum*, quam *Praxeas* (de quo ſæculo 2. ſub finem) præformaverat. In tantum faſtum elatus erat, ut auderet ſe *Moyſem*, & Fratrem ſuum *Aaron* aſſerere. Noetus unà cum ſuis ab Eccleſia ejectus, paulò poſt extinctus eſt ſimul cum fratre ſuo; nulluſque fidelium eos verè & natura, & impietate germanos tradere voluit ſepulchro. *Noetus.*

Sed hanc hæreſim ſuo nomine, patrocinio, propagatione celebriorem fecit *Sabellius* Ptolemaide in Lydia natus. Negabat *perſonarum in Trinitate diſtinctionem*, dicens *eas tantùm eſſe tria unius Dei nomina ad inſinuandos diverſos divinitatis effectus compoſita*. Undè cum unam ſolummodò Perſonam profiteretur, illa neceſſariò deducebatur conſequentia, ut ſicut Filius, ità & Pater, & Spiritus Sanctus dicerentur incarnati, & paſſi. *Sabellius.*

Paulus Samoſatenus Antiſtes Antiochenus antè Epiſcopatum pauper, & mendicus, ſceleribus, ſacrilegiis, fratrum concuſſionibus, aliiſque pravis actibus immenſas corraſit divitias. Divitiis abuſus eſt ad faſtum, quo maximum Chriſtianis conflavit ſcandalum. In concionibus ſoli applauſui, & gloriæ inhiabat. Se Angelum è Cœlo delapſum a ſuis prædicari aſſentatoribus patiebatur; & in locum pſalmorum, & cantus Eccleſiaſtici in media Eccleſia, ipſo ſolemni Paſchatis die, inanes cantilenas in laudem ſuam à Mulierculis depromi imperabat. *Paulus Samoſatenus.*

Zenobiæ Reginæ Palmyrenorum (quæ Romanis rerum Dominis fuit auſa reſiſtere) patrocinio fultus ſuam propagavit hæreſim. Palmaris ejus Error verſabatur circa Chriſti *Divinitatem*, quam abrogabat, utpote confingens *Divinitatem in Chriſto non per naturam; ſed per quandam excellentem gloriæ participationem, quam per bona opera meruerat*. Ita Photino præluſit, de quo Sæculo 4.

D Cum

Cum Patribus Antiochiæ ea de re congregatis ſemel illuſiſſet tum ſimulatione fidei Catholicæ, tum emendationis ſpecie, iterum in ſecunda Synodo id tentans verſipellis Hæreſiarcha, à *Malchione* diſertiſſimo Eccleſiæ Antiochenæ Presbytero, egregia diſputatione impietatis, & Hæreſeos convictus eſt, anathemate ictus, & Epiſcopatu privatus, Domno in ejus locum ſubrogato. Verùm cum è domo Epiſcopali egredi nollet, *Aurelianus* Imperator à Catholicis Epiſcopis interpellatus, gentilis licet, tam juſtam ea in cauſa ſententiam tulit, quam proferre potuiſſet Chriſtianus Imperator: iis domum tradi juſſit, quibus Romanus Epiſcopus ſcriberet concedendam.

Secta Manichæorum authores. Execrabilis ſectæ Manichæorum primus artifex fuit *Scythianus*, genere Saracenus, in Arabia enutritus. Cum ingentes ex Mercatura Indica divitias ſibi comparaſſet, in Ægyptum ſe contulit, & Alexandriæ Græcas literas, præſertim Philoſophiam hauſit, qua abuſus eſt perniciosiſſimi vir ingenii ad condendum dogma de *duobus principiis, bono, & malo*. Ibidem Muliérculam è Lupanari abductam ſibi matrimonio junxit. *Scythianus.* Tum libros conſcripſit quatuor, quibus hæreſim firmaret; unum *Myſteriorum*, alterum *Capitulorum*; tertium, quem *Evangelium* appellavit, quartum *Theſaurorum*. Poſt hæc profectus Jeroſolymam cum *Terebintho* Diſcipulo, cum fidem Chriſtianam, quam argumentis evertere non poterat ab illius Eccleſię Presbyteris confutatus, concutere præſtigiis niteretur, atque in eum finem ſummum ædium tectum conſcendiſſet, inde Deo vindice, lapſus in præceps miſerrimè interiit.

Terebinthus auri, librorum, & Hæreſeos illius factus hæres, è Judæa pellitur, hinc fugit in Perſidem, & ne cognoſceretur ex nomine, *Buddam* ſe vocat. *Buddas.* Verùm cum illic adverſarios haberet Sacerdotes Solis, variiſque ab eis diſputationibus impeteretur, ubique extorris, ædibus ſe inſeruit cujuſdam Viduæ. Deinde *Scythiani* Magiſtri premens veſtigia, nec illius exitu perterritus, dum faſtigium domus aſcenderet, ac maleficiis operaretur, ibidem correptus à Dæmone, & in tetram deturbatus terram efflavit animam.

Vi-

Vidua verò pecuniarum,ac librorum compos effecta, cum nec cognatum, nec amicum ullum poſſideret, ſervum Perſam emit *Cubricum* nomine, quem poſtea adoptavit, & Perſicis diſciplinis erudiendum curavit. Is in Semi-Philoſophum evadens, defuncta Benefactrice, cujus & Hęres erat,ne ſervitutis nomen ei contumelioſum foret, *Manes*, quæ vox lingua Perſica *Homiliam*, ſeu *Allocutionem* ſignificat, tanquam optimus argumentator appellari voluit. Sed divina providentia contigit, ut nolens ſeipſum argueret, indito ſibi eo nomine, quod apud Gręcos *inſaniam* exprimit. Undè hoc ejus advertentes Diſcipuli, eum poſteà *Manichæum*, quaſi *Manna fundentem* nominarunt.Ut ſectę ſuę majorem conciliaret auctoritatem, Filium *Saporis* Perſarum Regis tunc fortè ęgrotantem magię innixus curandum ſuſcepit. Amandantur omnes procul Medici, ſolus ipſe infallibilem pollicitus ſanitatem lecto Principis agglutinatur. At ecce Filius *Manetis* inter manus nequidquam vim omnem magicarum artium exerentis expirat. Quare in carcerem præſtigiator coniicitur. Inde erumpit, corruptis pecunia cuſtodibus, miſſiſque varias in partes Diſcipulis, ut hæreſim ſuam longè, latèque diffunderent, in Meſopotamiæ fines ipſe contendit, ibi Marcellum virum nobilitate, & omnibus religionis Chriſtianæ officiis percelebrem, qui in Oppido *Caſchatá* morabatur, ſeducere molitus eſt, data ad eum Epiſtola præcipuos ſuos Errores continente. In ea ſe *Apoſtolum Jeſu Chriſti* infamis vocabat impoſtor. Nec mirum, quòd iſtud ſibi nomen arrogaret, qui & ſe Paracletum eſſe jactabat, Montani delirium, & blaſphemam æmulatus ſuperbiam: Marcellus illum accerſit; res defertur ad Archelaum Epiſcopum; initur diſputatio; conſtitutis communi conſenſu judicibus Philoſopho, Medico, Grammatico, & Sophiſta, quos licet Ethnicos Archelaus non recuſabat, ut magis adverſarii, hominis etiam ethnici os impudens obſtrueret. Omnium ſententia ſuperatus *Manes*, neſcius quò declinaret; tandem incidit in Regis poteſtatem, quem deluſerat; quo jubente, cutis illi vivo detracta eſt. Atque ita qui ſe Deum finxerat, infrà hominem periit. Ob id Manichæi

Manes.

arundinibus incubabant: quod ſcilicet arundine pellis detracta eſſet Maneti.

1. Primum, ac præcipuum ipſius dogma, ex quo alii velut rivi è limoſo fonte dimanarunt, fuit, quod conſtituerit duos Deos, ſeu *duo principia*, *unum bonorum*, *aliud malorum*.

2. Docebat *corporalia* condita fuiſſe à *principio illo malorum*; proindèque & *carnem noſtram eſſe de ſe malam*. Hinc Manichæi perpetuum adversùs eam bellum inſulſo more movebant dicentes illam continuis afficiendam eſſe immunditiis. Eo inſano prætextu in immenſū gurgitem turpitudinum merſi omne genus libidinum exercebant, quòd dicerent eo modo carnem proſcindi injuria, malumque purgari.

3. Eadem quoque ex cauſa, quod carnem ex malo principio profluere dicerent, licet ad explendam libidinem mulieribus uterentur, omnem tamen generationem ſedulò vitabant, ne malum principium ſuos extenderet limites, undè & *nuptias* damnabant.

4. Hinc etiam inficiabantur *Chriſtum humanam ſuſcepiſſe naturam*: ſed tantùm aſſerebant *eam in corpore apparuiſſe phantaſtico*, ne ſcilicet vera carne indutus a *malo* principio progenitus eſſe videretur.

5. Ex eadem radice pullulabat, quòd *Manes* doceret *nefas eſſe occidere animalia in uſus hominum*, quia caro ſcilicet eſſet generata à *malo* principio. Unde & abſtinentiam à carnibus ſuis præcipiebat Diſcipulis.

6. Admittebat Manes *tranſmigrationem animarum de uno corpore in aliud*.

7. Tradebat, *legem veterem fuiſſe malam*.

8. Denique ex falſo illo fundamento de *duobus principiis* jam deſcriptis, inferebant Manichæi in homine duas eſſe naturas, alteram *Bonam*, determinatam ad *Bonum* ex illo *bono* principio, alteram *malam*, & determinatam ad *malum* ex *malo* illo principio. Ex quo etiam deducebant, Hominem *nullo modo habere libertatem*, ſed eum omnia, *ſive bona*, *ſive mala ex neceſſitate naturæ operari*, vel ex natura illa *boni*, & ad *bonum* determinata, vel ex natura *mali* etiam determinata *ad malum*.

Manichæi etiam negabant liberum in homine arbitriū.

Se-

Sectarii ex alio medio ſcilicet ex *lapſu* Adæ dicunt hominem *non eſſe liberi arbitrii*, ſed illud per Originale extinctum eſſe peccatum, hominemque neceſſitari, ex gratia ad bonum, & ex concupiſcentia ad malum, de quo ſæculo 16. *Ex diverſo medio illud poſteà negarunt ſectarii.*

Hierax Ægyptius ex urbe (cui *Leontum* nomen eſt) vir liberalium artium ſtudiis & linguarum peritia clariſſimus, hæc inter alia invenit, & propugnavit dogmata. *Hierax.*

1. *Paradiſus non eſt locus ſenſibilis, ſeu corporeus.*

2. *Melchiſedech eſt Spiritus Sanctus.*

Ad ſeverioris normam diſciplinæ vitam ſuam exigebat, ab animatis: & vino ſibi temperans. Unde & ejus Diſcipuli *abſtinentes* nuncupati ſunt.

Porrò, & Manichæi *uſum vini* dicebant *eſſe illicitum* tanquam à *malo* creati *principio*.

Refelluntur Errores Sæculi tertii.

1. *Anima rationalis traducitur, ſeu generatur a Parentibus.* *Errores Tertulliani.*

D. Th. 1. p. q. 118. art. 2. *Anima intellectiva, cum ſit immaterialis ſubſtantia, non poteſt* cauſari per generationem, *ſed ſolum per creationem à Deo*. Hoc etiam innuit Sacra Scriptura Geneſ. 1. *Cum enim* (contra Gent. c. 87.) *de inſtitutione aliorum animalium loquens eorum animas aliis cauſis adſcribat, ut cum dicit: producant aquæ reptile animæ viventis: & ſimiliter de aliis, ad hominem veniens, animam ejus à Deo creari oſtendit, dicens; formavit Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ.*

Deinde *ponere animam intellectivam à generante cauſari, nihil eſt aliud, quàm ponere corrumpi eam cum corpore. Et ideò hæreticum eſt dicere, quod* anima intellectiva traducatur cum ſemine. 1. p. q. citata.

2. *Deus eſt corporeus.*

D. Th. 1. p. q. 3. a. 1. *Dicitur Jo. 4. Spiritus eſt Deus*, non ergo eſt Corporeus.

Ratio autem eſt, *quia Deus eſt id, quod eſt nobiliſſi-*

mum in entibus, impoſſibile autem eſt aliquod Corpus, (cum ſit materiale) *eſſe nobiliſſimum in entibus, impoſſibile eſt igitur* Deum, qui eſt expers omnis materiæ, & cujuſcumque compoſitionis, ſed actus puriſſimus, eſſe corpus.

At Scriptura, inquis, ſæpè nominat Dei membra, ut caput, oculos, aures, manus, brachia, & his ſimilia. Sed hæc explicat Angelicus ad 3. *Dicendum, quòd partes corporea attribuuntur Deo in ſcripturis ratione ſuorum actuum ſecundum quandam ſimilitudinem*, (ſeu Metaphoram) *ſicut actus oculi eſt videre: unde oculus de Deo dictus ſignificat virtutem ejus ad videndum* modo intelligibili, non ſenſibili: *& ſimile eſt de aliis partibus.*

Anima Hominum unà cum corporibus corrumpuntur, ſed poſtmodum in reſurrectione ſimul cum corporibus reſuſcitabuntur.

Error Arabicorum. Ex dictis ad Errorem primum Tertulliani, poſſet ſufficienter hic Error dilui, ſed tamen eum ſpecialiter refellit D. Thomas 2. contra Gent. cap. 79. *Dicitur in libro de Eccleſiaſticis dogmatibus: ſolum hominem credimus habere animam ſubſtantivam, qua & exuta corpore vivit, & ingenium vivaciter tenet*, neque cùm corpore moritur, ſicut Arabs poſuit. Et hoc ideò, quia *quod per ſe habet eſſe, non poteſt corrumpi* (1. p. q. 75. a. 2.) *anima autem humana per ſe ſubſiſtit, unde anima humana non poteſt corrumpi. Sed anima brutorum, cùm non ſint per ſe ſubſiſtentes, corrumpuntur corruptis corporibus.*

Dicitur quidem de homine *Eccleſiaſtæ 3. unus interitus eſt hominis, & jumentorum, & aqua utriuſque conditio.. & nihil habet homo jumento amplius. ſed Salomon hoc inducit ex perſona inſipientium, ut exprimitur ſapientiæ 2. Dixerunt cogitantes apud ſe non rectè.. poſt hoc erimus tanquam non fuerimus*, ut fert brutorum conditio. Deinde, *ſimilis eſt interitus hominis, & bruti quantum ad corpus, ſed non quantum ad animam.. unde de homine concluditur Eccleſiaſtæ ult. revertatur pulvis*, ſeu corpus hominis *in terram, undè erat, & Spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.*

Ani-

Animæ incorruptibilitati ſuffragatur etiam maximè illud Matth. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus; animam autem non poſſunt occidere*. Si enim anima ſimul cum corpore periret, qui occideret corpus, is & occideret animam, ut fit in bruto, cujus anima ab interficiente corpus occiditur.

Homines debent ſe caſtrare, ſeu abjicere membra, in quibus regnat concupiſcentia. *Error Valeſiorum.*

D. Th. 2. 2. q. 65. art. 1. ad 3. *Membrum non eſt præſcindendum propter corporalem ſalutem totius, niſi quando aliter toti ſubveniri non poteſt. Saluti autem ſpirituali* (quæ ad caſtrationem maleſanos Valeſios impellebat) *ſemper poteſt aliter ſubveniri, quam per membri præciſionem: quia peccatum ſubjacet voluntati. Et ideò* in nullo caſu licet membrum præſcindere propter quodcumque peccatum vitandum. *Undè Chryſoſtomus exponens illud Matth.* 19. *ſunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtraverunt propter Regnum Cœlorum* (quod perperam acceptum erat Valeſiorum fundamentum) *dicit, non per membrorum abſciſſionem, ſed malarum cogitationum interemptionem. Maledictioni enim eſt obnoxius, qui membrum abſcindit: etenim Homicidæ ſunt, qui talia præſumunt*. Cum prçcepto *non occides* Matth. 5. non ſolum prohibeatur occiſio, ſed etiam omne illud, quod ad occiſionem quoquomodo (ut fit in caſtratione) tendit. *Et poſteà ſubdit: neque concupiſcentia manſuetior ita fit, ſed moleſtior. Aliunde enim habet fontes ſperma, quod in nobis eſt, & præcipuè à propoſito incontinenti, & mente negligente.*

1. *Animæ humanæ ejuſdem naturæ ſunt cum ſpiritibus cæleſtibus.* *Errores Origenis.*

D. Th. 2. contra Gentes c.45. *Operi à ſummo Artifice facto non debuit deeſſe ſumma perfectio, deeſſet autem illa, ſi diverſitas, & inæqualitas creaturarum non eſſet:* animæ igitur humanæ non ſunt ejuſdem naturæ cum ſpiritibus cœleſtibus. *Atque hinc eſt, quod dicitur Geneſ. 1. Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. Cum de ſingulis dixiſſet Deus quod ſunt bona, ſingula enim ſunt in ſuis naturis bona,*

dixit eſſe ſimul omnia valde bona propter ordinem , & varietatem *univerſi* , *quæ eſt ultima* , *& nobiliſſima perfectio in rebus*.

Deinde ; *anima humana eſt imperfecta in genere intellectualium ſubſtantiarum non habens in ſui natura plenitudinem ſcientiæ*, *ſed acquirens eam per ſenſus corporeos a ſenſibilibus rebus*; *in quocunque autem genere invenitur aliquid imperfectum*, *oportet præexiſtere aliquid perfectum in genere illo*: *ſunt igitur aliquæ ſubſtantiæ perfectè intellectuales in natura intellectuali non indigentes acquirere ſcientiam à ſenſibilibus rebus*. *Et has diximus Angelos* 1. p. q. 51. art. 1. Non itaque anima humana ejuſdem naturæ eſt cum Angelis, ſeu ſpiritibus cœleſtibus.

Denique ; *anima ex natura ſuæ eſſentiæ habet quòd ſit corpori unibilis*, *Angelus verò corpori non unitur*. Unde ruit aſſertio *Origenis*, *qui poſuit omnes animas humanas*, *& Angelos eſſe unius ſpeciei*. 1. p. q. 75. art. 7.

2. *Animæ humanæ quemadmodum ſpiritus*, *mundi corporalis creationi præexiſtunt*.

D. Thomas 1. p. q. 61. art. 3. *Dicitur Geneſ.* 1. *In principio creavit Deus Cœlum*, *& terram*. *Non autem hoc eſſet verum*, *ſi aliquid creaſſet ante*, *ergo Angeli non ſunt ante naturam corpoream creati*. Si igitur Angeli, ſeu Spiritus Mundi creationi non præexiſtunt, nec præexiſtunt animæ humanæ, etiam conceſſo, quod ejuſdem forent cum illis naturæ.

3. *Omnes illæ animæ ſimul creatæ ſunt*, *ſed propter peccata ſua in Corpus*, *velut in carcerem detruduntur*.

D. Thomas 2. contra Gent. cap. 83. ſub finem. *Dicitur in Pſal.* 32. *qui finxit ſingillatim corda eorum*; *quia ſcilicet unicuique ſeorſim propriè Deus animam fecit*: non autem ſimul omnes creavit.

Ratio quoque adſtipulatur: *quia anima ſine corpore exiſtens non habet ſuæ naturæ perfectionem*. *Non fuit autem conveniens*, *ut Deus ab imperfectis ſuum opus inchoaret*, *& ab his*, *quæ ſunt præter naturam*. *Non enim fecit hominem ſine manu*, *aut ſine pede*, *quæ ſunt partes naturales hominis*. *Multò igitur minùs fecit animam ſine*

cor-

corpore.... Sed ſimul animæ creantur cum corporibus, & infunduntur.

At nonnè dicitur Gen. 1. *Deus requievit ab omni opere quod patrarat*? Hoc certè non eſſet, ſi novas quotidiè animas crearet; non igitur animæ humanæ eſſe incipiunt, ſed ſimul omnes creatæ ſunt. *Object.*

Sed ecce ſolutionem Angelici cap. 84. *Quies Dei ab omni opere, quod patravit, eſt intelligenda ſecundùm ceſſationem à novis ſpeciebus condendis, non autem à novis individuis, quorum ſimilia ſecundùm ſpeciem præceſſerunt. Et ſic, cum omnes animæ humanæ ſint unius ſpeciei, ſicut & omnes homines, non repugnat prædictæ quieti*, ſi Deus quotidie novas animas creat. *Reſp.*

Quoad 2. partem Propoſitionis, ſic D. Thom. cap. 83. *Origenes dixit, quod animæ corporibus unitæ ſunt, ſed in earum pœnam. Nam ante corpora eas peccaſſe exiſtimavit: & pro quantitate peccati corporibus nobilioribus, vel minùs nobilibus eas unitas eſſe, quaſi quibuſdam carceribus incluſas. Sed hæc poſitio ſtare non poteſt. Pœna enim bono naturæ adverſatur, & ex hoc dicitur mala. Si igitur unio animæ, & corporis eſt quoddam pœnale, non eſt bonum naturæ, quod eſt impoſſibile. Eſt enim intentum per naturam: nam ad hoc naturalis generatio terminatur. Et iterum ſequeretur, quòd eſſe hominem, non eſſet bonum ſecundùm naturam, cum tamen Gen. 1. dicatur poſt hominis creationem: vidit Deus cuncta, quæ fecerat & erant valdè bona*. Sanè *creaturæ ideò ſunt factæ* (cap. 44.) *quia bonum eſt eas eſſe, quod eſt conſonum divinæ bonitati*, & non propter aliqua creaturarum rationalium merita, vel peccata.

His adde, quòd ſi animæ in corpus velut in carcerem detruderentur, nullo pacto anima corpus diligeret: nullus enim diligit carcerem, nec dolet, ſed gaudet, dum ex iſto eruitur, quanto autem mœrore, acerbitate, repugnantia, reniſu anima à corpore avellitur?

4. *Anima Chriſti ab initio ante corporales creaturas cum omnibus aliis ſpiritualibus creaturis creata eſt, & à verbo Dei aſſumpta, & demum circa finem Sæculorum pro ſalute hominum carnem fuit induta.*

D. Tho-

D. Thomas 4. contra Gentes cap. 33. *Chriſtus carnem, & humanam animam habuit: unde manifeſtum eſt, animam Chriſti non fuiſſe ante corporis ejus conceptionem. Oſtenſum eſt enim, quod animæ humanæ propriis corporibus non præexiſtunt. Unde patet falſum eſſe Origenis dogma dicentis animam Chriſti ab initio ante corporales creaturas cum omnibus aliis creaturis ſpiritualibus creatam, & à Verbo Dei aſſumptam, & demum circa finem Sæculorum pro ſalute hominum carne fuiſſe indutam.*

5. *Beatitudo hominis poteſt amitti.*

D. Thomas 1. 2. q. 5. art. 4. *Dicitur Matth. 23. de juſtis quòd ibunt in vitam æternam.*

Et Pſal. 83. *Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.*

Rurſus Sap. 5. *Juſti in perpetuum vivent*, itaque beatitudo hominis nequit amitti... ut Origenes poſuit.

Ratio autem eſt, *quia beatitudo hominis in viſione divinæ eſſentiæ conſiſtit, eſt autem impoſſibile, quòd aliquis videns divinam eſſentiam eam velit non videre, quia omne bonum habitum, quo aliquis carere vult, aut eſt inſufficiens, & quæritur aliquid ſufficientius loco ipſius: aut habet aliquod incommodum annexum, propter quod in faſtidium venit: viſio autem divinæ eſſentiæ replet animam omnibus bonis, cum conjungat fonti totius bonitatis; unde dicitur in Pſal. 16. Satiabor, cum apparuerit Gloria tua, Similiter etiam non habet aliquod incommodum adjunctum quia de contemplatione ſapientiæ dicitur ſapientiæ 8. Non habet amaritudinem converſatio illius, nec tædium convictus ejus. Non itaque propria voluntate beatus poteſt beatitudinem deſerere. Similiter non poteſt eam perdere Deo ſubtrahente. Quia cum ſubtractio Beatitudinis ſit quædam pœna, non poteſt talis ſubtractio a Deo juſto judice provenire niſi pro aliqua culpa, in quam cadere non poteſt.*

6. *Damnatio Dæmonum, & impiorum aliquando finem habitura eſt.*

D. Thomas in ſuppl. q. 99. art. 2. *Dicitur Matth. 25. Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis ejus*; ergo & diaboli, & damnati *æternaliter punientur.*

Dein-

Deindè in corp. *Error Origenis fuit* (*ut Auguſt. lib.* 22. *c.* 17. *de Civitate Dei dicit*) *quod dæmones quandoque per Dei miſericordiam liberandi ſunt à pœnis. Sed iſte Error eſt ab Eccleſia reprobatus, quia manifeſtè authoritati Sacræ Scripturæ repugnat, quæ habetur Apocalypſis* 20. *Diabolus qui ſeducebat eos, miſſus eſt in ſtagnum ignis, & ſulphuris, ubi & beſtia, & pſeudo-Propheta cruciabuntur die, ac nocte in ſæcula ſæculorum; per quod in Scriptura ſignificari æternitas conſuevit.*

Deus quidem (ad 1.) *quantum in ipſo eſt, miſeretur omnibus, ſed quia ejus miſericordia ſapientiæ ordine regulatur, inde eſt, quòd ad quoſdam non ſe extendit, qui ſe miſericordia fecerunt indignos, ſicut Dæmones, & damnati, qui ſunt in malitia obſtinati.*

1. *Poſt primam pœnitentiam, quæ agitur in Baptiſmo, peccans non poteſt iteratò per pœnitentiam reſtitui.* *Errores Novati & Novatianorum.*

D. Thomas 3. p. q. 84. a. 10. *Circa pænitentiam quidam erraverunt dicentes non poſſe hominem per pœnitentiam conſequi veniam peccatorum poſt Baptiſmum, ut Novatiani dixerunt. Videtur autem hujuſmodi Error proceſſiſſe ex eo, quòd putarent adeò grave eſſe peccatum, quod aliquis committit poſt veniam impetratam, quod non ſit poſſibile ipſum remitti. In quo quidem errabant & ex parte peccati, (quod etiam poſt remiſſionem conſecutam poteſt eſſe, & gravius, & levius, quam fuerit primum peccatum remiſſum) & multò magis contra infinitatem divinæ miſericordiæ, quæ ſuperat omnem numerum, & magnitudinem peccatorum ſecundùm illud Pſal.* 50. *Miſerere mei Deus ſecundùm magnam miſericordiam tuam, & ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum, dele iniquitatem meam. Unde reprobatur verbum Cain dicentis Geneſ.* 4. *Major eſt iniquitas mea, quàm ut veniam merear. Et ideò miſericordia Dei peccantibus, per pœnitentiam veniam præbet abſque ullo termino, unde dicitur* 2. *Paral. ult. Immenſa, & inveſtigabilis miſericordia promiſſionis tuæ ſuper malitiam hominum, unde manifeſtum eſt, quod pænitentia pluries eſt iterabilis.*

Novi-

Object. Novatiani objiciebant perpetuò illud Apoſtoli ad Hebræos 6. *Impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, & guſtaverunt Cæleſte donum, & participes ſunt facti ſpiritus Sancti, & prolapſi ſunt, renovari rurſus ad pœnitentiam.*

Reſp. Sed ſenſus verborum Apoſtoli eſt, quòd impoſſibile ſit ſemel illuminatos, id eſt, Baptizatos rurſus renovari ad pœnitentiam, id eſt, iterum Baptizari, ut egregiè explicat S. Doctor ad 1. *Quia apud Judæos erant ſecundùm legem quædam Lavacra, in quibus pluries ſe ab immunditiis purgabant, credebant aliqui Judæorum, quòd etiam per Lavacrum Baptiſmi aliquis pluries purificari poſſet. Ad quod excludendum Apoſtolus ſcribit Hebr. 6. quòd impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati ſcilicet per Baptiſmum, rurſum renovari per pœnitentiam, ſcilicet per Baptiſmum, qui eſt Lavacrum regenerationis, & renovationis ſpiritus Sancti, ut dicitur ad Tit. 3. Et rationem aſſignat ex hoc, quòd per Baptiſmum homo Chriſto commoritur, unde ſubdit, rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei.* Baptiſmus itaque iterari nequit, benè autem, & ſæpius Sacramentum pœnitentiæ.

2. *Non datur Sacramentum confirmationis.*

Sectarii. D. Thomas. Opuſculo 5. quod eſt de Sacramentis Eccleſiæ. *Dicitur, Act. 8. Imponebant* (Apoſtoli) *manus ſuper illos*, qui erant Baptizati à Philippo Diacono, *& accipiebant Spiritum Sanctum*. Per impoſitionem verò manuum ſuper Baptizatos factam ab Epiſcopis (quales erant Apoſt.) & collationem ſpirit. Sancti, ſemper Eccleſia intellexit *confirmationis Sacramentum*.

Error Rebaptizantium. *Baptizati ab Hæreticis, abſolutè rebaptizandi ſunt.*

D. Thomas. 3. p. q. 64. art. 9. *Quia miniſter in Sacr. inſtrumentaliter operatur, non agit in virtute propria, ſed in virtute Chriſti*, qui interiùs Baptizat ſecundùm illud Joan. 1. *Super quem videris ſpiritum deſcendentem, & manentem, hic eſt, qui Baptizat*... Undè & hæretici (ad 2.) Qui ſervant Eccleſiæ formam, conferunt Sacramentum Baptiſmi, proindèque ab illis Baptizati non ſunt abſolutè, ſeu ſimpliciter rebaptizandi.

Cyprianus quidem nullo modo Sacramentum conferre hæreticos poſſe credebat; ſed in hoc ejus ſententia non tenetur.

Unde

Unde Auguſtinus dicit: Marytrem Cyprianum, qui apud hæreticos, vel ſchiſmaticos datum Baptiſmum nolebat cognoſcere, tanta merita uſque ad Triumphum Martyrii ſecuta ſunt, ut Charitatis, qua excellebat, luce obumbratio illa fugaretur, & ſi quid purgandum erat, Paſſionis falce tolleretur.

Hodie ob ſuſpicionem non infundatam de mente Hæreticorum in collatione Baptiſ. ab intentione Eccleſiæ aliena, plerumque in noſtro Belgio in cautelam Baptizati ab Hæreticis, *ſub conditione* Baptizantur. Sed nunquam tales licuit, nec licet abſolutè rebaptizare.

Nulla ſpes ſalutis eſt illis, qui poſſident divitias.

D. Thomas 2. 2. q. 100. art. 10. *Dominus dixit Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*, exprimens autem quæ eſſent hæc mandata, nullum de abdicanda rerum ſuarum poſſeſſione explicuit. Non eſt itaque neceſſaria ad ſalutem divitiarum abdicatio: quamvis illis renuntiare majoris ſit perfectionis, ut patet ex ſequentibus: *ſi vis perfectus eſſe, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.* Majoris id, inquam, perfectionis opus eſt, non neceſſitatis. *Error Apoſtolicorum.*

Unde Auguſtinus expendens verba Apoſtoli 1. ad Timoth. 6. *Præcipe divitibus hujus ſæculi non ſuperbè ſapere: neque ſperare in incerto divitiarum; non ait Apoſtolus*, inquit, *præcipe divitibus hujus mundi, ut vendant omnia, quæ habent, & dent pauperibus, ſed præcipe non ſuperbè ſapere, neque ſperare in incerto divitiarum.* Epiſt. 89.

In Trinitate non eſt Perſonarum diſtinctio, ſed tantùm ſunt tria unius Dei nomina ad inſinuandos diverſos Divinitatis effectus compoſita. *Error Sabellii.*

D. Thomas 1. p. q. 47. art. 1. *Sabellius dixit, ipſum Deum Patrem Filium dici, ſecundùm quod carnem aſſumpſit ex Virgine* (ex quo neceſſariò deducebatur Deum Patrem eſſe paſſum, undè & ipſius ſectatores etiam *Patri-paſſiani* appellati ſunt) *& eundem dici ſpiritum Sanctum, ſecundùm quòd creaturam rationalem ſanctificat, & ad vitam movet:* ita ut ſicut una eſt in divinis eſſentia, ita juxta Sabellium, una etiam ſit tantum Perſona. *Huic autem acceptioni repugnant verba*

Domi-

Domini de ſe dicentis Joan. 5. *Non poteſt facere à ſe Filius quidquam:* & illud 1. Joan. 5. *Ut ſimus in vero Filio ejus:* eſt igitur in Deo vera Paternitas, & Filiatio, ubi autem eſt vera Paternitas, & Filiatio, debet eſſe diverſum ſuppoſitum, ſeu perſona, cum hæc relativè opponatur.

Sed præter duas perſonas, Patrem ſcilicet, & Filium, etiam tertia nempè Spiritus Sanctus clariſſimè in Scripturis exprimitur Matth. 28. *Baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti:* & 1. Jo. iterum 5. *Tres ſunt qui Teſtimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt.* Tres ſcilicet in *Perſona*(quod negavit Sabellius,) & unum in eſſentia.

Accedit quæſt. 30. artic. 1. *Dicit Athanaſius* in ſuo famoſo Symbolo. *Alia eſt Perſona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti, Ergo Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus ſunt plures Perſonæ.*

Errores Manichæorum

1. *Dantur duo Dii, ſeu duo principia, unum bonorum, aliud malorum.*

D. Th. 1. p. q. 11. art. 3. *Dicitur Deuter. 6. Audi Iſrael; Dominus Deus tuus*, Deus unus eſt. Et iterum 27. *Videte, quod ego ſim ſolus, & non ſit alius præter me.* Et Iſai. 45. *Ego Dominus, & non eſt alter.*

Sed in novo Teſtamento dicitur 1. ad Corinth. 8. *Nullus eſt Deus, niſi unus.* Ad Epheſios etiam. 4. *Unus Dominus, una fides, unum Baptiſma, unus Deus, & Pater omnium, qui eſt ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.*

Ratio autem iſtius potiſſimum petitur loco citato D. Th. ex infinitate perfectionis Dei. *Deus enim comprehendit in ſe totam perfectionem eſſendi. Si ergo eſſent plures Dii, oporteret eos differre. Aliquid ergo conveniret uni, quod non alteri. Et ſic ille, in quo eſſet privatio, non foret ſimpliciter perfectus. Si autem hoc eſſet, perfectio alteri eorum deeſſet. Impoſſibile eſt ergò eſſe plures Deos.*

Ex infinitate perfectionis Dei evidentiſſimè conſtat non poſſe dari malum Deum. Sed audiatur ulterius S. Do-

S. Doctor id explanans 1. contra Gentes cap. 39. *Malum*, inquit, *bono oppoſitum eſt: natura autem boni, vel ratio in perfectione conſiſtit, ergo ratio mali in imperfectione, defectus autem vel imperfectio in Deo, qui eſt perfectus, eſſe non poteſt. In Deo igitur malum eſſe non poteſt*; adeoque dari nequit malus Deus. Sed & Scriptura id clare aſſerit Matth. 10. *Nemo bonus niſi ſolus Deus*. Et Exodi 2. Dicitur, *non eſt Sanctus, ut eſt Dominus*: atque hoc univerſa etiam certatim natura demonſtrat.

2. *Principium corporalium, & carnis noſtra eſt Diabolus, proindeque Caro noſtra de ſe mala eſt.*

D. Thomas 1. p. q. 65. a. 1. *Dicitur Pſal. 12. Qui fecit* (Deus) *Cœlum, & terram, mare, & omnia, qua in eis ſunt.*

Et in Nova lege dicitur ad Hebræos 3. *Qui autem omnia creavit, Deus eſt*. Et Joann. 1. *Omnia per ipſum Facta ſunt.*

Cauſa autem hujus Erroris eſt (Opuſc. 6. paulò poſt initium) *quia Manichæi neſcientes diſcernere, quid ſit malum, & quid bonum: crediderunt, quòd omnia illa, qua ſunt aliqualiter mala, ſimpliciter eſſent mala: ſicut ignis quia urit, dicitur ab eis ſimpliciter malus, & aqua quia ſuffocat, & ſic de aliis. Unde quia nihil iſtorum ſenſibilium* (ſeu corporalium) *eſt ſimpliciter bonum, ſed aliqualiter malum, & deficiens, dixerunt, quòd viſibilia*, ſeu corporalia *omnia non ſunt facta à Deo bono, ſed à malo*, vel à Diabolo. *Contrà hos ponit Auguſtinus tale exemplum. Si aliquis intraret domum fabri, & inveniret inſtrumenta, ad qua impingeret, & læderent eum; & ex hoc reputaret illum fabrum malum, quia tenet talia inſtrumenta, ſtultus eſſet, cum faber ea teneat ad opus ſuum: ita ſtultum eſt dicere, quod creatura ſunt mala, quia ſunt in aliquo nociva. Nàm quod uni eſt nocivum, alteri eſt utile*. Proindèque maximè à ratione alienum eſt dicere Deum non eſſe creatorém omnium viſibilium. Cum habeatur *Gen. 1. In principio creavit Deus Cœlum, & terram. Ad hunc* proindè *Errorem removendum dicitur factorem Cœli, & terra*, viſibilium, ſeu cor-

Object. corporalium *omnium*, *& inviſibilium*.

Reſp. Ad illa autem verba; *Deus hujus ſæculi &c.* (quæ de Diabolo dicta aliam Manichæorum formant objectionem) reſpondet D. Thomas 1. p. loco præcitato. *Dicitur Diabolus eſſe Deus hujus ſæculi non* creatione, *ſed quia ſæculariter viventes ei ſerviunt, eo modo loquendi, quo Apoſtolus loquitur ad Philipp.* 3. *quorum Deus venter eſt*.

Cum dæmon non ſit principium *corporalium*, nec per conſequens principium, ſeu conditor eſt *carnis noſtræ*, proinde *Caro noſtra* non eſt de *ſe mala*. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat* (inter alia verò *creavit* Deus Hominem, qui & animâ, & *carne* conſtat) *& erant valdè bona*. Geneſ. 1. & 1. ad Timoth. 4. Dicitur. *Omnis creatura Dei bona eſt*.

3. *Nuptiæ ſunt illicitæ*.

D. Thomas in ſuppl. q. 41. art. 3. 1. *Ad Corinth.* 7. *Dicitur, ſi Nupſerit virgo, non peccavit*.

Deindè hos hæreticos prævidens Spiritu Prophetico Apoſtolus 1. ad Timoth. 4. ſic de illis ait: *Spiritus manifeſtè dicit, quia in noviſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus Erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocriſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium ſuam conſcientiam, prohibentium nubere*, idcircò autem prohibentium, quia falsò autumant carnem noſtram, adeòque & generationem, quæ per nuptias procuratur, eſſe à malo Deo.

4. *Chriſtus habuit tantùm corpus phantaſticum*.

Vide ſæculo 1. Errorem 2. *Saturnini*, *Baſilidis*, *& Cerdonis*, aliorumque ſæculo 2.

4. *Non licet occidere animalia in uſum hominum*.

D. Thomas 2. 2. q. 64. art. 1. *Nullus peccat ex hoc, quòd utitur re aliqua ad hoc, ad quod eſt ordinatum. In rerum autem ordine imperfecta ſunt propter perfectiora, ſicut etiam in via generationis natura ab imperfectis ad perfecta procedit. Et inde eſt, quòd omnia animalia ſunt Propter hominem, ita ut illorum uſus ſit ei in cibum, quod ſine mortificatione eorum fieri non poteſt. Et ideò licitum eſt, mortificare animalia in uſus hominum ex ipſa ordinatione divina. Dicitur enim Gen. 9. Omne, quod move-*

movetur, & vivit, erit vobis in cibum.

Huc etiam maximè ſpectant verba Apoſtoli loco præallegato ad Timotheum. *In noviſſimis temporibus diſcedent quidam à fide... prohibentes abſtinere à cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione.*

6. *Animæ tranſeunt de uno corpore ad aliud corpus.*

D. Thomas 2. contra Gentes cap. 83. paulò ultra initium capitis. *Manichæi aſſerunt animas de corpore ad corpus tranſire.. ſed hoc eſt impoſſibile.* Vide Sæculo 1. Errorem 6. Simonis Magi.

7. *Lex vetus fuit mala.*

D. Thomas 1. 2. q. 98. a. 1. *Apoſtolus dicit Rom. 7. Itaque lex Sancta eſt, & mandatum Sanctum, & juſtum, & bonum.* Et 1. ad Corinth. 1. *Scimus quoniam bona eſt Lex:*

Ratio autem eſt, quia *ſicut doctrina oſtenditur eſſe vera ex hoc, quod conſonat rectæ rationi, ita etiam lex aliqua oſtenditur eſſe bona ex hoc, quòd conſonat rationi. Lex autem vetus rationi conſonabat: quia concupiſcentiam reprimebat, quæ rationi adverſatur, ut patet in illo mandato: non concupiſces rem proximi tui. Ut ponitur Exodi 20. Ipſa etiam omnia peccata prohibebat, quæ ſunt contra rationem. Undè manifeſtum eſt, quod bona erat, & hæc eſt ratio Apoſtoli Rom. 7. Condelector, inquit legi ſecundùm interiorem hominem: & iterum; conſentio legi, quoniam bona eſt.*

8. *Homo non eſt liberi arbitrii, ſed neceſſitatur ad agendum: benè quidem ex bono principio, malè autem ex malo principio.*

D. Thomas 1. p. q. 83. a. 1. Homo eſt liberi arbitrii. *Alioquin fruſtra eſſent conſilia, exhortationes, præcepta, prohibitiones, præmia, & pœnæ.* Nec diſtingueretur à bruto, & *pro tanto neceſſe eſt, quod homo ſit liberi arbitrii, ex hoc ipſo, quod rationalis eſt.*

Nec neceſſitatur ad agendum. *Homo* (ibidem) *eſt liberi arbitrii potens in diverſa ferri.* Hinc dicitur 1. ad Corinth. 7. *Qui ſtatuit in corde ſuo*, non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuæ volun-

 tatis,

tatis, *& hoc judicavit in corde ſuo ſervare Virginem ſuam, benè facit.*

Confirmat hæc Angelicus 1. 2. q. 10. art. 4. *Ad providentiam divinam*, inquit, *non pertinet naturam rerum corrumpere, ſed ſervare: undè omnia movet ſecundùm eorum conditionem, ita quod ex cauſis neceſſariis per motionem divinam conſequantur effectus ex neceſſitate, ex cauſis autem contingentibus ſequantur effectus contingenter. Quia igitur voluntas eſt activum principium non determinatum ad unum, ſed indifferenter ſe habens ad multa, ſic Deus ipſam movet, quòd non ex neceſſitate ad unum determinet, ſed remanet motus ejus contingens, & non* neceſſarius.

Id roboratur ex loco famoſiſſimo deprompto è quæſtione 6. de malo ad 3. *Deus movet quidem voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis, quæ deficere non poteſt: ſed propter naturam voluntatis motæ, quæ indifferenter ſe habet ad diverſa, non inducitur* neceſſitas, *ſed manet libertas.*

Nec Deus neceſſitat hominem *ad benè* agendum. *Sine libertate enim, nec virtus datur, nec peccatum*, ut Patres loquuntur.

A fortiori non neceſſitat eum ad *malè* agendum, ſeu ad *malum*: alioquin Deus foret cauſa mali, quod eſt impium, & ſupra refutatum ſæculo 2. In *Florino*.

Opponebant quidem *Manichæi*, hominem neceſſitari ad *malum* ex *malo principio;* ſed jam ſupra probatum eſt, unum tantum dari Deum, ſeu rerum principium, & implicari dari *malum Deum*.

Errores Hieracis. 1. *Paradiſus non eſt locus ſenſibilis*, ſeu *Corporeus*.

D. Thomas 1. q. 102. art. 3. *Dicitur Geneſ. 2. tulit Deus hominem, & poſuit eum in Paradiſo*. Homini verò utpote corporeo locus corporeus convenit.

Deinde, *ea, quæ de Paradiſo in Scriptura dicuntur, per modum narrationis hiſtoriæ proponuntur. In omnibus autem, quæ ſic Scriptura tradit, eſt pro fundamento tenenda veritas hiſtoriæ*. Art. 1. Undè oportet intelligere Paradiſum talem, qualis in Scriptura deſcribitur, hoc eſt, verum locum ſenſibilem, ſeu corporeum.

2. Mel-

2. *Melchiſedech eſt Spiritus Sanctus.*
Cum Melchiſedech fuerit *purus homo*, ut vidimus ſæculo 2. ad Errorem *Melchiſedechianorum*, dici nequit *Spiritus Sanctus*.

APPENDIX AD SÆCULUM III.

ANgelici (quorum incertus eſt Author) eam denominationem obtinuere, vel quod mundum ab Angelis conditum cenſerent, (qua de re pagina 9. adverſus *Simonem Magum*) vel quod Angelicam ſe vitam ducere jactitarent, vel certè quòd propenſi eſſent ad Angelos adorandos, ut teſtis eſt Auguſtinus hęreſi 39. *Angelici*

Beryllus Boſtrorum Arabię Epiſcopus aſſeruit, *Chriſtum ante Incarnationem non habuiſſe divinitatem propriam, ſed ſolam Patris in eo extitiſſe.* *Beryllus*

Eum Origenes ad ſanam fidem reduxit.

Convenit error pręcipuè cum *Sabellio*, p. 62. Videtur etiam nonnihil accedere ad *Photinum* p. 90.

ERRONES SÆCULI QUARTI.

LUcilla mulier Hiſpana prædives, & factioſa Schiſmatis Donatiſtarum, diriſſimique ſubſecuti incendii non leve fuit inſtrumentum. Hæc morans Carthagine à *Cæciliano* Carthaginenſis Eccleſię Archidiacono reprehenſa, quòd ante Sacram Communionem os cujuſdam hominis mortui, etſi Martyris; ſed nondum vindicati, & ab Eccleſia agniti, ſuperſtitioſis oſculis veneraretur, ſe ulciſcendi ira muliebri exæſtuans moliebatur occaſionem. Fortè accidit, ut *Menſurius* Carthaginenſis Epiſcopus à Tyranno *Maxentio* Romam evocatus propterea quod Diaconum quemdam *Felicem* nomine famoſæ adverſus Imperatorem illum Epiſtolæ authorem apud ſe occultaſſet, nec repręſentare vellet, Senioribus Eccleſię vaſa, & ornamenta commendaret. Quo defuncto, *Cæcilianus* in ejus locum electus eſt, & *Donatiſtæ.*

à *Felice* Aptungitano ordinatus. Cum verò à ſenioribus illis depoſitum Sacrum repeteret, hi communionem ejus averſati ſunt. Iis ſe *Lucilla* conjunxit cum Botro, & *Cæleſio*, qui eundem Epiſcopatum ſpe devorarant, & illa fuerant dejecti. Sic tribus convenientibus diverſis cauſis, & perſonis, ingens ſchiſma formatum eſt, quod Fœminæ iracundia peperit, ambitio virorum nutrivit, avaritia roboravit. Ut autem ſchiſmati ſuo colorem aliquem obtenderent, vitioſam eſſe *Cæciliani* ordinationem confinxerunt, quòd *Felix* Aptungitunas ejus ordinator, Sacros Codices tempore perſecutionis Infidelibus tradidiſſet: & ipſe *Cæcilianus* Confeſſoribus olim in carcere conſtitutis victum afferri prohibuiſſet. Exindè à Schiſmaticis accerſitus eſt Carthaginem Traditorum Princeps *Secundus* Tigiſitanus Numidiæ Primas, cum aliis Traditoribus 70. Epiſcopis; qui ſeorſim à *Cæciliano* coeuntes adverſus eum crearunt pſeudo-Epiſcopum *Majorinum* antea domeſticum *Lucillæ*, & qui Rector fuerat in Eccleſia, dum *Cæcilianus* munere Archidiaconi fungebatur. Porrò *Traditorum* nomen ab eo profluxit, quòd in Synodo *Cirtæ* in Numidia durante Diocletiani, & Maximiniani perſecutione, celebrata præfatus *Secundus* cum aliis pleriſque Epiſcopis convictus eſſet de codicibus ex Imperatorum edicto combuſtioni traditis.

Præcipuus verò author, & fautor ſchiſmatis Donatiſtarum, fuit *Donatus à Caſis Nigris* in Numidia Epiſcopus, à quo *Majorinus* ordinatus eſt. At erubeſcentes Donatiſtæ ab *eo* denominari, qui in Concilio Romano anno 316. per *Melchiadem* Pontificem Maximum damnatus fuerat; confirmato è contra ab eodem Melchiade *Cæciliano*, ab alio poſtea *Donato*, qui *Majorino*, in ſchiſmate ſucceſſit, nomen ſe accepiſſe jactarunt quem ab omni labe puriſſimum eſſe defendebant, & qui magnas eloquentia ſua factioni vires ſubminiſtravit.

Schiſma Donatiſtarum in hæreſim evaſit, cujus hi ſunt præcipui Errores.

1. ***Eccleſia eſt tantùm in ea parte Africæ, quæ adhæret Donato, ita ut alibi terrarum perierit.*** Ad illud commentum fulciendum verbis Sponſæ in canticis canticorum utebantur; *indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pa-*

paſcas, ubi cubes in Meridie: illũ textũ Errori ſuo, quòd Africa ſita ſit in meridiana orbis parte favere arbitrãtes, ut teſtatur Auguſtinus lib. de unitate Eccleſiæ cap. 16.

2. *Intrà Eccleſiam non ſunt boni, & mali, ſed ſoli boni.* Quales erant, juxta ipſos, *ſoli* Donatiſtæ.

3. *Baptiſmus extrà Eccleſiam collatus nullus eſt.* Et quia Eccleſiam in toto terrarum orbe defeciſſe, & intrà ſuam ſectam coarctari comminiſcebantur, ideò Catholicos, qui illorum ſchiſmati inſerebantur, extra Eccleſiam, ut ſupponebant, Baptizatos, rebaptizabant.

Juvat modo luſtrare *Donatiſtarum* in res Sacras furorem.

Donatiſtarum in res Sacras furor.

Sacro-Sancta Eccleſiæ Sacram, indigniſſimè tractabant Euchariſtiam canibus projicientes, & Sanctum Chriſma effundentes. Altaria etiam evertere ſolebant: quod ſi ab Altarium everſione aliquando temperarent, ea ſacrilego ritu radebant quaſi à Catholicis violata. Calices quoque Sacros frangebant, ut graviter exponit lib.6.contra *Donatiſtas* pag. 95. *Optatus* Milevi in Numidia Epiſcopus, ac indè dictus *Milevitanus*. *Fregiſtis Calices Chriſti Sanguinis portitores, quorum ſpecies revocaſtis in maſſas mercem nefariis nundinis procurantes, ad quam nec emptores eligere voluiſtis ſacrilegi, dum inconſideratè eos vendidiſtis.... emerunt Pagani facturi vaſa, in quibus incenderent Idolis ſuis. Oſcelus nefarium! ò facinus inauditum! auferre Deo, quod Idolis præſtes; ſubducere Chriſto, quod proficiat ſacrilegio*, Codices, pallas, & vela Sacra per vim extorquebant, & velut profanata à Catholicis purificabant. Immanitatem, & horribilem in Catholicos ſævitiam exercebant. Nec in vivos tantum, ſed in mortuos quoque illorum graſſabatur furor. Id teſtatur præfatus Author pag. 99. *Ad hoc Baſilicas invadere voluiſtis, ut vobis ſolis cemeteria vendicetis, non permittentes ſepeliri corpora Catholica. Ut terreatis vivos, malè tractatis & mortuos, negantes funeribus locum. Si inter viventes fuerat certamen, odia veſtra vel mors aliena compeſcat. Jam tacet, cum quo paulò ante litigabas. Quid inſultas funeri? quid impetis ſepulturam? quid cum mortuis litigas? perdidiſti malitiæ fructum. Etſi enim corpora non vis in unum quieſcere, animas tamen in uno*

apud Deum poſitas non poteris ſeparare.

Circum-cellliones Sub eodem *Donato*, ipſoque docente, & hortante, oborti ſunt in Africa *Circumcelliones* ſic dicti (inquit Auguſtinus in Pſalm. 132.) quòd circum cellas vagarentur, quos tamen à Donato *Agoniſticos*, & eorum præfectos *duces Sanctorum*, appellatos eſſe ſcribit *Optatus*. Erant hi ſectæ Propugnatores, audebant Magiſtratibus reſiſtere: per nundinas, villas, vicoſque circumvagantes jactabant ſe eſſe publicæ juſtitiæ vindices, eoque prætextu & ſervos in libertatem aſſerebant, & oppreſſos ære alieno è creditorum poteſtate eruebant. Seipſos inſano Martyrii furore agitati necabant præcipitio, aqua, aut igne, aut alios ad inferendam ſibi mortem ut lauream Martyrii capeſſerent, cogebant: undè hoc erat potiſſimum ipſorum dogma.

Licitum eſt ſeipſum occidere, ut quis coronam Martyrii accipiat.

Jam per tria ſecula, ferventibus Tyrannorum perſecutionibus, totus quodammodò orcus in Eccleſiam effuſus fuerat. Deſævierant in Martyres ingenia crudelitatis. Nemo niſi tortus, vel tortor erat. Cum tandem pax optatiſſima fugatis, oppreſſis, extinctis Tyrannis,

Pax affulget Eccleſiæ per Conſtantinum, ſub *Conſtantino Magno*, Eccleſiæ illuxit. Sed ſanè *in pace amaritudo* illius *fuit amariſſima*. Fuerat enim antè, tot inter cruciatus Eccleſia damnis ſuis ferax, miſeriis felix, ruinis erecta, jacturis dives, rediviva in morte, mortalium victrix, & dæmonum: mediis in fluctibus immota, & quieta: pace verò ſibi per *Conſtantinum* reddita; tot quaſſata fuit tempeſtatibus, tot avulſa innumeris dolis, fraudibus, & machinationibus à ſe membra conſpexit, & ingemuit, ut non ſolùm concuſſa, ſed etiam penè ſubmerſa videretur navis *Petri*. Sed *fluctuat, at nunquam mergitur illa ratis*.

Arius. Fluctus illos Eccleſiæ movit *Arius*, ex Lybia oriundus teſte S. Epiphanio, ea videlicet, quæ Ægypto vicina eſt, & Alexandriæ contributa. Undè Alexandria paſſim dicitur ejus patria. Schiſmaticus fuerat, antequam Hæreſiarcha; Meletio quippe Licopolis in Ægypto Antiſtiti, qui à S. Petro Alexandrino ob idololatriæ crimen, aliaque ſcelera in Concilio Epiſcoporum depoſitus

ſitus fuerat, & ſchiſma excierat, res novas molienti comitem ſe adjunxit. Schiſmati in ſpeciem renuntians à S. Petro Diaconus ordinatus eſt. Sed cum interim Petrus Meletium, cui clam communicabat Arius, excommunicaſſet, ille hujus impatiens, & vituperator diſciplinæ, ab eo pulſus eſt ex Eccleſia. Commemorant acta S. Petri Alexandrini, cum Arius Eccleſię reddi à S. Petro in carcere conſtituto,& jam Martyrio proximo vehementiùs poſtularet, Chriſtum Sanctiſſimo Prẹſuli noctu apparuiſſe veſte diſciſſa, cauſamque rei ſciſcitanti reſpondiſſe: *hanc mihi ſcidit Arius. Præcave omnino, ne eum in communionem recipias. Quin potius jubeto Achillę, & Alexandro Presbyteris, qui poſt tuum exitum recturi ſunt Eccleſiam meam, ne eum in illam admittant.* *Apud Baronium ad Ann Chriſti* 310. *nu.* 4. & 5.

Poſt S. Petri Martyrium, in Eccleſiam Arius irrepſit, & ab Achilla ſuſceptus in communionem, Presbyter creatus eſt. Porrò ad fabricandam hẹreſim eum impulit Ambitio, & invidia in Sanctum Alexandrum, quem ſibi poſt mortem Achillę prẹlatum in electione ad Epiſcopatum Alexandrinum ægrè ferebat. Cum igitur Sanctiſſimi Prẹſulis vitam non poſſet,doctrinam criminari ſtatuit. Utque elati animi fẹditatem, quam deformi fatebatur aſpectu, ſacrilega fateretur & lingua, novo, atque impio dogmate diſſeminato, ad quem honoris gradum nequiverat ingredi per oſtium, aliundè velut fur, & latro aſcendere nixus eſt. Itaque de Dei Filio illa jactare in vulgus cẹpit. *Erat aliquando, quando non erat. Genitus non ex ſubſtantia Patris. Ex tempore non ab æterno; haudquaquam Deus verus de Deo vero; ſed ex nihilo creatus, & minor Patre.* Quæ, aliaque cum impiè eructaret, innumeris ſanè calamitatibus afflixit Eccleſiam. Primò ſeptingentas Virgines Deo Sacras, ſeptem Presbyteros, Diaconos 12. Epiſcopos duos peſtilenter infecit, quos S. Alexander coacta ex Lybia, & Ægypto centum Epiſcoporum Synodo, Anathemate feriit. Sed nec his Arii furor repreſſus eſt. Alexandria fugiens debacchari magis in dies, pellicere quoſcumque poſſet, in ſceleris conſortium, turbare privatas domos, doctiſſimos etiam Eccleſiarum Paſtores ut in lupos verteret, allaborare: Euſebium in primis Nicome-

dienſem Epiſcopum tot malorum ſubſecutorum artificem ſibi devincit : interea ſuam quoque Thalejam adornat. Cantilena hæc erat mollis, & affabrè compoſita, in qua omne ſuæ Hæreſeos virus expreſſit, ut illud ſuavibus modulis in hominum, & præſertim mulierculárum ad voluptates proclivium animos infunderet. Aulæ etiam ſe inſeruit vaferrimus Hæreſiarcha, & *Conſtantiam* Auguſtam Conſtantini ſororem ſuis partibus addixit, ejuſque deinceps patrocinio uſus eſt.

Poſt hæc Euſebii *Nicomedienſis* opera, qui & Euſebium *Cæſarienſem* alterum malorum Architectum Arii partibus alligarat, Arianorum Epiſcoporum Conciliabulo in Bythinia celebrato, Arius in Eccleſiæ contubernium recipi jubetur. Ad graviſſimum hoc malum, quod longè, latèque ſerpebat, opprimendum; Alexander dedit Literas ad *S. Sylveſtrum* Pontificem maximum, utpotè ad quem præcipuè pertineret judicium de cauſis Fidei. Deindè Conſtantinum Imperatorem etiam atque etiam obteſtatus eſt, ut Ariani incendii flammas quæ immmaniter graſſabantur, & in populares etiam tumultus erumpebant, ſua authoritate reſtingueret. Mittitur itaque à Sylveſtro in Ægyptum magnus ille *Oſius* Cordubæ in Hiſpania Bætica Epiſcopus. Hic cum res æquiſſimè in copioſa Synodo Alexandriæ congregata componere ſtuduiſſet, tantùm abeſt, ut pax Eccleſiæ ſit reddita, ut è contra Ariana quotidiè Hæreſis magis, magiſque invaluerit.

Viſum eſt itaque Sylveſtro Pontifici ultimum ingraveſcenti malo remedium eſſe afferendum ex Concilio œcumenico. Hoc Pontifex promovente rem egregiè Conſtantino Magno, Niçææ in Bythinia Aſię Provincia indixit. Eò convenerunt præclariſſima mundi lumina, ſpirantes Sanctorum Reliquię, in contritis corpuſculis plures Diocletiani Victores, quos inter eminuerunt Nicolaus, & Spiridion, ille Myræ in Lycia, hic Heracleę Ægyptiorum Epiſcopus. Synodo Conſtantinus non ut Judex, ſed ut pacis conſervator, & conciliator interfuit, cujus præſentia, & Majeſtas omnem, quæ ſuboriri poſſet, inſolentiam intra officii limites cohiberet. Concilio præſedere Legati Apoſtolici à Sylveſtro

veſtro electi præfatus Oſius Cordubenſis, Vituſque & Vincentius Presbyteri. Arius ibi præſens a trecentis, & octodecim Patribus damnatus eſt, aſſertuſque Filius *æqualis*, *& coæternus Patri*. Concilio quoque interfuit *Athanaſius* etiamnum juvenis, & Diaconus, illuc una cum Antiſtite ſuo Alexandro profectus, iſque tanta vi animi, & ſubtilitate Arii cavillationes, argumenta, evaſiones, argutias, & ſophiſmata eluſit, ut ingentem à Catholicis gloriam, & ab Hæreticis invidiam, & odium ſibi deinceps implacabile accerſiverit. Poſt terminatam Synodum, Arius à Conſtantino in exilium amandatus eſt. Decrevit etiam Imperator, ut ejus Thaleja, & quidquam uſpiam librorum illius extaret, igni traderetur, pœna capitis in eos conſtituta, qui ipſos penes ſe retinerent. At aliquot poſt annos; Conſtantia Magni Conſtantini ſorore Arii revocationem, ut erat morti proxima, ſingularis beneficii loco ab Imperatore poſtulante, in aulam ab ipſo vocatus eſt. Illic fraudulenter Nicænæ formulæ ſubſcribens Conſtantini mandato Alexandriam reverſus eſt; & Euſebii etiam Nicomedienſis Epiſtolam ad Athanaſium S. Alexandri in Patriarchatu illo ſucceſſorem detulit, qua ipſum precabatur, ut Arium ſuſciperet. Reſtitit Athanaſius, nec vel Imperatoris literis, quibus ipſi & depoſitionem, & exilium minabatur, niſi Arium in Eccleſiam admitteret, flecti potuit impavidi, inconcuſſi, immoti, invicti, & Heroici pectoris Antiſtes.

Sanctiſſimi Præſulis conſtantia magis exaſperati Euſebiani Hieroſolymis, quò ad Templi dedicationem Conſtantini munificentia extructi cum ſuis convenerant, conciliabulum celebrant, & rogati, ut profeſſionem fidei, quam in Aula ficte Arius Imperatori obtulerat, expenderent, juſſique ab eodem Principe, ut ſi recta videretur, illum Eccleſiæ reunirent, in præfata Arii formula nihil non Orthodoxum, & Catholicum contineri pronuntiant, admittuntque in Eccleſiam tum Arium ipſum, tum Arianos omnes, quaſi per invidiam olim Anathemate damnatos.

Sed hoc non labefactavit Athanaſium; plebs Alexandrina preſtantiſſimum ſecutaPaſtorem Arium arcet ab

ab ingreſſu Eccleſiæ, & execratur, ut Hæreſiarcham: urgent è contra Ariani, ut ipſe illicò reſtituatur, gratiaque fruatur, quam ipſi conceſſerat Hieroſolymitana ſynodus; juſſu deinde Cæſaris, Magna Euſebianorum ſtipante caterva, Arius tendit Conſtantinopolim. Illic rogatus ab eo, an *Nicænam* ſervaret *formulam*, illam *ipſiſſimam*, ut narrat Socrates, lib. 1. cap. 25. Imperatori obtulit, atque, *ita* ſe credere cum juramento affirmavit, aliam interim perfidiæ ſuæ formulam ſub ala recondens, de qua juramentum ſuum reſtrictione mentali intelligebat. Harum rerum neſcius Imper. conteſtatus eſt, ſi dolosè juraſſet, Deum perjurii vindicem futurum; mandavitque Alexandro Patriarchæ Conſtantinopolitano, ut eum Excommunicatione ſolveret: Sed reſtitit piiſſimus Antiſtes, aſſerens non debere neſarium hæreſeos fabricatorem refundi in Eccleſiam: contra verò minitati ſunt Euſebiani, Arium die poſtera (erat tunc Sabbatum) ipſo incaſſum renitente, à ſe eſſe in Eccleſiam introducendum. Tum Alexander Templum ingreſſus, ſeque humi ad Altare proſternens, atque imbrem lacrymarum profundens tota nocte ardentiſſimè Deum rogavit, ut ſi Arius Eccleſiæ obtrudendus eſſet, ipſe Alexander priùs eriperetur è vita, ſin autem Eccleſiæ ſuæ Deus miſereri dignaretur, Arium è medio tolleret. Et ecce, dum Euſebiani Hæreſiarcham Triumphabundi ad Eccleſiam gravi paſſu contendentem circumcingunt, Arius ſubitò, laceſſente alvo ad latrinas publicas ponè forum Conſtantini accurrens teterrimo loco male olentem animam effuſis viſceribus exhalat.

Arii mors horrenda.

At mors tam fœda, tam improviſa, tam horribilis, tamque perſpicuum exhibens divinæ ultionis argumentum nequivit illius Sectatores ab errore avellere. Quinimò peſtifera hæreſis latiùs ſe extendit. Ex Aſia in Europam penetrans Italiam, & Illyricum per Valentem, & Urſacium Arianos, & Antiſtites infecit. Gallias Saturninus Arelatenſium Epiſcopus direlaceravit. Lues in Africam quoque, & Hiſpanias prorupit efferatas Vandalorum, & Gothorum Gentes præcipuè involvens. In hiſce tamen anguſtiis,

Progreſſus Arianiſmi.

ſuis

ſuis Eccleſia non caruit defenſoribus: quos inter emicuerunt Hilarius Pictavienſis, & Euſebius Vercellenſis (ne omnes *Euſebii* forent hæreſi contaminati) ille pro Gallia, hic pro Italia excubans. Sed omnibus fidei propugnatoribus palmam Magnus præripuit *Athanaſius* a prima adoleſcentia Arianiſmi terror, & fulmen, invidiæ, odii, detractionis, contumeliæ, acerbitatum, perſecutionum, telorum omnium ſcopus. Fugiens, exulans, latens, & de toto orbe præter ſepulchrum (fuit illud ſepulchrum Patris, in quo per quatuor menſes Alexandriæ delituit) præ inimicorum ſuorum barbarie omnes ut illum comprehenderent, latebras perſcrutantium, expunctus. Fuit ſæpius ſede ſua exturbatus; ſæpius eidem cum incredibili civium applauſu reſtitutus; ac tandem Alexandriæ, poſtquam Eccleſiam ſuam inter maximos rerum turbines 46. Annis Sanctiſſimè gubernaſſet, in lectulo defunctus glorioſiſſimis de Ariana impietate trophæis erectis. *Laus S. Athanaſii acerrimi fidei propugnatoris.*

Arianis ſuccedit ingens illa Semiarianorum congeries, quæ tot per ſæcula tam dirè proſcidit Eccleſiam Dei. Hi quidem Arii Blaſphemias deteſtari viſi ſunt, eaſque variis incruſtare fucis tentaverunt, ſed fruſtrà. *Homoiouſion*, ſeu Patri ſimilem Filium profitebantur, ſed *Homoouſion*, ſeu conſubſtantialem eſſe pernegabant. Quot procellas litera una peperit! nonnulli eum ſimilem per omnia, alii in aliquibus, alii in pluribus, aut pleriſque tantum ſimilem prædicabant: atque hinc tanta inter illos litigia, & in Synodalibus ſuis definitionibus, expoſitionibus, & fidei formulis mira eorundem à ſe, & ab aliis diſcrepantia. *Semiariani.*

Eorum aliqui rem ſibi magnam præſtitiſſe viſi ſunt, quòd *aliquam Filio æternitatem tribuerint*.

Colluthus fuit Alexandrinæ Eccleſiæ Presbyter Ario coævus. Hic merus Presbyter cum eſſet, uniquè ex Eccleſiis Alexandriæ præpoſitus, Epiſcopalia munia uſurpavit, & nonnullos auſus eſt ordinare Sacerdotes. *Colluthus.*

Præcipuus ejus Error fuit, *mala pœna non eſſe à Deo*.

Aetius cum Eunomio purum ſectatus Arianiſmum, *Aetius*

mum, docuit *Filium eſſe Patri diſſimilem*.

Fuit autem Aetius patria Antiochenus, pauperibus & vilibus natus parentibus. Primò Aurificis artem apprimè edoctus eſt, ac poſtmodum liberales diſciplinas amplexus totum ſe deinde argutiis, & ſophiſmatibus devovit. Ob horrendas impietates vulgò *Atheus*, vel impius, cognominatus fuit.

Eunomius. Eunomius fuit Aetii diſcipulus. Ab Eudoxio Ariano Cyzicenus Antiſtes creatus eſt; ſed à civibus propter ſummam in dicendo impietatem ejectus Conſtantinopolim apud Eudoxium ſe recepit.

Docebat cum Simone Mago *ſolam fidem neceſſariam eſſe ad ſalutem*. Ex hoc tam perdito principio, totius moralis Chriſtianæ corruptela ſcaturiebat, & flagitii cujuslibet impunè perpetrandi licentia, cujus exemplum profert Epiphanius, quod à teſtibus oculatis hauſerit; ſcilicet, Eunomium, cum quidam ob ſtuprum fœminæ illatum accuſarentur, & ab aliis damnarentur; hiſce nihil commotum, ſed factum illud cum riſu excipientem dixiſſe: *Nullius iſtud momenti eſt: corporis enim hæc eſt neceſſitas, quemadmodum aurem nonnunquam ſcalpimus, vel nares emungimus*.

Licèt totus eſſet in carnis ſpurcitiis volutatus, animo tamen ſe ſupra Cœli cardines ambulare jactabat. Unde docebat, *ab homine poſſe Deum comprehendi: cum ipſe tam perfectè*, ut ajebat, *Deum cognoſceret, ſicut Deus cognoſcit ſeipſum*.

Hinc etiam aſſeruit *ab intellectu creato poſſe à fortiori naturaliter Deum videri*.

Si ad retundendam quandòque perfrictam hominis procaciſſimi frontem quædam deprompta à Prophetis, vel Apoſtolis teſtimonia adverſus eum proferrentur, impudenter reſpondebat: *Apoſtolos, ſicut cæteros homines in Errorem lapſos eſſe*.

Metangiſmonitæ. Horum Author ignoratur. Dicebant *Filium ſic eſſe in Patre, ut vas minus in majori*.

Theophronius Theophronius Cappadox primum Eunomii caſtra ſecutus tandem Agnoitas progenuit: diverſos tamen ab Agnoitis ſæculi 6.

Tra-

Tradebat, *ſcientiam Dei eſſe variabilem*.

Euſtathius Arianarum partium Sebaſtæ in Armenia minori Epiſcopus *Euſtathianis* Hæreticis nomen dedit. Damnabat Nuptias cum *Saturnino* (de quo ſæculo 1.) & conjugatis ſpem omnem æternæ Beatitudinis adimebat. Undè contigit, ut mulieres plurimæ viris relictis, & viri, uxoribus dimiſſis, Matrimonii vincula diſſolverent. *Euſtathius.*

Palmaris ejus Error fuit, *jejunandum eſſe die Dominica, reliqua verò jejunia ab Eccleſia ſervari ſolita eſſe diſſolvenda.*

Audæus è Meſopotamia oriundus, vivenſque Arii temporibus Audianos progenuit. Vir fuit morum integritate conſpicuus, veritatis cultor, ſeverioris diſciplinæ æmulator, a cujus obſervantia deviantes Clericos, & ipſos Epiſcopos liberius arguebat. Hinc ab illis varia perpeſſus, tandem injuriarum impatiens ſeceſſit ab Eccleſia, & privatos cum ſuis conventus agitare cœpit. *Audæus*

Nimis crudè hæc verba interpretans; *faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*; ſuſtinuit cum Tertulliano *Deum humana præditum eſſe forma*, ſeu *figura*. Hinc & ejus Diſcipuli *Anthropomorphitæ*, id eſt humanam Deo figuram attribuentes, appellati ſunt.

Photinus Natione Galata ex urbe Ancyra, fuit Epiſcopus Sirmienſis. *Sirmium* vulgò *Sirmich* eſt Panno- *Photinus.*
niæ, ſeu Hungariæ inferioris civitas. Vir erat & ingenii viribus eminens, & eloquio præpotens: quippe qui utroque ſermone copioſè, & graviter diſputaret, & ſcriberet: quod ſuorum declaratur monumentis librorum, quos partim græco, partim latino ſermone compoſuit. Sed hæc præclara ornamenta, famamque Doctrina partam impia expunxit hæreſi, quæ fuit hæc.

In Chriſto ſola fuit natura humana, divina verò non per naturam, ſed per quandam excellentem gratiam adoptionis, quam per bona opera meruerat.

Macedonius Arianas partes ſecutus, defuncto Euſebio Nicomedienſi mortalium perditiſſimo; qui in ſedem Pauli Conſtantinopolitani intruſus fuerat, ab *Macedonius.*

Aria-

Arianis illius Eccleſiæ Epiſcopus conſtitutus eſt, reluctante populo, qui Paulo Catholico, & legitimo Antiſtiti ſuffragabatur. Favit verò Conſtantius Macedonio, Ariano Præſuli Arianus Imperator. Confeſtim ille, Paulo in exilium pulſo, Præfectum miſit cum militari manu, qui perfidum & adulterum in Eccleſiam intruderet. At civibus ſe militi opponentibus, graviſſima illorum cædes perpetrata eſt, tribus mille pro Paſtore ſuo interemptis, Sede per talem Carnificinam occupata. Clericos Pauli, & Innocentiæ propugnatores primùm Eccleſiis exturbavit; deinde vim illis intulit, ut ſuam ad communionem accederent. Plures verberibus attriti, eo auctore perierunt: alios fortunis, Urbe alios privavit; aliis in fronte notam inuri juſſit.

Auſus eſt etiam Macedonius, Conſtantio Imperatore inconſulto, & magna populi multitudine repugnante, corpus Conſtantini ex Apoſtolorum templo in aliud transferre. Quæ res & immanem civium ſtragem, & iram in ſe Conſtantii, & ſui è ſede Conſtantinopolitana expulſionem peperit. Statim ac Epiſcopatu abdicatus eſt, novam commentus eſt Hæreſim aſſerens *Spiritum Sanctum non eſſe Deum*; ne qua Sanctiſſimæ Triadis Perſona ab Orci veneno foret illibata.

Damnata fuit Hæreſis Macedoniana à S. Damaſo Pontifice Maximo in Synodo œcumenica ſecunda, quæ eſt Conſtantinopolitana 1.

Apollinaris. Uterque Apollinaris Pater, & Filius Apollinariſtarum condidit hæreſim. Junioris parens fuit Alexandrinus, ac primùm Beryti, deindè Laodiceæ docuit Grammaticam, & poſt ſuſceptum ab Uxore Filium, Sacris Ordinibus initiatus eſt, Presbyteratuſque gradum adeptus. Filius fuit Rhetoricis apprimè diſciplinis excultus, ac ejuſdem Eccleſiæ Laodicenæ Lector. Uterque à Theodoto Epiſcopo Laodiceno ſæpè commonitus, ut abſtineret à familiaritate cujuſdam Epiphanii inſignis eo tempore Sophiſtæ Gentilis, tàndem ab Eccleſia ob contumaciam ſegregatus eſt. Quodam tamen temporis præterlapſo intervallo, cum lacrymis, & jejuniis veniam flagitaſſent; peracta pœnitentia, denuò recepti ſunt.

Theo-

Theodoto defunćto, cum Georgius Arianiſmi ſe-ćtator Laodicenam regeret Eccleſiam, S. Athanaſio fortè Laodiceam tranſeunti obviam factus eſt junior Apollinaris, & cum Sanćtiſſimo Præſule familiariter congreſſus illius ſibi devinxit amicitiam. Id indignè ferens Georgius Laodicenus, Apollinarem ab Eccleſiaſtica communione removit. Ariano enim Epiſcopo piaculum videbatur inita cum Athanaſio ab Apollinari communio. Quod ille contumeliæ loco ducens (debuiſſet ſibi ſanè honori ducere pelli ab Arianis & fidei, & innocentiæ perſecutoribus,) novam excogitavit hæreſim.

Profećtò deploranda fuit tanti viri ruina. Nihil eo erat præſtantius acumine ingenii, exercitatione, dośtrina. Multùm profuerat Eccleſiæ ſub Juliani Imperio. Cum enim edićto prohibuiſſet perfidus Imperator, ne Chriſtiana juventus Gentilium imbueretur Diſciplinis, ſeu Artibus, quas liberales vocat, Apollinaris in gratiam juventutis, Hebræorum hiſtoriam uſque ad regnum Saulis deſcripſit, alioſque edidit humanioris literaturæ libros argumentis ex Scriptura Sacra depromptis. Librum etiam vulgavit adversùs Julianum, ſive adversùs Philoſophos Gentiles, quo eorum circa Deum pudendos Errores proſtravit: quod opus irridens Julianus apoſtata, ſcripſit ad Epiſcopos: *legi*, *intellexi*, *improbavi*. Ad quæ ipſi reſponderunt. *Legiſti quidem, ſed non intellexiſti: nam ſi intellexiſſes, non improbaſſes*. Undè ſummis Eccleſiæ Patribus par eſſe potuiſſet, niſi profana hæreticæ novitatis libidine cunćtos labores ſuos velut cujuſdam lepræ admixtione fœdaſſet.

Hi modò ſunt Apollinaris Errores.

1. *Verbum aſſumpſit ſolam carnem, non verò animam, ita ut Verbum fuerit carni loco animæ.*

2. *Verbum non aſſumpſit intellećtum*, ſeu *mentem*, *ſed iterum Verbum fuit loco ejus.*

Renovavit etiam Errorem *Chiliaſtarum*, ſeu *Millenariorum*, de quo ſtatim.

S. Papias Epiſcopus Hierapolitanus, vir ingenii quidem pertenuis, ut ex ejus libris judicavit Euſebius, *Millenarii*.

ſed

ſed tamen ob convictum, & familiaritatem cum Diſcipulis Apoſtolorum, nec non Martyrii coronam, venerationem maximam apud Patres ſecundi ſæculi promeritus Auctor fuit opinionis *Millenariorum*. Millenarii dicti ſunt, quod ſuſtinerent *Chriſtum mille annis hìc in terra cum Sanctis poſt Reſurrectionem regnaturum*. Multos authoritate ſua *Papias* ſuæ adſtrinxit ſententiæ: quos inter Principes fuerunt *S. Irenæus*, *S. Juſtinus* Martyr, *Nepos* Epiſcopus in Egypto, qui etiam libros pro illius opinionis aſſertione cudit; ſectatoribus poſt obitum ſuum relictis, quorum præcipuæ notæ fuit *Coracion*, qui publicè convictus eſt per *Sanctum Dionyſium Alexandrinum*.

Cæterum latiſſimum fuit diſcrimen inter Errorem Cerinthi, & ſententiam Papiæ. Ille enim docebat regnum Chriſti per mille annos, poſt Reſurrectionem carnis humanæ, terreſtre futurum: & toto illo tempore carnales voluptates, & omnia libidinum portenta eſſe in illo regno exercenda, imò & in poſterum, mille iſtis annis evolutis, futuras in illo regno carnis delicias, atque *in illis* ſitam eſſe beatitudinem: qua de re ſæculo 1. Papias verò aſſeruit Chriſtum mille annis hìc in terra cum Sanctis poſt Reſurrectionem regnaturum ſimpliciter in deliciis, ſed talibus, quæ Sanctorum Populum, Chriſtique amicos decerent.

Aſſertio Papiæ profluxit ex verbis Apocalypſis 20. ſiniſtrè intellectis, *Vidi animas decollatorum propter teſtimonium Jeſu, & propter verbum Dei, & qui non adoraverunt Beſtiam ... & vixerunt, & regnaverunt cum Chriſto* mille annis.

Porrò hic Error non fuit hæreſis in præfatis Patribus, cum nihil tunc certi Eccleſia hac de aſſertione determinaſſet; tandem *Damaſus* Papa ſæculo 4. Sententiam de *Millenariis*, quam Apollinaris inſtaurabat, alia inter dogmata, ut *Hæreticam* condemnavit.

Aerius. Aerius ex Arianorum ſecta profluxit, *Euſtathii* (de quo hìc ſupra) Sebaſtæ in minori Armenia Epiſcopi Sodalis, deindè æmulus. Ab ipſo Presbyter creatus & Xenodochio præfectus eſt. Suum deinde præ invidia non ferens Antiſtitem, hos diſſeminavit Errores.

1. Epi-

1. *Epiſcopus non eſt ſimplici Sacerdote ſuperior.*
2. *Non eſt orandum pro Defunctis.*
3. *Non eſt obſervandum jejunium Quadrageſimale, aut alia ſtata jejunia.*

Meſſalianorum hæreſis in Meſopotamia Conſtantii temporibus erupit. *Meſſaliani.*

Aſſerebant *ſemper eſſe orandum*, undè etiam *Euchitæ*, ſeu *Precatores* dicti ſunt.

Nullum apud illos erat jejunium: nullum obſervabant præceptum, ſed *ſolam orationem ad ſalutem ſufficere* exiſtimabant.

Commenti etiam ſunt, ſe per *juge orationis exercitium capaces eſſe Sanctiſſimam oculis corporeis videndi Trinitatem.*

Viſionibus, ac prę ſumptis quibuſdam rerum futurarum revelationibus eò inſanię proruperunt, ut non tantùm dicerent ſe eſſe perfectos, ſed vel Angelum, vel Prophetam, imò & ſe Chriſtum eſſe jactarent: reliquos autem indignos eſſe Chriſtiano nomine. Sed & repentè ſaltabant, ac ſaltu iſto, ſubſtratum, ut putabant, ſaltantium pedibus dæmonem conteri affirmabant; digitiſque ſagittantium ſpeciem reprę ſentantes ſe in dæmonem jaculari vociferabantur. Ob hæc omnia & *Enthuſiaſtæ* appellati ſunt, id eſt, afflati, ſeu divini.

Solebant etiam incedere ſaccis induti. Undè & *Saccophori* ſunt nuncupati.

Collyridianorum hæreſis exorta fuit in Arabia. *Collyridiani.* Qui hanc ſectabantur, Virginem Deiparam ut *Deum* colebant, & in ejus nomen collyridem, ſeu placentam panis per mulieres *in ſacrificium* offerebant. Huic enim ſexui more *Pepuzianorum* (de quibus ſæculo 2.) ſecta iſta Sacerdotii munia deſerebat; imò ſolæ ferè mulieres hanc ſectam conficiebant.

Hoc eodem ſæculo extiterunt quidam Hæretici, *Nudipedes.* quorum meminit D. Auguſtinus; qui nudis ſemper pedibus ambulabant, atque ita *Chriſtianis omnibus*, docebant *eſſe incedendum* ob verba illa Domini ad Moyſem habita; *ſolve calceamentum de pedibus tuis.* Exodi 3.

Gnoſticorum lues, quæ jam credebatur à ſæculis *Priſcilliani* extin-

extincta, Duce quodam *Marco* Ægyptio Memphitico, ex Ægypto in Hiſpanias pervadens *Priſcillianum* virum nobilem, prædivitem, ingenio, eruditione, eloquentia conſpicuum infecit. Is magicis etiam artibus ab Adoleſcentia imbutus plures Nobiles, nec non & mulierum ad ſe confluentium catervam ſibi adjungens ſingularem ſectam formavit; quam *Inſtantius*, & *Salvianus* Epiſcopi Hiſpani ejus perſuaſionibus deliniti ſuſceptam ſua Authoritate roborarunt.

Cum verò nonnulli Catholici Epiſcopi illis acriter adverſarentur, demùm Synodo apud Cęſar-auguſtam convocata, iidem Hæretici committere ſe Concilii judicio non auſi, abſentes condemnati ſunt, nempe Inſtantius, & Salvianus Epiſcopi, Helpidius, & Priſcilianus Laici. Illi tamen ad confirmandas vires ſuas, eundem Priſcillianum Abulenſem Epiſcopum conſtituerunt. E contrà verò adverſus illos Idacius, atque Ithacius Epiſcopi Catholici acriùs inſtantes à Gratiano Imperatore edictum impetrarunt, cujus vigore iidem Hæretici extrà Hiſpanias facti ſunt extorres. Sed iſti cum mulieribus quibuſdam (in quibus erat *Procula*, quæ credita eſt Priſcilliani ſtupro gravida ſibi partum abegiſſe) Romam profecti ſunt, ut apud Damaſum Pontificem ſe purgarent, & in ejus adreperent communionem. At ne in conſpectum quidem Pontificis admiſſi ſunt. Accurrentes Mediolanum æquè rejecti ſunt à S. Ambroſio. Hinc ſibi aditum ad Gratianum Imperatorem, per Macedonium Cæſari familiarem, quem pecuniâ corruptum ſuis partibus manciparant, aperuere. Hujus beneficio, reſcriptum elicuerunt à Principe, quo, reſciſſis prioribus decretis, reſtitui in integrum jubebantur. Hoc freti Inſtantius, & Priſcillianus repetiverunt Hiſpanias, & luctuoſam rerum faciem univerſo Regno peſtiferis factionibus impreſſerunt. Mortuo Gratiano, Priſcillianus damnatus in Synodo Burdegalenſi provocat ad Maximũ Imperatorem, ſed perſequentibus eum Catholicis, juſſu Maximi capite pœnas luit.

Capitalis Error Priſcilliani fuit; quòd doceret, *licitum eſſe mendacium etiam juncto perjurio*. Hinc Auguſtinus, ut Errorem refelleret, librum conſcripſit adver-

verſus mendacium. Addit S. Doctor capite 70. de Hæreſibus, Priſcillianiſtis ad turpitudines ſuas occultandas communem fuiſſe verſum illum; poſteà à *Machiavello* in ſua pſeudopolitica adoptatum.

Jura, perjura, ſecretum prodere noli.

Helvidius homo imperitiſſimus, ſed teterrimarum blaſphemiarum eructator, edito impiiſſimo libello, perpetuam Sanctiſſimæ Deiparæ Virginitatem impugnavit, effutiens *ipſam non fuiſſe Virginem poſt partum*, ſed poſt illum, ex Joſepho conjuge Filios procreaſſe. Helvidiani à S. Epiphanio vocati ſunt *Antidicomarianitæ*. *Helvidius.*

Jovinianus è Monaſterio Mediolanenſi egreſſus, cujus diſciplinam delicatulus ferre non poterat, mollem, voluptatique devotam vitam cum nomine Monachi (quo titulo, etiam poſt deſertum Monaſterium, gloriabatur) conjunxit. Ea verò ſpargere cœpit dogmata, ob quæ à S. Hieronymo *Chriſtianorum Epicurus* meritò appellatus eſt. *Jovinianus.*

1. Docuit, *Virginitatem non eſſe matrimonio præferendam.*

Hunc Errorem cùm Romæ ſeminaret, nonnullas Sanctimoniales, de quarum pudicitia ſuſpicio nulla præceſſerat, in Nuptias præcipitavit, hoc maximè ipſas premens argumento: *tu ergo melior, quàm Sara, melior, quàm Suſanna, quàm Anna? cæteræque mulieres Sacrarum Teſtimonio, Scripturarum commendatiſſimæ, quibus vos meliores, vel etiam pares eſſe non poteſtis?* His etiam illecebris magnorum virorum cœlibatum, commemorans inſignem Patrum conjugatorum vitam, arietabat.

2. Aſſeruit, *omnia peccata eſſe paria*, ſeu *æqualia*.

Honorius Imperator Jovinianum ſervili ſupplicio affectum in Boam Inſulam relegavit: ejuſque Sectarios remotiſſimis etiam inſulis adſtrinxit; ut peſtifera lues compeſceretur.

Rhetorius ad tantam vanitatem devolutus eſt, ut diceret, *quemlibet poſſe ſalvari in ſua fide*; undè ſuſtinebat, *omnes Hæreticos rectè ambulare.* *Rhetorius.*

Paterniani *inferiores corporis humani partes non à* *Paterniani*

Deo, ſed à diabolo factas eſſe opinabantur. Hinc illis partibus omnem flagitiorum licentiam impertientes, impuriſſimè vivebant.

Refelluntur Errores Sæculi quarti.

Errores Donatiſtarum.

1. *Eccleſia eſt tantum in ea parte Africæ, quæ adhæret* Donato, *ita ut alibi terrarum perierit.* D. Thomas Opuſc. 6. quo exponit Symbolum Apoſtolorum circa illa verba: *Eccleſiam Catholicam.* *Eccleſia eſt Catholica, id eſt, univerſalis, primò quantùm ad locum, quia eſt* per totum mundum contra Donatiſtas. *Rom.* 1. *Fides veſtra annunciatur in univerſo mundo, Et Matth. ult. euntes in mundum univerſum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Undè antiquitùs Deus erat notus tantùm in Judæa, nunc autem per univerſum mundum.* Non igitur Eccleſia circumſcribitur Africæ terminis, à fortiori non anguſtis illis terræ limitibus, quæ in Africa *Donato* adhærebat. Apage porrò ridiculam illam interpretationem verborum præcitatorum ex Canticis Canticorum *indica mihi, ubi cubes in meridie.* Expendantur potiùs magni Auguſtini verba commentantis libr. de unitate Eccleſiæ cap. 16. in illud Pſal. *Replebitur Majeſtate ejus omnis terra, fiat, fiat. In nunc,* inquit, *Donatiſtæ, & clamate, non fiat, non fiat.* Non diffundatur in omnem terram Eccleſia, *vicit vos Verbum Dei, dicens, fiat, fiat.* Undè etiam alibi Terrarum Eccleſia non periit.

Sed illud præterea evidentiſſimè patet ex verbis Chriſti. Matth. 28. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.* Quæ verba peremptoria expendens Auguſtinus conc. 2. in Pſalm. 101. ſic exagitat Donatiſtas. *Quid eſt, quod neſcio qui recedentes à me murmurant contra me? Quid eſt, quod perditi me periiſſe contendunt? Certè enim hoc dicunt, quia fui, & non ſum: annuntia mihi exiguitatem dierum meorum, quandiu ero in iſto ſæculo? annuntia mihi propter illos, qui dicunt, fuit, & jam non eſt, apoſtatavit, & perit Eccleſia de omnibus gentibus.*

tibus. Et annuntiavit: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.

2. *Intrà Eccleſiam non ſunt boni, & mali; ſed ſoli boni.*

D. Thomas 3. p. q. 8. art. 3. *Multi ſunt fideles, in quibus invenitur macula, aut ruga peccati.* Undè *ſi dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, ut dicitur primâ Joannis primo.*

Hinc Eccleſia aſſimilatur *ſagenæ miſſæ in mare*, (Matth. 13.) *& ex omni genere piſcium congreganti, quam, cum impleta eſſet educentes, ac ſecus littus ſedentes, elegerunt bonos in vaſa; malos autem foràs miſerunt.* Itaque & Eccleſia bonos, ac malos continet. *Sectarii.*

3. *Baptiſmus extra Eccleſiam collatus nullus eſt.*

D. Thomas 3. p. q. 67. art. 5. ad 1. *Homo Baptizans adhibet tantummodò miniſterium exterius, Chriſtus autem eſt, qui interiùs Baptizat* juxta illud Joann. 1. *Super quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt qui Baptizat in Spiritu Sancto: Chriſtus verò poteſt uti omnibus hominibus ad quodcumque voluerit, & ideò non Baptizati, ſeu extra Eccleſiam exiſtentes poſſunt Baptizare.* Adeòque validus erat Baptiſmus collatus ab iis, qui non ſtabant à parte *Donati*, etiam dato (quod tamen erat falſiſſimum) quod illi eſſent extra Eccleſiam, ſive non verè Baptizati. Proindè Donatiſtæ ab iis Baptizatos, & ſuæ ſectæ ſe aggregantes rebaptizare non poterant. Vide etiam ſupra ſæculo 3. Errorem rebaptizantium.

Licitum eſt ſeipſum occidere, ut quis coronam Martyrii accipiat.

D. Thomas 2. 2. q. 64. art. 5. *Seipſum occidere eſt omnino illicitum. Quia vita eſt quoddam donum divinitùs homini attributum, & ejus poteſtati ſubjectum, qui occidit, & vivere facit. Et ideò qui ſeipſum vita privat, in Deum peccat; ſicut qui alienum ſervum interficit, peccat in Dominum, cujus eſt ſervus, & ſicut peccat ille, qui uſurpat ſibi judicium in re ſibi non commiſſa. Ad ſolum enim Deum pertinet judicium mortis, & vitæ ſecundùm illud Deut. 32. Ego occidam, & ego vivere faciam.* Deindè; *naturaliter qualibet res ſeipſam amat,*

& ad hoc pertinet, quòd qualibet res naturaliter conſervat ſe in eſſe, & corrumpentibus reſiſtit, quantùm poteſt, & ideò quòd aliquis ſeipſum occidat, eſt contra inclinationem naturalem, & contra Charitatem, qua quilibet debet ſeipſum diligere. Non occides, Exodi 20. Nec alterum; ergo necte, à quo primò incipit dilectio.

Obj. At Martyrium, inquiebant, quod à charitate Dei imperatur, præferendum eſt dilectioni ſuipſius; ſeu vitæ propriæ.

Reſp. Quò non ruit Error! imperatur quidem Martyrium à charitate Dei, verùm ea non imperat, ut quis ſibi mortem conſciſcat, ſed ut eam patiatur. *Meritum Martyrii eſt in ipſa voluntaria ſuſtinentia mortis, prout ſcilicet aliquis voluntarie* patitur inflictionem mortis 2. 2. q. 124. a. 4. ad 4.

Obj. Quod legitur *de quibuſdam Sanctis fœminis, quæ ſeipſas tempore perſecutionis occiderunt, quarum memoria in Eccleſia celebratur*; hoc contigit *ex eo, quòd*

Reſp. *latenter Spiritus Sanctus hoc juſſerat*. Et ità *excuſatur Sampſon quòd ſeipſum cum hoſtibus ruina domus oppreſſit* 2. 2. q. 64. a. 5. ad 4.

Error Arii. *Chriſtus eſt creatura; non eſt æqualis Patri: nec ejuſdem cum eo eſſentiæ, & naturæ: non eſt coæternus Patri, undè erat, quando non erat.*

D. Thomas 4. contra Gentes c. 7. *Poſitio Arii videtur à Platonicorum dictis exorta, qui ponebant Deum Patrem, & Creatorem omnium rerum, à quo primitùs effluxiſſe dicebant quandam mentem, in qua eſſent omnium rerum forma, ſuperiorem omnibus aliis rebus, quam Paternum intellectum nominabant* (ſimile quid cuderat Baſilides ſæculo 1.) *& poſt hanc animam mundi, & deinde alias creaturas. Quod ergo in Scripturis Sacris de Dei Filio dicitur, hoc de mente prædicta intelligebat. Sic igitur Ariani de Dei Filio ſuſpicati ſunt, quòd eſſet quædam creatura ſupereminens omnibus aliis creaturis, qua mediante Deus omnia creaſſet.* Alibi advertit S. Doctor, quòd *Arius ſuſtinuerit Chriſtum ſupremum fuiſſe Cœleſtium Spirituum*: undè Origenem (de quo ſæculo 3.) meritò Arianorum fontem appellat. *Sed hæc poſitio divinæ Scripturæ repugnat. Nihil enim*

creatum Deus dici poteſt, ipſe autem Jeſus Chriſtus eſt verus Deus. Dicitur enim 1. *Joan. ult. hic eſt verus Deus, & vita æterna, Chriſtus ergo* non eſt creatura.

Deinde *Chriſtus eſt verè Filius Dei: ut ſimus in vero Filio ejus Jeſu Chriſto, Joan.* ibidem: *undè de neceſſitate ſequitur, quod ſit verus Deus, non enim vere Filius poteſt dici, quod ab alio gignitur, niſi in ſimilem ſpeciem generantis procedat. Oportet enim, quòd filius hominis homo ſit. Si igitur Chriſtus eſt verus Filius Dei, oportet, quòd ſit verus Deus. Non eſt igitur aliquid creatum.*

Quoad ſecundam partem: Filius eſt aequalis Patri, *dicitur enim Ioannis* 5. *Quærebant eum Judæi interficere: quia non ſolùm ſolvebat Sabbatum, ſed & Patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo. Hæc eſt ergo Evangeliſtę narratio, cujus teſtimonium verum eſt, quòd Chriſtus Filium Dei ſe dicebat, & Deo æqualem, & propterea eum Iudæi perſequebantur. Dicit etiam Apoſtolus Philipp.* 2. *non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe ęqualem Deo.*

Quoad tertiam. *Omnia quę habet Pater, ſunt Filii: dicit enim ipſe Filius Ioan.* 16. *Omnia, quæ habet Pater, mea ſunt, & Ioan.* 17. *Ad Patrem loquens ait. Mea omnia tua ſunt, & tua mea ſunt. Eſt ergo eadem eſſentia; & natura Patris, & Filii.*

4. Partem ſic refellit Angelicus in cap. 7. ad Hebræos. *Dicitur Ioan.* 1. *In Principio erat Verbum, id eſt, tempore quocumque dato, antè erat Verbum.* Et 1. p. q. 42. art. 2. *Verbum non eſt poſterius eo, à quo procedit niſi ſit talis intellectus, qui exeat de potentia in actum, quod de Deo diei non poteſt. Unde Filius, qui eſt Verbum, ſemper generatur, & Pater ſemper generat, adeòque Filius eſt coæternus Patri: ac* proinde de Filio *dici nequit:* erat, quando non erat, ut Arianus poſuit.

Filius eſt ſimilis Patri, non tamen ei conſubſtantialis.

D. Thomas 1. p. q. 42. art. 1. *Natura Patris, & Filii æquè perfecta eſt in utroque, & ideò non ſolùm dicimus Filium eſſe ſimilem Patri, ſed etiam dicimus æqualem,* ſeu conſubſtantialem. Et art. 2. ad 1. *Dicitur in Sy-* *Error Semianorum.*

nodo Epheſina: coexiſtere ſemper coæternum Patri, Filium ſplendor tibi denuntiet . . conſubſtantialitatem Filii *nomen inſinuet*. Huc accedunt, & verba hęc Joann. 10. *Ego, & Pater unum ſumus*, & alia Scripturę loca hìc ſtatim allata ad 2. & 3. partem Erroris Ariani.

Quantùm verò ad illud: Semiariani *aliquam Filio æternitatem* tribuerunt: vel illa ęternitas erat participata, vel neceſſaria: ſi participata; ſic D. Thomas Opuſculo 27. *Non eſt neceſſe, ut cauſa agens ſcilicet Deus præcedat duratione ſuum effectum... undè mundus potuit eſſe ab æterno*. Cum igitur creaturę non repugnet participata ęternitas, liquet, quòd Semiariani à purę creaturę conditione Filium hac via nondum exemerint. Si verò ęternitatem neceſſariam Verbo conceſſerint, ejuſdem conſubſtantialitatem ſine evidenti rationis naturalis everſione, diutiùs negare non poterant. Sanè ſimilis fermè naturę eſſe Dei Filium hos Hęreticos finxiſſe neceſſe eſt, qualis naturę fuerunt famoſi Æones, vel medię illę Deum inter, & creaturam ſubſtantię, quę neceſſariò à Deo profluebant, nec tamen Deus ipſe erant; quas traditas à Platonicis tam avidè quidam antiqui ſeculis pręcedentibus hauſerunt Hęretici. Errabant profectò omnes iſti. Quod enim neceſſariò à Deo eſt, id Deus eſt. Non igitur erant medię tantùm inter Deum, & creaturam ſubſtantię: ſed ſi neceſſariò dimanabant à Deo, Deus erant. Atque hęc applicanda ſunt Semiarianis, ſi ęternitatem neceſſariam Verbo conceſſerint.

Error Colluthi — *Mala pœnæ non ſunt à Deo.*

D. Thomas 1. p. 49. a. 2. *Deus eſt Author mali, quod eſt pœna .... dicitur enim Iſaiæ 43. Ego Dominus faciens pacem, & creans malum. Et Amos 3. Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit.*

Undè omne malum pœnę, omnis calamitas, omnis adverſitas à Deo provenit. Magnam ſanè hoc afflictis materiam conſolationis prębeat, neceſſe eſt.

Error Aetii. — *Filius eſt diſſimilis Patri.*

Jam refutatus eſt in *Ario*.

Errores Eunomii — 1. *Homo poteſt Deum comprehendere.*

D. Tho-

D. Thomas 1. p. q. 12. art. 7. *Dicitur Hier. 32. Fortiſſime, Magne, Potens, Dominus exercituum nomen tibi; Magnus Conſilio, & Incomprehenſibilis.*

Accedit ratio. *Quia Deus, cujus eſſe eſt infinitum, infinitè cognoſcibilis eſt. Nullus autem intellectus creatus poteſt Deum infinitè cognoſcere ... undè impoſſibile eſt, quod Deum comprehendat.*

Quoad verba Apoſtoli ad Philipp. 3. *Sequor, ſi quomodo comprehendam*; & 1. ad Corinth. 9. *Sic currite, ut comprehendatis ... comprehenſio largius ibi ſumitur, ſecundùm quod comprehenſio conſecutioni opponitur. Qui enim attingit aliquem, quando jam tenet ipſum comprehendere eum dicitur. Et ſic Deus comprehenditur à Beatis, ſecundùm illud Cant. 3. tenui eum, nec dimittam; & ſic intelliguntur auctoritates Apoſtoli de comprehenſione.* Si Deus propriè non comprehendatur à Beatis, nec à fortiori à nobis in via comprehenſibilis eſt, ut volebat Eunomius. **Object.** **Reſp.**

2. *Intellectus creatus poteſt naturaliter Deum videre.*

D. Thomas 1. p. q. 12. art. 4. *dicitur Rom. 6. Gratia Dei vita æterna. Sed vita æterna conſiſtit in viſione divinæ eſſentiæ, ſecundùm illud Joann. 17. hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum verum Deum; ergo videre Dei eſſentiam, convenit intellectui creato per gratiam, &* non naturam.

Filius ſic eſt in Patre, ut vas minus in majori. *Error Metangiſmonitarum.*

D. Thomas 1. part. quæſt. 42. art. 4. ad 1. *Verba illa* Joannis 14. *Pater major me eſt* (quæ hujus occaſionem Erroris ſuppeditarunt) *intelliguntur dicta de Chriſto ſecundùm humanam naturam, in qua minor eſt Patre.* Sed ſecundum naturam divinam æqualis eſt Patri. Idque liquet ex præcitatis Scripturæ Teſtimoniis. *Non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo: Ego, & Pater unum ſumus*: aliiſque: Undè & Athanaſius in famoſo Symbolo. *In hac Trinitate nihil* majus, aut minus: *ſed tota tres Perſonæ ſibi ſunt coæquales.* Abſit proindè Filium eſſe in Patre, ut vas minus in majori.

Scientia Dei eſt variabilis, ſeu mutabilis. *Error Theophronii.*

D. Tho-

D. Thomas 1. part. qu. 14. art. 15. *Dicitur Jacobi* 1. *apud Deum non eſt tranſmutatio, neque viciſſitudinis obumbratio.*

Sed & rationem expendamus. *Scientia Dei eſt ejus ſubſtantia, ſubſtantia autem ejus eſt omninò immutabilis. undè oportet ſcientiam ejus omninò invariabilem eſſe.*

Res quidem creatæ (ut objectioni occurratur) *in ſeipſis variabiliter ſunt, in Deo autem invariabiliter.*

Jejunandum eſt die Dominica: reliqua verò jejunia ab Eccleſia ſervari ſolita ſunt diſſolvenda.

Error Euſtathii D. Thomas 2. 2. q. 147, art. 5. ad 3. *Jejunia non conveniunt in diebus lætitiæ: Propter quod non eſt jejunium ab Eccleſia inſtitutum in toto Paſchali tempore, nec etiam in diebus Dominicis, in quibus ſi quis jejunaret ex aliquo Errore* (*ſicut Manichæi jejunant* prodromi Euſtathii, *quaſi neceſſarium tale jejunium arbitrantes*) *non eſſet à peccato immunis*, præſertim reliqua diſſolvendo jejunia ab Eccleſia inſtituta. *Qui vos* (id eſt, Eccleſiam) *audit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit*. Lucæ 10.

Error Photini. *In Chriſto ſola fuit natura humana; divina verò non per naturam, ſed per quandam adoptionis, quam per bona opera meruerat excellentem gratiam.*

D. Thomas Opuſc. 6. quod exponit Symbolum Apoſtolorum, circa illa verba, *qui conceptus eſt*. *Photinus voluit, quòd Chriſtus natus eſſet ex Maria Virgine, ſed addidit, quòd eſſet purus homo, qui benè vivendo, & faciendo voluntatem Dei meruit Filius Dei fieri, ſicut & alii Sancti: contra quod dicitur Joan.* 6. *Deſcendi de Cœlo, non ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem ejus, qui miſit me: conſtat autem, quòd non deſcendiſſet, niſi ibi fuiſſet, & ſi fuiſſet purus homo, non fuiſſet in Cœlo, & ideò ad hoc removendum dicitur: deſcendit de Cœlis.*

Deinde 4. contra Gent. cap. 4. circa medium. *De Dei Filio dicitur Joannis* 3. *Nemo aſcendit in Cœlum, niſi qui deſcendit de Cœlo. Apparet ergo eum fuiſſe, antequam de Cœlo deſcenderet.*

Prætereà: *ſecundùm prædictam poſitionem Photini, homo*

homo per vitæ meritum profecit in Deum: Apoſtolus autem è converſo oſtendit, quòd cum Deus eſſet, *factus eſt Homo. Dicit enim ad Philip. 2. cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus, ut homo.*

Denique, *inter cæteros, qui Dei gratiam habuerunt, Moyſes eam habuit copioſè, de quo dicitur Exodi 33. Quòd loquebatur ei Dominus facie ad faciem, ſicut loqui ſolet homo ad amicum ſuum, ſi igitur Jeſus Chriſtus non diceretur Dei Filius, niſi propter gratiam adoptionis, eadem ratione Moyſes Filius Dei diceretur, qua & Chriſtus, licet etiam abundantiori gratia Chriſtus fuerit dotatus: nam & inter alios Sanctos unus præ alio majori gratia repletur: & tamen omnes eadem ratione Filii Dei dicuntur, Moyſes autem non eadem ratione dicitur Filius, qua Chriſtus. Diſtinguit enim Apoſtolus Chriſtum à Moyſe, ſicut Filium à ſervo. Dicitur enim ad Hebr. 3. Moyſes quidem fidelis erat in tota domo ejus tanquam famulus in Teſtimonium eorum, quæ dicenda erant: Chriſtus verò tanquam Filius in domo ſua. Manifeſtum eſt ergo, quòd Chriſtus non dicitur Dei Filius per adoptionis gratiam: ſed eſt verus Filius Dei naturalis. Simus in vero Filio ejus Jeſu Chriſto. Hic eſt* verus Deus, *& vita æterna. 1. Joannis 5.*

Spiritus Sanctus non eſt Deus. *Error Macedonii.*

D. Thomas 1. p. q. 27. art. 1. *De Spiritu Sancto dicitur 1. Corinth. 3. Neſcitis, quia membra veſtra templum ſunt Spiritus Sancti? Templum autem habere ſolius Dei eſt.*

Et in eadem Epiſtola cap. 12. habetur. *Diviſiones gratiarum ſunt, idem autem Spiritus: Et diviſiones miniſtrantium ſunt, idem autem Dominus. Et diviſiones operationum ſunt, idem verò* Deus, *qui operatur omnia in omnibus.* Ecce hìc Spiritum Sanctum *Dominum* appellatum, & *Deum.*

Deindè: *ſanctificare homines* (contra Gent. cap. 17.) *proprium opus Dei eſt. Dicitur enim Levitici 22. Ego Dominus, qui ſanctifico vos. Eſt autem Spiritus San-*

Sanctus, qui ſanctificat, dicit enim Apoſtolus 1. Corinth. 6. abluti, & ſanctificati eſtis; juſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri. Et 2. ad Theſſal. 2. dicitur. Elegit nos Deus primitias in ſalutem, in ſanctificatione Spiritus, & fide veritatis, oportet igitur Spiritum Sanctum eſſe Deum.

Sed clariſſimè, & omninò ineluctabiliter panditur hæc veritas Act. 5. ubi Petrus ſic Ananiam alloquitur. *Anania, cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto? Non es mentitus hominibus, ſed* Deo.

Errores Apollinaris. 1. *Verbum aſſumpſit ſolam carnem, non verò animam, ita ut Verbum fuerit carni loco anima.*

D. Thomas 3. p. q. 5. art. 3. *Sicut Auguſtinus dicit in libro de Hæreſibus cap. 55. Opinio fuit Apollinaris, quod Filius Dei ſolam carnem aſſumpſerit abſque anima, quod autem Verbum fuerit carni loco anima: ex quo ſequebatur, quod in Chriſto non fuerint dua natura, ſed una tantùm, ex anima enim, & carne, una natura humana conſtituitur.*

Sed hæc opinio Apollinaris ſtare non poteſt; potiſſimum propter duo. Primò quidem, quia repugnat authoritati Scriptura, in qua Dominus de ſua anima facit mentionem Matth. 26. Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem, & Joann. 10. poteſtatem habeo ponendi animam meam. Sed ad hoc reſpondebat Apollinaris, quod in his verbis anima Metaphoricè ſumitur, per quem modum in veteri Teſtamento Dei anima commemoratur Iſai. 1. Calendas veſtras, & ſolemnitates veſtras odivit anima mea. Sed ſicut Auguſtinus dicit lib. 83. Quaſtionum, Evangeliſta in Evangelica narratione narrant, quòd miratus eſt Jeſus, & iratus, & contriſtatus. Qua quidem ita demonſtrant eum veram animam habuiſſe, ſicut ex hoc quod comedit, & dormivit, & fatigatus eſt, demonſtratur, eum habuiſſe verum corpus humanum; alioquin ſi & hac ad Metaphoram referantur, cum ſimilia legantur in veteri Teſtamento de Deo, peribit fides Evangelica narrationis, qua ſecundum rerum proprietatem ab Evangeliſtis ſcribitur. Undè & hæc poſitio, & explicatio eſt *contra ipſam Incarnationis veritatem*: caro enim & anima conſtituunt hominem. Hinc Athanaſius dicit. *Perfectus Deus,*

Deus, perfectus Homo, ex anima rationali, *& humana carne ſubſiſtens.*

2. *Verbum non aſſumpſit intellectum,* ſeu *mentem: ſed iterum Verbum fuit loco ejus.*

D. Thomas. Ejuſdem quæſtionis art. 4. *Chriſtus intellectum quoque animæ oſtendit ſe habere dicens, diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde Matth. 11. Et de ipſo per Prophetam Deus dicit, ecce intelliget puer meus Iſaiæ* 52.

Rationes ſi conſulas, *iiſdem hæc poſitio rationibus convincitur, quibus & prædicta. Primo enim hoc adverſatur narrationi Evangelicæ, quæ commemorat eum fuiſſe miratum: ut patet Matth.* 8. Audiens Jeſus (ſcilicet verba centurionis) miratus eſt: *admiratio autem ſine ratione eſſe non poteſt, quia importat collationem effectus ad cauſam. Secundò hoc repugnat veritati Incarnationis: cum enim corpus proportionetur animæ, ſicut materia propria formæ, non eſt verè caro humana, quæ non eſt perfecta anima humana, ſcilicet rationali. Et ideò ſi Chriſtus animam* ſine mente *habuiſſet, non habuiſſet veram carnem humanam, ſed beſtialem.*

Sancti poſt Reſurrectionem regnabunt in terra cum Chriſto mille annis.

D. Thomas in ſupplemento q. 77. art. 1. *Occaſione verborum Apocalypſis* 20. *vidi animas decollatorum propter Teſtimonium Jeſu .. & vixerunt, & regnaverunt cum Chriſto mille annis: quidam poſuerunt, ut narrat Auguſtinus libr.* 26. *de Civitate Dei cap.* 7. *Reſurrectionem futuram eſſe mortuorum, ut cum Chriſto in terra* mille annis *regnarent. undè vocati ſunt Chiliaſtæ, ſeu Millenarii.* Sed hæc verba, *mille annis,* aliter planè intelligenda ſunt. *Millenarius* enim *annorum non ſignificat certum aliquem numerum,* ſed ſumitur pro univerſitate: idque liquet ex *Pſalm.* 104. *Ubi dicitur memor fuit in ſæculum teſtamenti ſui, verbi, quod mandavit in* mille *generationes, id eſt, in* omnes. Quod ulterius patet. Denarius enim numerus aliquando etiam ponitur pro univerſitate: ut apud Matt. 25. Dicitur, *Regnum Cœlorum,* quod eſt Eccleſia militans, *aſſimilari decem virginibus,* quo numero omnes homines tàm boni, quam

Error Millenariorum.

mali

mali deſignantur. Denarius autem numerus radix eſt *Millenarii*, *qui eſt numerus ſolidus ex duplici ductu denarii in ſeipſum ſurgens*, *quia decies decem centum ſunt*, *& centum decies*, *mille ſunt*. Si ergo numerus denarius pro univerſitate ponitur, *Millenarius*, qui ex denario bis ducto conſurgit, multò rectius pro *univerſitate* ponetur. Dum igitur Evangeliſta de Sanctis jam defunctis loquens, dixit, *quòd regnaverunt in terra cum Chriſto mille annis*, illud ſic accipiendum eſt, ut intelligatur illos in cœleſtibus atriis regnare cum Chriſto *in æternum*. Quod verò Regnum Chriſti ſit æternum, patet ex Lucæ 1. *Regnabit in domo Jacob* in æternum, *& regni ejus non erit finis*.

Errores Aerii.

1. *Epiſcopus non eſt ſimplici Sacerdote ſuperior*.

D. Thomas in ſuppl. q. 40. a. 4. ad 1. *Aaron Sacerdos fuit*, *& Pontifex*, *id eſt*, *Sacerdotum Princeps*.... *in quantum fuit Sacerdos*, *Sacrificia offerebat*, *quod etiam minoribus Sacerdotibus licebat*.. *ſed in quantùm Pontifex poterat aliqua facere*, *ut intrare ſemel in anno in Sancta Sanctorum* ad Hebræos 9. *Quod aliis non licebat*. Cur & in nova lege, quæ ſanè eſt præſtantior antiqua, ſua quoque non ſit Hierarchia?

Nonnè Act. 20. dicit Apoſtolus, *attendite vobis*, *& univerſo gregi*, *in quo vos Spiritus Sanctus poſuit* Epiſcopos *regere Eccleſiam Dei*, *quam acquiſivit ſanguine ſuo*? certè *humanorum officiorum ordo exigit*, *ut in quolibet officio præponatur unus*, *qui ſit Princeps illius officii*: *ſicut præponitur militibus Dux*. *Ergo & Sacerdotibus debet aliquis præponi*, *qui ſit Sacerdotum Princeps*. *Et hic* eſt Epiſcopus. D. T. art. citato in Arg. ſed contra.

Sectarii.

2. *Non eſt orandum pro Defunctis*.

D. Thomas in ſuppl. q. 71. a. 2. *Habetur* 2. *Machab.* 12. *Sancta & ſalubris eſt cogitatio pro Defunctis exorare*, *ut à peccatis ſolvantur*.

Sectarii.

3. *Non eſt obſervandum* jejunium *Quadrageſimale*, *aut alia ſtata* jejunia.

D. Thomas 2. 2. q. 147. a. 5. *Jejunium ad duo ordinatur*, *ſcilicet ad deletionem culpæ*, *& ad elevationem mentis in ſuperna*, *& ideò illis temporibus ſpecialiter*

cialiter fuerunt jejunia *indicenda, in quibus oportebat homines à peccato purgari, & mentem fidelium elevari in Deum per devotionem. Quæ quidem præcipuè imminent ante Paſchalem ſolemnitatem, ut diſponamur ad æternitatis gloriam, quam Chriſtus reſurgendo inchoavit: & ideò ante illam ſolemnitatem* jejunandum *eſt*. Jejunandum verò eſt Quadraginta dierum ſpatio, prout Apoſtoli nobis tradiderunt. Traditio autem illa fundatur, ut Antiquitas obſervavit, in exemplo Chriſti, *qui jejunavit Quadraginta diebus*. Matth. 4. **Sectarii**

Jejunandum eſt etiam in Vigiliis præcipuarum Solemnitatum, ut nos præparemus ad Feſta futura devotè celebranda.

Similiter cum conſuetudo Eccleſiaſtica habeat, ut in ſingulis quartis anni, ſeu quatuor anni temporibus *ſacri ordines conferantur: ad illorum ſuſceptionem oportet per jejunium præparari & eos, qui ordinant, & illos qui ordinandi ſunt, & etiam totum populum, pro cujus utilitate ordinantur. Undè & legitur Lucæ 6. quòd Dominus ante Diſcipulorum electionem exivit in montem orare*. Servandum eſt itaque jejunium Quadrageſimale, & alia ſtata jejunia.

1. *Oportet continuò orare, imò oratio tanti momenti eſt, ut illa ſola ad ſalutem ſufficiat.* **Errores Meſſalianorum.**

D. Thomas 2. 2. q. 83. art. 14. *Oratio ſecundùm ſe conſiderata non poteſt eſſe aſſidua, quia oportet, & aliis operibus occupari*. Porrò illa verba Lucæ 18. *Oportet ſemper orare, & non deficere*, in quibus ſe fundabant Meſſaliani, *ſic ſaniſſimè accipiuntur*, inquit Auguſtinus Hæreſi 57. *ut nulla dies ſine oratione intermittatur*. Undè Auguſtino ſemper orare, eſt qualibet die orare.

Secunda pars apertiſſimè refellitur. 19. Matth. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*, ſcilicet decalogi, & alia, proinde *ſola* Oratio non ſufficit ad ſalutem.

2. *Homo capax eſt per juge Orationis ſacrificium ſanctiſſimam oculis corporeis videndi Trinitatem.*

D. Thomas. 1. p. q. 12. a. 3. *Nulla potentia ſenſitiva poteſt ſe extendere ultra corporalia: Deus autem incorporeus eſt: Spiritus eſt Deus*. Joann. 4. *Unde* nec ſenſu

ſenſu viſus, *vel quocumque alio ſenſu, nec imaginatione* (quæ in Meſſalianis ita Orationi affixis principabatur) *videri poteſt, ſed ſolo intellectu.*

Error Collyridianorum.

Mater Dei Maria, ut Deus colenda eſt.

D. Thomas 3. p. q. 25. a. 5. *Mater Dei eſt pura creatura,* non ergo ut Deus colenda eſt, ſeu *ei non debetur adoratio latriæ:* ſed ſoli Deo. *Ego Dominus,* & *non eſt alter.* Iſai. 45. *Debetur tamen ei, quia eſt Mater Dei, non qualiſcumque dulia, ſed Hyperdulia.*

S. Epiphanius Collyridianorum dogma referens hæc ſubnectit Hæreſi 79. *Honoretur ſanè Maria: Pater verò, Filius, & Spiritus Sanctus adorentur. Mariam adorare nemo velit.* Et paulò infrà; *Maria in honore ſit, Dominus adoretur.* Unde nec Mariæ ſacrificium) ut Collyridiani volebant,) ſed *ſoli Deo* offerendum eſt.

Error Nudipedum.

Homo debet incedere nudis pedibus.

D. Thomas 2. 2. q. 169. a. 1. *Dicitur* 1. *ad Timoth.* 5. *Habentes alimenta, & quibus* tegamur, *his contenti ſimus.* An Apoſtolus ab operimento corporis tegumentum pedum excipit? procul faceſſat illud, *ſolve calceamentum de pedibus tuis:* hìc tam malè applicatum: ſcilicet hæc peculiariter dicta ſunt Moyſi, ut majori veneratione ad locum illum (ubi *rubus ardebat, & non comburebatur*) accederet, quem Deus, ſeu Angelus Dei perſonam referens jam ſua præſentia ſanctificarat. Quænam verò illinc ſequela deducitur, *ergo homo debet incedere nudis pedibus?*

Error Priſcilliani.

Mendacium non eſt peccatum etiam juncto periurio.

D. Thomas 2. 2. p. q. 110. a. 3. *Dicitur Eccleſiaſtici* 7. *noli velle mentiri omne mendacium.*

Ratio verò Theologica damnans mendacium hęc eſt. *Quod eſt ſecundùm ſe malum, nullo modo poteſt eſſe bonum, & licitum: quia ad hoc, quòd aliquid ſit bonum, requiritur, quòd omnia rectè concurrant. Bonum enim eſt ex integra cauſa, malum verò ex quocumque defectu. Mendacium autem eſt malum ex genere. Eſt enim actus cadens ſuper indebitam materiam. Cum enim voces ſint naturaliter ſigna intellectuum, innaturale eſt, & indebitum, quod aliquis voce ſignificet id, quod non habet in mente. Undè omne mendacium eſt peccatum.* A fortiori

itaque

itaque peccatum eſt, *juncto periurio: jurabis* (Hier. 4.) in veritate, *in judicio, & in juſtitia*. Et Levit. 19. dicitur. *Non perjurabis in nomine meo.*

Hinc pertinet ad Dei irreverentiam, quod aliquis eum teſtem invocet falſitatis: quia per hoc dat intelligere, vel quòd Deus veritatem non cognoſcat, vel quod falſitatem teſtificari velit: adeoque perjurium de ſui ratione peccatum, & quidem *grave eſt*. 2. 2. q. 98. a. 3.

Mater Chriſti non fuit Virgo poſt partum. *Error Helvidii, ſeu Antidicomarianitarum.*

D. Thomas 3. p. q. 28. a. 3. *Dicitur Ezech. 44. porta hæc clauſa erit, & non aperietur, & vir non tranſibit per eam, quoniam Dominus Deus Iſrael ingreſſus eſt per eam. Quod exponens Auguſtinus in quodam ſermone* (eſt 14. de Natali Domini) *dicit: quid eſt porta in domo Domini clauſa, niſi quod Maria ſemper erit intacta, & quid eſt, homo non tranſibit per eam, niſi quod Joſeph non cognoſcet eam? & quid eſt, Dominus ſolus intrat, & egreditur per eam, niſi quod Spiritus Sanctus impregnavit eam, & Angelorum Dominus naſcetur per eam? & quid eſt, clauſa erit in æternum, niſi quòd Maria Virgo eſt ante partum, & Virgo in partu, & Virgo* poſt partum?

Deinde; Angelo ſibi Incarnationem proponenti, Maria reſpondit Lucæ 1. *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? hoc non diceret*, inquit Auguſtinus, *niſi Deo Virginem perpetuò ſe ante voviſſet.*

Nec obſtet illud Matth. 1. *Antequam convenirent, inventa eſt* (Maria) *in utero habens de Spiritu Sancto.* *Objec.*

Non enim ſequitur, ait Hieronymus commentans in locum illum, *quòd poſteà convenerint, ſed Scriptura, quod factum non ſit, oſtendit*. Eodem modo explicat illa verba in libro contra Helvidium. *Reſp.*

Undè *abſque omni dubio deteſtandus eſt Error* illius Hæreſiarchæ, *qui dicere præſumpſit, Matrem Chriſti poſt partum à Joſeph eſſe carnaliter cognitam, & alios Filios genuiſſe. Hoc enim derogat Chriſti perfectioni, qui ſicut ſecundum divinam naturam unigenitus eſt Patris tanquam perfectus per omnia Filius ejus, ita decuit, ut eſſet unigenitus Matris tanquam perfectiſſimum germen ejus.* S. Doctor loco citato.

Errores Joviniani.

1. *Virginitas non eſt Matrimonio præferenda.*

D. Thomas 2. 2. q. 152. art. 4. *Apoſtolus 1. ad Corinth. 7. Virginitatem conſuluit tanquam melius bonum* dicens, *qui Matrimonio jungit Virginem, bene facit, & qui non jungit*, melius facit, adeòque Virginitas eſt præferenda matrimonio.

Error etiam Joviniani deſtruitur, & Exemplo Chriſti, qui & Matrem Virginem elegit, & ipſe virginitatem ſervavit, & evidenti ratione. Tum quia bonum divinum eſt potius humano bono, tum etiam quia bonum contemplativæ vitæ præfertur bono activæ. Virginitas autem ordinatur ad bonum animæ ſecundum vitam contemplativam: conjugium autem ordinatur ad bonum Corporis, & pertinet ad vitam activam. Qui ſine uxore eſt (inquit ibidem Apoſtolus) *ſollicitus eſt, quæ Domini ſunt, quomodò placeat Deo. Qui autem cum uxore eſt, ſollicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodò placeat uxori, & diviſus eſt. Et mulier innupta, & virgo, cogitat, quæ Domini ſunt, ut ſit Sancta corpore, & Spiritu. Quæ autem nupta eſt, cogitat, quæ ſunt mundi, quomodò placeat viro. Unde indubitanter virginitas præferenda eſt continentiæ conjugali.*

Sectarii.

2. *Omnia peccata ſunt paria*, ſeu *æqualia*.

D. Thomas 1. 2. q. 73. art. 2. *Dominus dicit ad Pilatum Joan. 19. Qui tradidit me tibi, majus peccatum habet, & tamen conſtat, quod Pilatus aliquod peccatum habuerit, ergo unum peccatum* etiam mortale *eſt majus alio.*

Deindè, ſi omnia peccata ſint paria, non erit igitur diſtinctio inter peccatum mortale, & veniale, proindè æquale peccatum erit furtum centum aureorum, & unius aſſis, æquale peccatum erit blaſphemia, & verbum otioſum. Qualia commenta!

Error Rhetorii.

Quilibet poteſt ſalvari in ſua fide, undè omnes Hæretici rectè ambulant.

D. Thomas 2. 2. q. 4. art. 6. *Apoſtolus dicit ad Epheſios 4. Unus Dominus*, una Fides. Non igitur quilibet poteſt ſalvari in ſua fide, ſed *debet eſſe idem, quod ab omnibus creditur*. Proindè omnes Hæretici non rectè ambulant. Alioquin rectè ambulaſſent impuriſſimi Gnoſtici, Saturninus, Cerdon, Marcion, Valentinus, Manichæi, aliique, qui nefandiſſima, & contradi-

ctoria ſæpè dogmata eructarunt. Undè dicit Auguſtinus Hæreſi 72. *Illud commentum Rhetorii ita abſurdum eſt, ut mihi incredibile videatur.*

Homo ab umbilico uſque ad plantas à diabolo creatus eſt. *Error Paterniano-rum.*

D. Thomas 1. p. q. 91. a. 2. *Dicitur Eccleſiaſtici* 17. *Deus de terra* quoad corpus, ſtatim corpori infundens animam, *creavit hominem*, proindèque omnes partes humani corporis, *Dei* enim *perfecta ſunt opera* Deut. 32. Adeoque creavit & umbilicum, & partes reliquas uſque ad plantas. Abſit igitur illas fuiſſe creatas à *Diabolo*.

APPENDIX AD SÆCULUM IV.

Aſterius ASterius Sophiſta genere Cappadox, Arianus Epiſcopus, Arii fautor fuit acerrimus. Durante perſecutione Maximiani Herculei, Idolis ſacrificarat.

Docuit, *Chriſtum eſſe Dei virtutem, eo pacto, quo dixit Moyſes locuſtam, & Bruchum eſſe magnam Dei virtutem*. Proindè Chriſtum ad conditionem creaturæ inſulſiori etiam modo, quam Arius, deprimebat. Vide paginam 86.

Cum à tempore Concilii Nicæni Fidelibus ubique inſultaſſet, & Ario fax paratiſſima ad inflammandas Eccleſias ſemper fuiſſet, tandem S. Juliani cognomento Sabæ Religioſi gratia miraculorum inſignis exſufflatioue (ut refert *Theodoretus* in ſolitariorum hiſtoria) extinctus eſt.

Aceſius Aceſius, Præſul Novatianus à Nicæna Synodo adduci nunquam potuit, ut ſe Eccleſiæ reconciliaret. Illum etiam incaſſum delinire conatus eſt Conſtantinus Imperator.

Docebat, *Apoſtatas à fide non eſſe ad pœnitentiam admittendos, ſed remiſſionem criminis iſtius ſoli Deo reſervatam eſſe*. Undè conveniebat cum errore 1. *Novatianorum*, pagina 59.

Troglo-dytæ. Baronius hos refert ad *Eunomianos*; qui hoc ſæculo fuere. Philaſtrius autem veroſimilius exiſtimat *Troglodytas* (id eſt Cavernarum inhabitatores) extitiſſe

olim inter Judæos, quòd plures ex iſtis *in occultis quibuſdam ſpeluncis reſidentes & idola colerent*, *& execrandа facinora perpetrarent*. De quibus Ezechiel cap. 8.

Hypſiſtarii. Conſtabat hæc hæreſis ex Judaiſmo, & Paganiſmo.

1. *Paganorum more illi ignem* adorabant.

2. *Sabbathum* obſervabant *more Judæorum*.

Conveniunt (quoad poſterius Dogma) cum errore 2. *Cerinthi*. pagina 14. & *Sabbathariis* Anabaptiſtis pagina 346.

Zachæus. Ejus à veritate aberratio in ſuperbam cordis temeritatem referenda eſt. Temeraria ejus cæcitas in duobus conſiſtebat.

1. *Cum nullo orare volebat*. Qualis arrogantia!

Alii dicunt, Zachæum hoc feciſſe, quod ſuſtineret, *preces privatas majoris eſſe ponderis apud Deum, quam communes*.

D. Thomas 2. 2. q. 83. art. 7. ad 4. *Multorum preces faciliùs exaudiuntur* ... *unde multorum preces impoſſibile eſt quod non impetrent, quod eſt impetrabile*.

2. Cum eſſet *Laicus*, *ſacra myſteria, & ſacrificia tractare neutiquam* reformidabat.

Non differt hæc praxis ab errore 5. *Waldenſium* pag. 217.

Incoluit Zachæus præruptum montem circa urbem Jeroſolymam magis à ſe, quam ab hominum ſocietate remotus.

Timotheus. Timotheus fuit fervidus *Apollinaris* ſectator, de quo pag. 92. Unà cum Apollinare à S. Damaſo damnatus eſt.

Bonoſus. Bonoſus cujuſdam civitatis in Macedonia Epiſcopus, ſecutus impietatem *Helvidii* (pag. 97.) *Dei genitricis virginitatem poſt partum* negavit.

Agapetæ. Manavit hæc ſecta ab Hiſpana muliere, cui nomen *Agape*, & ab *Elpidio* quodam diverſo ab Helpidio Priſcillianiſta.

Agapetarum cæcitas in eo ſita erat, quod *ſpiritualis vitæ prætextu ſine matrimonio cohabitarent, impudicèque viverent*.

Non diſcrepant ab *Apoſtolicis* ſæculi 12. pag. 215. imò illos in ſpurcitiis ſuperant.

Cæterùm noli confundere *Agapetas* hæreticos & *Agapes*. Hæ erant conviviola ſeu cœnæ, quas priſci Chriſtiani primò in memoriam cœnæ Domini celebrabant in Eccleſiis. Vocabantur *Agapes*, id eſt amoris convivia; *Agape* enim Græcè amorem, charitatem, ſeu dilectionem ſignificat. Deindè, *Agapes* habitę ſunt extra Eccleſias pręcipuè circà ſepulchra Martyrum. Tandem illæ ob *abuſus* ab Eccleſia prohibitæ ſunt.

A verbo *Agape* dilectionem innuente dictę ſunt etiam *Agapetæ* quædam Virgines, quæ in primitiva Eccleſia inter ſe ſumma concordia, & dilectione vivebant.

Sed cum ob Hoſpitalitatem peregrinis, etiam viris præſtitam, nonnulli quoque abuſus exorti forent, *Agapetarum* ſocietas ab Eccleſia abolita eſt.

Lucifer Archi-Epiſcopus Calaritanus (*Cagliari*) in Sardinia à pleriſque Authoribus cenſetur Schiſmaticus tantum, non Hæreticus. Intrepidus fuit magni Athanaſii defenſor, & ingens adversùs Arianos repagulum. *Lucifer.*

Atque hinc, ex odio in Hæreticos, tandem indiſcretiori, illius ſchiſma profluxit. Conſiſtebat in eo, *quod Epiſcopos lapſos in hæreſim, quos pœnitentes Eccleſia admiſerat, nollet recipere, ac propereà ſe & à talibus Epiſcopis admiſſis, & ab admittentibus ſepararet.*

Porrò ſunt, qui tenent, *Luciferum* non fuiſſe extinctum in Schiſmate, quos inter Illuſtriſſimus *Spondanus* ad annum 362.

A Scriptoribus aliter excipiuntur *Luciferiani*, quorum ſchiſma diù protractum fuit.

ERRONES SÆCULI QUINTI

Vigilantius natione Hiſpanus, patria Calaguritanus, profeſſione Eccleſię Barcinonenſis Presbyter fuit, Illum S. Paulinus Nolanus Antiſtes ibidem ordinatus Sacerdos, ut virum pium, probumque laudavit, coluit, & apud ſe ægrotantem fovit. Profiſciſcen- *Vigilantius.*

tem quoque Jeroſolymani S. Hieronymo plurimum commendavit, à quo in gratiam Paulini maxima benevolentia ſuſceptus eſt: ſed à S. Doctore, qualis eſſet, detectus, non ceſſavit tam in Palęſtina, quam in Ægypto, aliiſque, quas peragravit, Provinciis oblatrare in Hieronymum, ipſumque ut Origeniſtam traducere. In Occidentem denique reverſus, quas multò tempore congeſſerat, blaſphemiarum ſordes, ſed pallio obvolverat ſanctitatis, cœpit primùm evomere in Galliis.

Potiſſima Errorum cauſa fuit incredibilis, qua vir licet ignarus ſervebat, ambitio. Aſſentatorum pruritu magis accenſus prenſabat nomen immortale: cumque illud per ſcientiam non poſſet, voluit vel per hæreſim ſibi comparare.

Verſatur hæc præcipuè circa Sanctos, eorumque Reliquias.

1. Aſſeruit, *Sanctos pro nobis non orare, adeòque fruſtrà a nobis invocari*.

2. *Sacras Reliquias nullo colendas eſſe bonore*: Catholicos *cinerarios*, & *idololatras* appellans, qui mortuorum hominum oſſa venerarentur.

3. Docuit etiam *æquè perfectos eſſe, qui poſſident divitias, ac alios, qui paupertatem voluntariam profitentur*.

Vincentius Victor. Vincentius Victor in Africa novum de animarum origine commentum fabricavit, illas adſtruens *non de nihilo, ſed de divina creatas eſſe ſubſtantia*.

Illum Auguſtinus victum ſe fatentem, (quod mireris in Auctore Erroris.) atque emendationis ſuæ literas ſibi ſcribentem, ut ipſe teſtatur 2. Retract. c. 56. Fidei Catholicæ reſtituit.

Abeliani Abeliani in eadem Orbis plaga prope urbem Hipponenſem exorti, ab Abele Virgine Adami filio nomen ſortiti ſunt, quod continentiam, quam Abel ſervaverat, profiterentur. Ad matrimonium ſeſe obligari exiſtimantes, illud inibant ſimul habitantes, à *copula* tamen *carnali*, utpote *illam arbitrantes illicitam*, abſtinebant. Ne verò ſecta deficeret, puerum, & puellam ſibi adoptabant, ſuos ſub ejuſdem Matrimonii,

monii, & cohabitationis pacto ſucceſſores futuros. Adoptatis morte præventis alii ex utroque ſexu ſubrogabantur poſt mortem adoptantium, illorum veſtigiis inhæſuri: nec defuit materies, unde adoptarent: generantibus undequaque vicinis, & filios ſuos inopes ad ſpem hæreditatis alienæ eis libenter conſignantibus. Tandem Abeliani circa tempora Auguſtini ad ſaniorem mentem reducti ſunt.

Teodorus Mopſueſtenus Epiſcopus S. Joannis Chryſoſtomi condiſcipulus, ac deinde cauſarum Patronus, relicto ſtrepitu forenſi; ſolitudini, & Sacrorum virorum converſationi ſe devovit. Hortante Chryſoſtomo tum Matrimonii, in quod propendebat, propoſitum, tum facultates omnes abdicavit, vitamque amplexus eſt Monaſticam. Cum illius fama per ſingularem ubique eruditionem dilataretur, Mopſueſtiæ, urbis in Cilicia nobiliſſimæ Epiſcopus creatus eſt. Hæreſes ſtrenuè impugnavit, Arianam, Eunomianam, Apollinariam; ſed dum ejus luxuriatur ingenium, *Neſtorianam* præformavit. *Theodorus Mopſueſtenus.*

Peculiare verò illius dogma fuit, *in veteri Teſtamento nihil propriè dici de Chriſto.*

Pelagius coluber ille tortuoſus, qui totum gratię Dei Spiritum morſu venenoſo extinguere conatus eſt, natione fuit Britannus: profeſſione verò Monachus. Adeò probus, & religioſus apparuit, ut pro Sancto, & in virtutibus Chriſtianis eximiè provecto haberetur: id teſtatur Auguſtinus lib. 3. de peccatorum meritis capite 1. Hiſce verbis. *Poſt paucos dies legi Pelagii quædam ſcripta viri, ut audio Sancti, & non parvo profectu Chriſtiani.* Dein c. 3. vocat illum *egregiè Chriſtianum.* Item lib. 2. retract. c. 33. affirmat *Pelagii vitam à multis prædicatam.* Oroſius verò in Apologia aſſerit, eum genio ſuo liberius indulſiſſe, poculiſque largioribus inhiaſſe. *Pelagius*

Porrò ingenio fuit præſtanti, acuto, ſublimi, eloquioque facundus. Id probat elegantiſſima Hęreſiarchę ad Demetriadem virginem epiſtola, adverſus quam Auguſtinus aliam ſcripſit ad Julianam Demetriadis matrem, in qua ſic ait. *Satis enim dici non poteſt, quan-*

rum cupiamus in eorum hominum ſcriptis (Pelagii , & Cœleſtii) *quæ propter acrimoniam, & facundiam leguntur à plurimis, apertam confeſſionem illius gratiæ reperiri*. Illius quoque eruditionem, ſtylique ejus energiam declarant liber ad viduam, liber de natura, & libero arbitrio, & alii, quorum SS. Auguſtinus, & Hieronymus meminerunt.

Nobilium, & Sanctorum Virorum, piarum, & illuſtrium Matronarum, Virginum, & Viduarum benevolentiam literis ſuis ſpecie ſanctitatis, laudibus, & aſſentationibus refertis aucupabatur. Teſtes ſunt Paulinus, & Pammachius, Proba, Juliana, Demetrias, quorum in amicitiam irrepere tentavit Hæreſiarcha verſipellis, ut iis Errorem afflaret.

Cœleſtius ejus Diſcipulus. Pelagii doctrinam, mores, induſtriam, ſimulandi, & cujuſque benevolentiam captandi artificium ſectatus eſt Cœleſtius. Illum Auguſtinus lib. 2. contra duas Pelagianorum Epiſtolas, vocat *hominem acerrimi ingenii, qui ſi corrigeretur, plurimis profuiſſet*. Ejus incerta patria: fertur fuiſſe Eunuchus à natura. Tantam Pelagianæ Hæreſi & prædicandæ, & diſſeminandæ navavit operam, ut iſtius ſectæ Profeſſores ab ipſo etiam Cœleſtiani nuncuparentur.

Cœleſtius hæreſim in Africa palam propugnans, primum Carthagine actore Paulino S. Ambroſii Diacono Erroris accuſatus, convictus, & ab Eccleſiæ communione repulſus eſt; hinc profugit in Aſiam jungendus Pelagio in Palæſtina degenti, & illis una cum Magiſtro peſtiferum ſparſurus incendium.

Eros, & Lazarus Epiſcopi duo Gallicani fidei ardore ſuccenſi nomen Pelagii detulere apud Palæſtinæ Antiſtites. Sed cum fato infelici eorum alter, priuſquam eo perveniſſent, in morbum incidiſſet, in tempore adeſſe prohibiti ſunt. Quare eò excerpta de Pelagii, & Cœleſtii libris capitula miſerunt. Ita Dioſpoli, ſeu Liddæ in Palæſtina Synodus celebrata eſt, cui Epiſcopi 14. interfuerunt. Ab iis interrogatus Pelagius græcos judices linguæ ſuæ, ac fraudis ignaros, dubia, & ancipiti reſponſione eluſit. Abſolutus itaque Joannis potiſſimum Hieroſolymitani eadem lue correpti opera majo-

majores induit animos; totumque terrarum orbem diro deſtinavit incendio. Flammæ ubique eruperunt. Sed illas ſtitere & in Aſia Hieronymus, & in Africa Auguſtinus. Hic breviſſimo tempore Provinciales duę Synodi celebratæ ſunt, una Carthagine, altera Milevi in Numidia (præſide Silvano) cui magnus interfuit Auguſtinus. Hæ literas Synodicas de damnatis à ſe Pelagii, & Cœleſtii Erroribus ad Innocentium miſere Pontificem. Utriſque reſpondit Innocentius, ac ambos Eccleſiaſtica cenſuit communione privandos. Hac re comperta; Pelagius ſcripſit ad Innocentium, ſed eo extincto literæ ad Zoſimum pervenere: qui Cœleſtii primùm ficta profeſſione (hic enim Romam purgandi ſui cauſa advolarat) ſubdolaque Pelagii (ut erat peritiſſimus fallendi artifex) Epiſtola deceptus, in Africanos Patres, nec non Erotem, & Lazarum paulò fuit commotior. Nec tamen Pelagium, & Cęleſtium communioni reſtituit: ſed bimeſtrem huic diem præfixit, ad quam accuſatores adeſſent. Interim præſulibus Africanis ſatagentibus; & Romæ a Zoſimo Hæreticorum calliditate detecta, cum ſe clam Cœleſtius ex Urbe ſubduxiſſet; cum Pelagio pariter damnatus eſt, Secutum eſt Honorii Imperatoris edictum, utrumque proſcribens. De damnationis ſententia per Zoſimum in eos vibrata ſic S. Proſper lib. contra collatorem *Africanorum Conciliorum decretis Beatæ recordationis Papa Zoſimus ſententiæ ſuæ robur adnexuit, & ad impiorum detruncationem, gladio Petri dexteras omnium armavit Antiſtitum.* Plenarium deinde totius Africæ Concilium Carthagine coactum eſt, in quo Zoſimi Epiſtolæ ad Afros, & ad totius orbis Epiſcopos prælectæ ſunt, & ſumma Patrum gratulatione exceptæ; qui & datis ad Pontificem literis gratias ipſi ampliſſimas egerunt. Atque ita totum per orbem Pelagiana Hæreſis confixa eſt.

Hujus jam profligatæ patrocinium ſuſcepit Julianus Epiſcopus Capuanus. Ob id ſede ſua pulſus, libris pluribus cum Auguſtino decertavit. Acer fuit ingenio, ſęcularibus & Sacris literis eruditus, eloquentia etiam conſpicuus; ſed homo procax, & temerarius. Ju- *Julianus Pelagianus.*

venis

venis fuit, dum Pelagianorum dogmatum propugnationem aggreſſus eſt, ut colligitur ex S. Auguſtino l. 2. adversùs Julianum c. 8. ubi eum confidentiſſimum juvenem appellat. Verè confidentiſſimum, qui ſe cùm Davide, S. Auguſtinum cum Golia conferebat: & cum illo deſcendere volebat in palæſtram, ut ſua diſputatione controverſia, quę Catholicam inter Eccleſiam, & ſectam Pelagianam movebatur, dirimeretur.

Procedamus modò ad Errores Pelagianorum de gratia.

Cæterùm illi cum parente ſuo hos deducebant ab alio, quo negabant, *peccatum originale à nobis contrahi, & ab Adamo in ejus poſteros derivari:* ex hoc enim inferebant, nullatenùs læſum eſſe liberum hominis arbitrium, ſed ſanum, & integrum; ex quo rurſus deducebant, hominem non indigere aliquo gratiæ adjutorio vires ipſi tribuente ad divina ſervanda mandata, perficiendamque juſtitiam; ſed poſita illorum cognitione, ea omnia efficere poſſe ſuis ſanis, & integris viribus ipſum hominis arbitrium.

At cum Pelagius Errores ſuos pluribus verborum involucris, captioſiſque velaminibus obtegeret; varii iſtius Hæreſis ſtatus, ſeu gradus diſtinguendi ſunt. Primus fuit, Ethniciſmus à Philoſophis acceptus; in quo, nulla habita mentione gratiæ, docebat *ſolam poſſe naturam peccata fugere, legem ſervare, quæcumque virtutum opera exercere, æternamque conſequi felicitatem*. Unde dicebat Pelagius in Epiſtola ad Demetriadem. *Spirituales divitias nullus tibi præter te conferre poterit. In his ergo jure laudanda es, in his meritò cæteris præferenda es, quæ niſi ex te, & in te eſſe non poſſunt*. Hinc & in laudem naturæ librum conſcripſit, quem ad S. Auguſtinum miſerunt Religioſi Adoleſcentes Timaſius, & Jacobus à Pelagiana Hæreſi recenter converſi. Illud verò opus S. Doctor refutavit libro, cui titulum præfixit *de Natura, & Gratia*.

Secundus ſtatus fuit, in quo gratiam verbotenùs admiſit. Cum enim Chriſtianorum ſibi odium peperiſſet quòd negaſſet gratiam; quam omnes novi Teſtamenti paginæ, & ferè voces, ac ſyllabæ inculcant, urgent, impri-

imprimunt, *liberum arbitrium gratis à Deo datum*, Gratiam appellare cœpit, ut hoc inaniſſimo fuco, & ut ait Auguſtinus, acumine vitreo, quod quaſi lucet vanitate, ſed frangitur veritate, Catholicorum declinaret invidiam. Tale autem erat Pelagii ratiocinium. *Quia hominem Deus creavit, & ei liberum donavit arbitrium, quidquid homo poteſt de libero arbitrio, cujus gratiæ debetur, niſi ejus, qui eum condidit cum eo libero arbitrio? unde*, inquiebat, *non diſputo contra gratiam Dei; idcircò*, ajebat, *non contra gratiam Dei diſputo, quòd liberum arbitrium defendo.*

Non diu in iſto ſtatu, & in hac ſola gratia perſtitit Pelagius. Cum enim ſtatim Catholici conciperent ſibi imponi, & nomine gratiæ eandem iterum naturam obtrudi, hanc gratiæ confeſſionem velut prorſus fraudulentam exploſerunt. Quare Pelagius etiamnum pulſatus fidelium objurgationibus, eaſque à ſe amoliri ſtudens, ad aliam ſpeciem gratiæ confugit, ad Legem ſcilicet, & doctrinam divinitùs traditam, *cujus auxilio* confeſſus eſt *hominem indigere, ut declinet à malo, & faciat bonum*. Hinc, ut meliùs ſuum hoc commentum ſtabiliret, legem extollebat, ut teſtatur Auguſtinus lib. 4. ad Bonifacium c. 5. ubi hæc verba Pelagii ad Demetriadem refert. *Lege veluti lima natura expolitur, & fulgori priſtino redditur.* Sed quia hæc ruebant per illud ad Gal. 2. *ſi per legem juſtitia, ergo gratis Chriſtus mortuus eſt;* ideò Legi Exemplum Chriſti addebat, qui Sanctiſſima nobis vita præluxit, atque illud ad vitam rectè inſtituendam neceſſarium eſſe prædicabat. Audiatur S. Doctor lib. de gratia Chriſti cap. 2. & 3. *ſolent dicere nobis* (Pelagiani) *in eo Chriſtum ad non peccandum præbuiſſe adjutorium, quia ipſe juſtè vivendo, juſtèque docendo nobis præbuit exemplum.*

Tandem Pelagiani admiſerunt, *gratiam requiri ad* facilius *operandum, quamvis non ſimpliciter.* Sic Aurelius de gratia Chriſti cap. 26. *Iſte* (Pelagius) *dicit propterea dari gratiam, ut, quod à Deo præcipitur, faciliùs impleatur. Sed quid de illa ſentiat, ſatis oſtendit, ſcilicet quòd etiam ſine illa, etſi minùs facilè, fieri tamen, quod divinitùs præcipitur, poteſt.*

Idem

Idem conſtat ex cap. 27. ubi hæc verba exſcribit ex Epiſtola Pelagii ad Demetriadem, *Divinam mereamur gratiam*, & facilius *Nequam ſpiritui Sancti Spiritus auxilio reſiſtamus*.

Ex verbis hiſce ſatis innuitur; quòd docuerit etiam Pelagius *gratiam concedi ſecundùm merita noſtra:* ſed luculentiùs hoc declarat Auguſtinus lib. de Hæreſibus cap. 88. ubi de Pelagianis ait. *Gratiam Dei, qua liberamur ab impietate, dicunt*, ſecundum merita noſtra dari.

Semipelagiani. Pelagiana Hæreſis jam extinguenda infauſti inſtar Cometæ, qui dum ad occaſum vergit, quaſdam etiamnum flammas habet ſuperſtites; ſcintillas poſt ſe reliquit, quæ brevi in immenſum erupere incendium. Hæ ſcintillæ fuerunt Semi-Pelagiani. Illorum Error occaſione librorum Auguſtini *de gratia* exortus eſt. Etenim cum in illis adverterent, neceſſitatem gratiæ Chriſti ad ſingulos actus meritorios mirificè prędicari; docuerunt, ſaltem *initium fidei, & bonæ voluntatis eſſe à nobis*. Dicti ſunt quoque *Maſſilienſes*, quòd circa Maſſiliam, vicinaſque Civitates plerique iſtius ſectæ patroni morarentur. Hos ad Auguſtinum tanquam ad ſtrenuiſſimum divinæ gratiæ propugnatorem deferendos cenſuerunt SS. *Proſper*, & *Hilarius* inſignes S. Doctoris Diſcipuli.

Palmare ipſorum dogma jam prælibatum eſt; *initium* ſcilicet *fidei, & bonæ voluntatis eſſe à nobis*. Sic verò diſcurrebant. Corrupta per peccatum originale natura, non remanent quidem in nobis vires ad benè operandum (quæ ſunt operationes hominis ſani) remanent tamen profectò ad deſiderandam ſalutem, & petendum remedium. Cur id non operetur ſpiritualiter infirmus, quod operari valet is, qui corporaliter laborat? nonne hic, licet ei deſint vires ad ambulandum, aliaque exercenda opera hominis ſani, poteſt tamē corporis deſiderare ſalutem, ac petere medicinam? cur non igitur & ille poteſt velle credere? cur non poteſt ex ſe petere, deſiderare, quærere, anhelare ſalutem animæ? porro illis fidei, bonæque voluntatis initiis promoveri homines ad Chriſti gratiam aſſerebant. *Conveniunt*, inquit

Hilarius in Epiſtola ad Auguſtinum; *omnem hominem in Adam periiſſe, nec indè quempiam proprio poſſe arbitrio liberari: ſed id conveniens aſſerunt veritati, ut, cum proſtratis, & nunquam ſuis viribus ſurrecturis annuntiatur obtinendæ ſalutis occaſio; eo merito quo voluerint, & crediderint, ſe poſſe ſanari, ipſius & fidei augmentum, & ſanitatis conſequantur effectum.*

Errabant etiam Semi-Pelagiani circa perſeverantiam in gratia. Dicebant quippe *libero arbitrio adſcribendum eſſe, quòd unus præ alio finaliter perſeveret.* Unde negabant magnum illud donum preſeverantiæ; *per quod ſanctis, & prædeſtinatis perſeverantia ipſa donatur.* Hilarius in eadem Epiſtola.

Sunt & alii Maſſilienſim Errores. Sed illos alteri reſervamus occaſioni.

Poſt magni Auguſtini obitum, qui duobus libris *de prædeſtinatione, & perſeverantiæ dono* Semi-Pelagianos oppugnarat, Cæleſtinus I. Pontifex Maximus, urgentibus Proſpero, & Hilario, illorum coercuit audaciam; & S. Auguſtini doctrinam adversùs illorum calumnias vindicavit, data ad Antiſtites Gallicanos Epiſtola.

Gelaſius deinde in Synodo Romana *Caſſiani, Fauſtique* Principum Semi-Pelagianorum libros damnavit: Sanctorum verò Auguſtini, & Proſperi opera commendavit. Sed cum nihilominus Error ſerperet, & ad ſæculum fermè continuarętur; tandem anno 529. in Concilio Arauſicano ſecundo; Romani Pontificis authoritate à S. Cæſario Arelatenſi implorata, Semi-Pelagianiſmus ſub Felice 4. damnatus, convulſus, contritus eſt.

Neſtorius Germanicię (quæ eſt Oppidum Syrię) natus, vitam religioſam propè Antiochiam profeſſus eſt. Mortuo deinde Siſinnio Conſtantinopolitano Epiſcopo, cum Clerus diviſus eſſet in partes, & alii Proclum, alii Philippum Presbyterum ad illius regimen Eccleſiæ promovere ſtudiis omnibus niterentur, Theodoſius junior Imperator Neſtorium, illius eloquentiæ, doctrinæque fama permotus cæteris præferendum duxit. Præclaris ejus dotibus mirum addebat ſplendorem *Neſtorius*

ſpe-

ſpecies quædam ſanctitatis. Huic fidem conciliabat pallor vultus, macieſque corporis, cogitabunda frontis gravitas, & modeſta triſtitia, pulla veſtis, amorque ſolitudinis. Poſt inaugurationem ſuam, cum orationem haberet ad Cæſarem, in eas ſtatim voces erupit; *tribue mihi, Imperator, terram Hæreticis purgatam, & ego tibi Cœlum tribuam. Tu mihi in profligandis Hæreticis ſubveni, & ego tibi in profligandis Perſis ſubveniam*. Arianos ſanè, Macedonianos, alioſque multùm exagitavit, ſed teterrimam ipſemet, ex Ove (cujus naturam mentitus fuerat) transformatus in Lupum, protinus invexit hæreſim.

1. Aſſeruit, *duplicem eſſe in Chriſto Perſonam, divinam, & humanam:* qua de re in refutatione Erroris.

2. Effutiit, *Beatiſſimam ſemper Virginem Mariam non eſſe nuncupandam Matrem Dei, ſed MatremChriſti, non Deiparam, ſed Chriſtiparam, non Theotocon, ſed Chriſtotocon.*

Ad hoc reſtinguendum incendium, vires omnes, operam, nervoſque intendit S. Cyrillus Alexandrinus Antiſtes, cui mandavit Cœleſtinus I. Romanus Pontifex, ut vicaria poteſtate in cauſam Neſtorii inquireret, eumque ſi fieri poſſet, ad palinodiam adigeret: quem in finem Cyrillus certum Hæreſiarchæ tempus præfixit. At illo in contumacia perſiſtente, ne longiùs malum exitiale dilataretur, Synodus œcumenica ducentorum Epiſcoporum Epheſi coacta eſt. Ab illis diù expectato Joannis Antiocheni Præſulis, cæterorumque, qui ei ſuberant, Epiſcoporum adventu, cum iſti ex compoſito moras traherent (quò non cogit vel Eccleſiaſticos effræne factionis ſtudium!) & Synodus inchoata, & ter citatus nec comparens Neſtorius, probationibus accuratè diſcuſſis, damnatus eſt, ac Epiſcopatu dejectus. His ritè peractis, derepentè Joannes cum ſuis Epheſum ingreditur, nec tamen ſe Sacro adjunxit Concilio, ſed queritantes factam ſibi omnes iſti Orientales injuriam, execrabili exemplo, alio ſimul loco convenere, ut ducentorumPatrum in re tanti momenti Synodum reſcinderent, atque

atque ita Hæreſis latiùs propagaretur. Iſtis Epiſcopis Candidianus, & Irenæus præpotentes aulici, at Neſtoriana lue infecti ſeſe annectunt, adversùs Synodum omni dolo, perverſitate, machinis conſpirant; acta illius revocant, irritant, convellunt. Verùm cum nec ita ſatis furori litatum eſſet, Præſidem Concilii Cyrillum Legatum Apoſtolicum, & ſecundæ ſedis Patriarcham, virum ſanctitatis fama celeberrimum, à ſatellitibus apprehenſum, in carcerem conjiciunt; prohibent, ne quiſquam cum ducentis aut verbis, aut literis communicet; Epiſtolas omnes ad illos undequaque ſcriptas, vel ab iis profectas intercipiunt. Cœtus interim illegitimus literas calumniis, & mendaciis refertas Conſtantinopolim, alioque quaquaverſum, præſertim ad Imperatorem, ejuſque aulicos fundit, quibus eorum animi magis indies exaſperentur. At tandem nefanda erupit Machinatio. Sacra enim ducentorum Synodus hominem fidelem reperit, qui militibus obſervatoribus inſciis (hi locum Concilii arctiſſimè cinxerant) Synodi legitimæ Epiſtolas mendici habitu recepit, eaſque arundini inſertas Conſtantinopolim detulit. Sic perſpecta rei veritate, annitente Pulcheria Imperatoris ſorore, prudentiſſima, & religioſiſſima virgine, Theodoſius geſta Antiocheni cum ſuis Orientalibus, reprobavit, omnem, quam poterat, ſacro præſtitit Concilio Authoritatem: Neſtorium ſuo proſcripſit edicto, ac in Monaſterium, undè exierat, retruſit. Quia verò multos ibi hæreſis ſuæ contagio pervertebat, Oaſim ſitum in Libyæ deſertis Oppidulum juſſu Cæſaris relegatus eſt. Eo in loco corroſa à vermibus lingua, miſerrimè in malo pervicax interiit, ante mortem exſpirans ſceleratiſſima corporis parte.

Poſt adeptam illam inſignem de Eccleſiæ perduellibus victoriam, ubique locorum Trophæa à Catholicis erecta ſunt, & Sanctiſſima Maria, Mater Dei omnium certatim ore prædicata eſt: tuncque additamentum illud accepiſſe creditur ſalutatio Angelica: *Sancta* Maria Mater Dei *ora pro nobis*, &c.

Eutyches Archimandrita, ſeu Abbas Conſtantinopolitani cujuſdam Monaſterii, dum *unam* in Chriſto *Per-* *Eutyches.*

Perſonam ſummo animi ardore adversùs Hæreſim Neſtorii propugnat, in extremum abreptus eſt Errorem, *unam* quoque ſolummodò *naturam* in Chriſto eſſe aſſerens ſcilicet divinam. Intrà illam tanquam immenſam voraginem abſorptam eſſe in unione ſuſtinebat humanitatem, undè conſequebatur, vel divinam naturam humanis fuiſſe perpeſſionibus, mortique obnoxiam, vel quæ pro noſtra redemptione paſſus dicitur Chriſtus, mera eſſe commenta, illuſiones, & ludibria. Cum Hæreſim familiares inter Religioſos, alioſque ſibi neceſſitudine junctos furtim docere cœpiſſet, Euſebius Dorylæi in Phrygia Epiſcopus, cui cum Eutychete amicitia intercedebat, privatis ipſum monitionibus corrigere tentavit. At fruſtra: rem itaque detulit ad Flavianum Conſtantinopolitanum Antiſtitem; qui cauſa penitiùs explorata, Eutycheti diem dicit, ut ſe coram Synodo ſiſtat. Iſte de morbo excuſationem prætexit; ſed demum poſt tertium citationis edictum, numeroſa ſtipatus manu militum, quos Chryſaphius præcipuus imperii adminiſter Flaviano pridem infenſiſſimus, ei præbuerat, Synodum adit arrogantia tumens; & contumacis animi argumenta toto corpore præferens. A Patribus interrogatus, & juſſus cauſam dicere, apertè reſpondit. *Confiteor ex duabus naturis fuiſſe Dominum ante unitionem, poſt unitionem verò* unam *naturam confiteor*. Hinc ſolemnem a Concilio retulit damnationis ſententiam.

Ille immanibus adversùs Synodum intemperiis furit: eam libellis per compita affixis proſcindit, novaſque pro ſe factiones ubique conflat. Quin etiam apud Leonem Pontificem Maximum conqueritur, ſe Epheſinæ fidei aſſertorem injuſtè damnatum ab Epiſcoporum cum Neſtorio ſentientium factione Chriſtum Perſonarum diverſitate dividentium, nec ſe ullatenùs auditum, dum ad Apoſtolicum tribunal appellat. De his ſcripſit ad Flavianum Leo, à quo totius rei veritatem addidicit.

Dioſcorus. Inter hæc Dioſcorus Magni olim Cyrili Diaconus, ejuſdemque in Alexandrino Patriarchatu indigniſſimus ſucceſſor, projectiſſimæ nequitiæ vir, plurimis homi-

homicidiis, adulteriis, rapinis, & ſacrilegiis inquinatus, ac ſimul Chryſaphius Theodoſii, & Eudoxię Auguſtæ animos injuſtis adverſus Flavianum querelis pręoccupant, remque perſuadent ad Synodum deferendam eſſe œcumenicam, in qua Flavianus non judicis, ſed dumtaxat rei perſonam ſuſtineat. Horum, & Eudoxię molitionibus Theodoſius, Religioſiſſimus alioquin Princeps, ſed qui nimium Aſſentatoribus tribuebat, generale Concilium Epheſi celebrandum indicit. Hęc eſt Synodus illa, quam Græci *Latrocinalem*, ſeu *Prædatoriam* nuncupant: in qua omnia per dolos, & vim militarem geſta ſunt Dioſcoro Præſide. Hic protinus Eutyches communioni, dignitatique reſtitutus, Flavianus verò, & declaratur Neſtorianus, & ſede ſua depulſus eſt. Dum autem ad Pontificis provocat tribunal, eum Dioſcorus carnificem indutus tam atrociter verberibus excipit, ut mox toto corpore contuſus, fractus, & faucius poſt triduum vita exceſſerit. Nunquam certè ob eximiam, heroicam, immotam, omnibuſque artibus imperviam in fide tuenda conſtantiam, Magni obliterabitur *Flaviani* memoria. Sine mora loco ejus ſubrogatur Anatolius tum Dioſcori apud Theodoſium Apocriſiarius, tum ejuſdem in crimine ſocius. Leo Papa his acceptis, pſeudo-Synodum damnat, ſed in illum Dioſcorus Alexandriam reverſus novo, inaudito, & temerario auſu, Catholicis omnibus exhorreſcentibus, anathematis ſulmen revibrat.

Tandem ſub Marciano, Pulcheriaque Auguſtis, celebratum eſt, id convocante Leone Pontifice, Concilium Generale Chalcedonenſe ſexcentorum triginta Patrum, in quo *Latrocinans* Conciliabulum unà cum Eutychete, & Dioſcoro fulguritum eſt: aſſerta duplex in Chriſto natura, etiam poſt unionem, divina, & humana; unita in perſona Verbi; Flaviani memoria honorificentiſſimè reſtituta, & Dioſcorus tantorum author malorum Gangram (quæ eſt Urbs inculta Paphlagoniæ) amandatus; ac militari manu perductus. Illic impœnitens diem clauſit extremum.

Porrò Eutychetis aſſeclæ fuerunt etiam dicti *Mono-*

phyſitæ, id eſt, *unius* naturæ aſſertores.

Ægyptii. Ægyptii, ſeu Alexandrini, plerique impium Eutychetis Errorem unà cum Dioſcoro ſectati ſunt. Sed alium præterea procuderunt aſſerentes *Ordinationem divinam aliquibus ſacrificiis, & Orationibus impediri poſſe*.

Petrus Fullo. Petrus Cnaphæus, communiter Petrus Fullo monaſticam primò vitam profeſſus eſt Conſtantinopoli in Cœnobio Acæmitenſium, in quo Fullonis artem exercuit, unde & Fullonis cognomen ſortitus eſt. Ex eo Monaſterio ob Eutychianos ejectus Frrores, Chalcedonem ſe contulit, ibique Presbyter fuit Eccleſiæ Sanctæ Baſſæ. Hinc propter eandem extorris hereſim rediit Conſtantinopolim, ubi ſe Zenonis Patritii, cui Leo Auguſtus Ariadnem filiam ſuam deſponderat, amicitiæ inſinuavit. Ejus gratia, & authoritate fultus *Martyrium* Antiſtitem Antiochenum, virum Catholicum, & egregium Synodi Chalcedonenſis propugnatorem Antiochiæ, quo Zenonem illi Urbi à Leone præfectum ſecutus fuerat, diris modis aggreſſus eſt, eum ut Neſtorii aſſeclam traducens, & ingentes ea in civitate procellas excitans.

Martyrius ſeditionum, & tumultuum magis in dies increbreſcentium pertæſus, Zenonemque Petro Fulloni ſemper faventem expertus, in publico Eccleſiæ conventu ſe Epiſcopatu abdicavit, altiori voce hæc proferens: *Clero immorigero, & populo rebelli, & Eccleſiæ contaminatæ renuntio, ſervata interim mihi Sacerdotii dignitate*. Poſt ejus diſceſſum, Petrus Fullo ſedem Antiochenam invaſit. Illìc ſacro Triſagio *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis*, omnibus ſtupentibus, & infrendentibus Catholicis, addidit hæc verba, *qui paſſus es pro nobis*. De his in refutatione Erroris.

Non diu poſt ab Imperatore Oaſim in exilium truditur. Extincto Leoni ſubrogatur Zeno: ſed vix thronum occupans eo per Baſiliſcum exuitur; ab hoc Petrus ſedi reſtituitur. Sed recuperato imperio, rurſum indè pellitur ab ipſo Zenone mutato in Catholicum, qui ei ſubſtituit Stephanum ſpectatiſſimæ virtutis

Præ-

Præſulem. Hunc, cum per anni circiter ſpatium Antiochenæ præfuiſſet Eccleſię, Antiochenſium Eutychianorum pueri à Petri commilitonibus exciti, calamis telorum inſtar pręacutis interficiunt. Ob cędem horribilem graviter commotus Zeno mittit Antiochiam, qui tam nefarium ſcelus vindicent, & in ſacrilegos animadvertant. Interim criminum artifex Fullo elabitur. Damnatur Romę, & Conſtantinopoli. Ne quid verò ad impietatis cumulum deeſſet, *Zenaiam* genere Perſam, hominem perditiſſimum, ſervilibus natum parentibus, ſed & ex Manichęis oriundum, cum nedum Baptiſma ſuſcepiſſet, Hierapolitanum creat Epiſcopum. Tandem anno 486. moritur, divinoque ſiſtitur Tribunali Petrus Fullo mortalium facinoroſiſſimus.

Acephali profeſſione fuerunt Eutychiani: ſed cum Petrus Moggus ejuſdem fuliginis Alexandrię (cujus Eccleſię ſedem invaſerat) Chalcedonenſem Synodum, Catholicos perindè ac Hęreticos demereri ſtudens, nunc reiicit, nunc adſciſcit; ab illo defecerunt: qui proindè, quòd nec Catholicarum eſſent partium, nec cum ſuo convenirent Epiſcopo, ideò *Acephali*, id eſt, *ſine capite* dicti ſunt. *Acephali.*

Huic ſectę vires addidit *Severus* patria Sozopolitanus in Piſidia, fax, lues, peſtis Orientalis Eccleſiæ, monſtrumque ex omnium vitiorum deformitate compactum. In ſedem Antiochenam intruſus fuerat, pulſo in exilium ob Fidei propugnationem Flaviano, à celebri Conſtantinopolitano non degenere. Ab hoc Severo Acephali appellati ſunt etiam *Severiani*. *Illorum dux Severus.*

Ex iſta colluvie emerſerunt *Iacobitæ*, à *Jacobo Syro* obſcuri generis homine nomen mutuati; quod nomen Eutychianis hodie dùm in Ægypto, & per totum Orientem commune eſt. Degunt & illic Neſtorianorum reliquię. Sed utraque ſecta denſiſſimis ignorantiæ tenebris immerſa eſt, deſes, iners, barbara, inculta, intractabilis, longiſſimę affixa ſervituti, &, ſi vel poſſet, ab ea avelli neſcia, Turcis ludibrio, Catholicis deſpectui, omnibus inviſa, & penè in animantium conditionem redacta. *Jacobitæ*

Xenaias Erroruum hujus ſæculi agmen claudit præcitatus *Xenaias*, nuncupatus etiam *Philoxenus*. Dignus fuit Magiſtro *Fullone* Diſcipulus. Novum commentus eſt Errorem aſſerens, *non eſſe venerandas Chriſti, & Sanctorum imagines*: ut jam habeant Iconoclaſtæ, cui laudatiſſimo, ac probatiſſimo Authori ſtatuas ipſi erigant, ejuſdemque ſolius venerentur ſimulachra.

Sectarii

Refelluntur Errores Seculi quinti.

Errores Vigilantis. 1. *Sancti pro nobis non orant, adeòque fruſtra à nobis invocantur.*

D. Thomas 2. 2. qu. 83. art. 11. *Dicitur 2. Machab. ult. Hic eſt, qui multùm orat pro populo, & universa Sancta Civitate, Hieremias Propheta.*

Deindè, Apocalypſis 8. habetur: *aſcendit fumus incenſorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coràm Deo.*

Sectarii Nunc ad rationem Erroris debellatricem procedamus. *Sicut Hiero: dicit, Vigilantii Error fuit, quod dum vivimus, mutuò pro nobis orare poſſimus; poſtquam autem mortui fuerimus, nullus pro alio ſit exaudienda oratio. Sed hoc eſt omninò falſum; quia cum oratio pro aliis facta, ex charitate proveniat, quantò Sancti, qui ſunt in patria, ſunt perfectioris charitatis, tantò magis orant pro viatoribus, qui orationibus juvari poſſunt, & quantò ſunt Deo conjunctiores, tantò eorum orationes ſunt magis efficaces. Habet enim hoc divinus ordo, ut ex ſuperiorum excellentia in inferiora refundatur, ſicut ex claritate ſolis in aerem. Unde & de Chriſto dicitur Hebr. 7. Accedens per ſemetipſum ad Deum ad interpellandum pro nobis. Et propter hoc Hieron. contra Vigilantium dicit. Si Apoſtolus, & Martyres adhuc in corpore conſtituti, quando pro ſe adhuc debent eſſe ſolliciti, pro aliis orant; quantò magis poſt Coronas, Victorias, & Triumphos?* Adeòque non fruſtrà à nobis invocantur.

2. *Non ſunt colenda Sanctorum Reliquia.*

Sectarii D. Thomas 3. p. qu. 25. art. 6. *Auguſtinus dicit in libro de Civitate Dei* (lib. 1. cap. 13. *ſi paterna veſtis,*

ſtis, & annulus, ac ſi quid eſt hujuſmodi, tantò carius eſt poſteris, quantò erga parentes eſt major affectus, nullo modo ipſa ſpernenda ſunt corpora, quæ utique multò familiarius, atque conjunctius, quàm quælibet indumenta geſtamus. Hæc enim ad ipſam naturam hominis pertinent. Ex quo patet, quod qui habet affectum ad aliquem, etiam ea, quæ de ipſo poſt mortem relinquuntur, veneratur: non ſolum corpus, aut partes corporis ejus, ſed etiam aliqua exteriora, puta veſtes, & ſimilia. Manifeſtum eſt autem, quod Sanctos Dei in veneratione habere debemus tanquam membra Chriſti, Dei Filios, & amicos, & noſtros interceſſores. Et ideò eorum Reliquias qualeſcumque honore congruo in eorum memoriam venerari debemus, & præcipuè eorum corpora, quæ fuerunt templa, & organa Spiritus Sancti in eis habitantis, & operantis, & ſunt Corpori Chriſti configuranda per glorioſam reſurrectionem.

3. *Æquè perfecti ſunt illi, qui poſſident divitias, ac illi, qui voluntariam paupertatem profitentur.*

D. Thomas. Opuſc. 5. cui titulus de Articulis fidei: circa Articulum 4. *Vigilantius æquavit ſtatum divitias poſſidentium ſtatui paupertatis propter Chriſtum aſſumptæ. Contra quem dicit Dominus Matth. 19. Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis Theſaurum in Cœlo, & veni, ſequere me.*

Anima non de nihilo, ſed de divina creata eſt ſubſtantia.

D. Thomas 1. p. q. 90. art. 1. *Auguſtinus in libro de Origine animæ cap. 3. & 4. Enumerat quædam, quæ dicit eſſe multum, apertèque perverſa, & fidei Catholicæ adverſa. Inter quæ primum eſt, quod quidam dixerunt, Deum animam non de nihilo, ſed de ſeipſo feciſſe.* *Error Vincentii Victoris.*

Ideò autem hæc poſitio perverſa, & erronea eſt, quia in ſacris Literis multa animæ attribuuntur, quæ Deo convenire nequeunt, ut, quòd peccet, Ezech. 18. *anima, quæ peccaverit, ipſa morietur*: quòd ſanetur, Pſalm. 40. *Sana animam meam, quia peccavi tibi*, quod ſit triſtis, & conturbetur. Pſalm. 41. *Quare*

triſtis es anima mea, & quare conturbas me?

Object. His adde rationem *D. Thomæ. Anima humana eſt quandòque intelligens in potentia, & ſcientiam à rebus quodammodò acquirit, & habet diverſas potentias. Quæ omnia aliena ſunt à natura Dei, qui eſt actus purus, & nihil ab alio accipiens, & nullam in ſe diverſitatem habens.. undè falſum eſt, animam eſſe de ſubſtantia Dei.*

Potuit autem (S. Doctor. 2. contra Gent. c. 85.) *ex ipſa ſimilitudine animæ noſtræ ad Deum hæc opinio naſci. Intelligere enim quod maximè æſtimatur proprium Dei, nulli ſubſtantiæ in mundo inferiori convenire invenitur, niſi homini propter animam: undè videri potuit animam ad naturam divinam pertinere. Adhuc etiam coadiuvare videtur illud Gen. 1: faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram: & Deus inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ. Qui enim in faciem alterius inſpirat, idem numero, quod in ipſo erat, in alium emittit, & ſic videtur ſcriptura innuere, quòd aliquid divinum à Deo in hominem ad ipſum vivificandum immiſſum ſit.*

Reſp. *Sed ſimilitudo prædicta non oſtendit animam hominis eſſe aliquid ſubſtantiæ divinæ, cum in intelligendo defectum multipliciter patiatur: quod de Deo dici non poteſt. Undè hæc ſimilitudo magis eſt indicativa cujuſdam imperfectæ imaginis Dei, quam alicujus ſubſtantialitatis, Deus* autem *inſpiraſſe in faciem hominis ſpiraculum vitæ dicitur, quia Spiritum vitæ homini dedit*, non eum ex ſua ſubſtantia decidendo. *Nam & qui corporaliter inſufflat in faciem alicujus, undè videtur eſſe ſumpta Metaphora, aerem in faciem ejus impellit, non autem aliquam ſuæ ſubſtantiæ partem in ipſum emittit.*

Error Abelianorum. *In Matrimonio copula carnalis illicita eſt.*

D. Thomas in ſuppl. q. 41. art. 3. *Dicitur 1. ad Timoth. 5. Volo juniores nubere; Filios procreare; ſed procreatio filiorum non poteſt fieri ſine carnali conjunctione*, ergo carnalis conjunctio, ſeu copula in Matrimonio *non eſt peccatum*, proinde illa non eſt illicita.

Error Theodori Mopſueſteni. *In veteri Teſtamento nihil propriè dicitur de Chriſto.*

D. Thomas. 1. 2. quæſt. 98 art. 2. *Chriſtus dicit.*

Lucæ

Lucæ 24. *Oportet impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in Lege, & in Pſalmis, & in Prophetis de me*. Scriptum eſt utique de eo, quòd eſſet naſciturus ex ſemine Abrahę. (Gen. 22. 18.) quòd ex familia David. (Hieremię 23. 5.) quòd ex Virgine (Iſaię 7. 14.) quod in Bethleem (Micheę 5. 2.) quòd pro humano genere moriturus. (Iſaię 53. 4.) Scriptum eſt etiam in veteri Teſtamento, Chriſtum fore Deum ſimul, & hominem. Hoc liquet ex nativitate, & morte pręnuntiata, quę quidem non poſſunt intelligi niſi ſecundùm humanitatem: illud verò colligitur primò ex Pſalmo 2. 7. *Filius meus es tu; ego hodiè genui te*. Ex quo loco probat Apoſtolus Hebr. 15. Chriſtum eſſe majorem Angelis, quia ab ęterno genitus eſt à Deo Patre per divinam generationem. Dicitur etiam Pſalmo 109. 1. *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis*, quem locum clare de divinitate explicat ipſemet Chriſtus. Matth. 22. 44. Item dicitur Iſaię 35. 4. Deus ipſe *veniet, & ſalvabit nos*, ubi is apertè loquitur de Chriſto, ut ex contextu patet. His adde locum Baruch. 3. 36. *Hic eſt* Deus *noſter, & non æſtimabitur alius adverſus eum*: ubi quoque eſt Sermo de Chriſto, quia ſequitur: *poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt*. Sed nonnè etiam fatur de Chriſto Pſalmus 39. *In capite libri ſcriptum eſt de me?* ſanè *in capite libri Pſalmorum: primus enim Pſalmus eſt de Chriſto. Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum, & in viis peccatorum non ſedit &c...* ità *D. Thomas* in citatum Pſalmum. Infinitus ſim, ſi omnia antiquę Legis, quę de Chriſto meminerunt, loca recenſeam.

1. *Non datur in parvulis peccatum originale*. *Errores Pelagii.*

D. Thomas 1. 2. q. 81. a. 1. *Apoſtolus dicit Rom.* 5. *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt*. Plura ſuppetunt Scripturę Sacrę teſtimonia; ſed hoc ſufficit utpote luculentiſſimum.

Auguſtino Julianus perpetuò hęc obiiciebat. *Non peccat iſte, qui naſcitur, non peccat ille, qui genuit: non peccat iſte, qui condidit, per quas rimas, inter* *Object.*

tot præſidia innocentiæ, peccatum fingis ingreſſum?

Reſp. His lepidè, & egregiè reſpondet Auguſtinus. *Quid quæris latentem rimam, cum habeas apertiſſimam januam? per unum hominem, ait Apoſtolus, per unius delictum, ait Apoſtolus, per inobedientiam unius hominis, ait Apoſtolus. Quid quæris amplius? quid quæris apertius? quid quæris inculcatius?*

Ratio autem Theologica potiſſimum ſumitur ex Chriſti redemptione: Chriſtus enim eſt redemptor omnium hominum, nec ſolum adultorum, ed etiam parvulorum, cùm mortuus ſit non ſolum pro adultis, ſed etiam pro parvulis juxta illud Pauli 2. ad Corinth. 5. *Chriſtus pro omnibus mortuus eſt*, redemptio autem ſupponit ſervitutem, ſeu mortem peccati, ut præfato loco dicitur, *ergo omnes mortui ſunt*, itaque non tantùm adulti, ſed etiam parvuli ſunt infecti peccato, non actuali, ut conſtat, ergo originali. *Propter quod* (*D. Thomas* loco citato) *pueri mox nati deferuntur ad Baptiſmum ab infectione culpæ abluendi, contrarium autem eſt* Hæreſis Pelagiana, *ut patet per Auguſtinum in plurimis ſuis libris.*

Sed qui peccatum originale eſt voluntarium, cum hoc requiratur ad rationem peccati? audiatur Angelicus ibidem. *Omnes homines, qui naſcuntur ex Adam, poſſunt conſiderari, ut unus homo, in quantum conveniunt in natura, quam à primo parente accipiunt, ſecundùm quòd in civilibus omnes homines, qui ſunt unius communitatis, reputantur quaſi unum corpus, & tota communitas quaſi unus homo. Unde homines ex Adam derivati ſunt tanquam membra unius corporis: actus autem unius membri corporalis, puta manus, non eſt voluntarius voluntate ipſius manus, ſed voluntate animæ, quæ primò movet membrum, ſic igitur inordinatio, ſeu culpa, quæ eſt in iſto homine ex Adam generato, non eſt voluntaria voluntate ipſius, ſed* voluntate primi parentis, *qui movet motione generationis omnes, qui ex ejus origine derivantur.* Præſertim cum in Adamo tanquam in capite totius generis humani omnes omnium voluntates, (ut & pupillorum, ac minorum voluntates ex juſſu Principis in voluntatem curatoris,

vel

vel tutoris transferuntur) fuerint comprehenſæ.

Undè Auguſtinus lib. 2. de Nuptiis cap. 5. *Per unius illius voluntatem malam omnes peccaverunt, quando omnes illi unus fuerunt, de quo propterea ſinguli peccatum originale traxerunt.* Similiter in Pſal. 84. *Adam ille omnes nos eramus, quia in Adam omnes moriuntur. Non eramus jam nos, ſed eramus in Adam.*

2. *Liberum arbitrium poteſt ſine gratia Dei facere opus bonum vitæ æternæ meritorium.*

D. Thomas 1. 2. q. 109. art. 2. *Apoſtolus dicit Rom. 9. Non eſt volentis, ſcilicet velle, neque currentis, ſcilicet currere, ſed miſerentis Dei.* Et Joann. 15. dicitur. *Sine me nihil poteſtis facere*; in ordine ſcilicet ad vitam æternam. Item 6. *nemo venit ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.* Deinde 1. ad Corinth. 12. *Nemo poteſt*, ait Doctor Gentium, *dicere Dominus Jeſus, niſi in Spiritu Sancto.* Unde *Auguſtinus* loco citato allegatus à *D. Thoma dicit in libro de correptione, & gratia cap. 2. quòd ſine gratia nullum prorſus ſive cogitando, ſive volendo, & amando, ſive agendo faciunt homines bonum.* Ad Rom. etiam 6. habetur. *Gratia Dei vita æterna: quod ideò dicitur,* inquit Auguſtinus de gratia, & libero arbitrio (apud Angelicum art. 5.) *ut intelligeremus, Deum ad* vitam æternam pro ſua miſeratione nos perducere.

Et ratio eſt; *quia actus perducentes ad finem* (eodem articulo) *oportet eſſe fini proportionatos; nullus autem actus excedit proportionem principii activi. Et ideo videmus in rebus naturalibus, quod nulla res poteſt perficere effectum per ſuam operationem, qui excedat virtutem activam, ſed ſolùm poteſt producere per operationem ſuam effectum ſuæ virtuti proportionatum. Vita autem æterna eſt finis excedens* (utpotè ſupernaturalis) *proportionem naturæ humanæ. Et ideò homo per ſua naturalia non poteſt producere opera meritoria proportionata vitæ æternæ, ſed ad hoc exigitur altior virtus, quæ eſt* virtus gratiæ.

3. *Ipſa natura, ſeu liberum arbitrium gratis à Deo datum eſt gratia, adeòque ad benè operandum non negatur gratia.*

Hæc

Hæc poſitio non differt niſi puro nomine ab Errore præcedenti. Sed breviter audiatur Auguſtinus. Serm. 11. de verbis Apoſtoli cap. 47. *Videte, quomodo generalem illam gratiam* (Pelagiani) *prædicent, qua creatus eſt homo, qua homines ſumus: utique & cum impiis homines ſumus: ſed non cum impiis Chriſtiani ſumus. Hanc ergo gratiam, qua Chriſtiani ſumus, ipſi, volumus, prædicent*. Commune eſt ſanè liberum omnibus arbitrium, *communis eſt omnibus natura, non gratia. cap.* 4.

4. *Præter naturam data ſunt homini Lex, doctrina, præceptaque divina, per quæ declinet à malo, & faciat bonum, & etiam exemplum Chriſti.*

D. Thomas 1. 2. q. citata a. 8. *Dicit Auguſtinus in libro de perfectione juſtitiæ. Quiſquis negat nos orare debere, ne intremus in tentationem, negat autem hoc, qui contendit ad non peccandum, gratiæ Dei adjutorium non eſſe homini neceſſarium, ſed* Sola lege *accepta, humanam ſufficere voluntatem, ab auribus omnium removendum, & ore omnium Anathematizandum eſſe non dubito.*

Certè Lex non juſtificat. *Si enim per legem juſtitia, ergo gratis Chriſtus mortuus eſt*. ad Gal. 2.

Sed nec ſufficit exemplum Chriſti, cnm illud, licet Chriſtianum vehementer ad vitæ integritatem excitet, non tamen internam ei virtutem tribuat: requiritur gratia Chriſti, cujus gratiæ munus eſt internam illam virtutem, vim, robur, vigorem ad vitam conferre æternam.

5. *Gratia neceſſaria non eſt, ad ſimpliciter, ſed tantùm ad faciliùs promerendum vitam æternam.*

D. Thomas 1. 2. q. præcedenti a. 6. ad 2. *Dicitur Joan.* 15. *ſine me nihil poteſtis facere*. Non ait Dominus; ſine me non tam facilè poteſtis facere ſeu operari veſtram ſalutem, ſed ait clarè, disertè, perſpicuè; ſine me nihil poteſtis facere. Ita ut magnum illud opus veſtræ ſalutis à mea gratia miſerante ſimpliciter, abſolutè, neceſſariò, omninò dependeat.

Roboratur hæc veritas ex celeberrimo loco 2. ad Corinth. 3. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis,*

bis, tanquam ex nobis, ſed omnis noſtra ſufficientia ex Deo eſt. Si non ſimus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis, multò minùs ſumus ſufficientes velle aliquid ex nobis: etenim quæ non cognoſcimus, velle non poſſumus, & ſi velle non poſſumus, nec operari poſſumus. *Unde omnis noſtra ſufficientia ex Deo eſt*. Non dicit Apoſtolus, facilitas ex Deo eſt, ſufficientia ex nobis, ſed: omnis noſtra ſufficientia ex Deo eſt. Accedit ejuſdem Epiſtolæ caput nonum, ubi Paulus eadem confirmat hiſce verbis. *Potens eſt autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, ut in omnibus ſemper omnem ſufficientiam habentes abundetis in omne opus bonum*.

Denique, cum idem Paulus tertiò rogaret Dominum, ut auferret ab eo ſtimulum carnis, reſponſum eſt illi a Domino. *Sufficit tibi gratia mea*. Non dixit ei Dominus, tu ipſe tibi ſufficis, ſed dixit clariſſimè: ſufficit tibi Gratia mea.

Unde Auguſtinus hìc citatus ad Errorem 2. Pelagii, ſine gratia, inquit, nullum prorſus ſive cogitando, ſive volendo, & amando, & agendo faciunt homines bonum.

Ratio fundamentalis eſt iterùm improportio naturæ humanæ ad fidem ſupernaturalem, qualis eſt vita æterna.

6. Gratia datur ſecundùm merita.

D. Thomas 1. 2. q. 114. a. 5. Omne meritum repugnat gratię. *Quia, ut ad Rom. undecimo Apoſtolus dicit; ſi gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non eſſet gratia*.

Deinde, 1. 2. q. 110. a. 2. ad 3. *Gratia dicitur creari, ex eo, quod homines ſecundùm ipſam creantur; id eſt, in novo eſſe conſtituuntur ex nihilo, id eſt*, non ex meritis, *ſecundùm illud ad Epheſ. 2. Creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis*.

1. Initium fidei, & bonæ voluntatis eſt à nobis. *Errores Semi-Pelagianorum.*

D. Thomas 2. 2. q. 6. a. 1. *Dicitur ad Epheſ. 2. Gratia eſtis ſalvati per fidem, & hæc* non ex vobis; Dei enim donum eſt: non ex operibus, ut ne quis glorietur.

Dein-

Deinde ad Corinth. 4. Sic diſcurrit Apoſtolus. *Quis te diſcernit? quid habes, quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* ſi verò initium fidei eſſet à nobis, poſſet Fidelis dicere præ Infideli: ego per initium fidei diſcrevi me ab eo, adeòque poſſet de magno illo, & eximio dono fidei gloriari, quaſi non eſſet donum, quod à Deo accepiſſet.

Ratio autem cur initium fidei non ſit à nobis, aſſignatur ab Angelico loco citato. *Homo enim aſſentiendo his, quæ ſunt fidei, elevatur ſupra naturam ſuam, proindèque oportet, quod* initium fidei inſit ei ex ſupernaturali principio interius movente per gratiam; quod eſt Deus.

Nec etiam initium bonæ voluntatis eſt à nobis. Per tale enim initium, intelligitur diſpoſitio, ſeu præparatio ad gratiam, nullus autem poteſt ſe præparare ad gratiam ſine gratia. Quod conſtat ex 1. 2. q. 109. a. 6. *Dicitur Joan. 6. Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum. Si autem homo ſeipſum præparare poſſet, non oporteret, quod ab alio traheretur: ergo homo non poteſt ſe ad gratiam præparare abſque auxilio gratiæ. Unde dicitur Threnorum ultimo. Converte nos Domine ad te, & convertemur.* Et ad Philipp. 2. *Deus eſt, qui operatur in nobis, & velle, & perficere pro bona voluntate*, adeòque non ſolùm perfectio, ſeu conſummatio bonę voluntatis, ſed etiam illius initium eſt à Deo.

Nunc ad rationem Theologicam, quæ jam inſinuari cœpta eſt. *Præparare ſe ad gratiam, eſt ad Deum converti. Sicut ille, qui habet oculum averſum à lumine ſolis, per hoc ſe præparat ad recipiendum lumen ſolis, quod oculos ſuos convertit verſus ſolem, quòd autem homo convertatur ad Deum, hoc non poteſt eſſe, niſi Deo ipſum convertente: ſecundùm illud Hier. 31. Converte me, & convertar: quia tu Dominus Deus meus.* 1. 2. eodem loco.

Et ideò (ad 2.) *cum dicitur homo facere, quod in ſe eſt*, (quod erat ordinarium Semi-Pelagianorum argumentum) *dicitur, hoc eſſe in poteſtate hominis, ſecundùm quòd eſt motus*, ſeu converſus à Deo.

Ex

Ex dictis ruit exemplum de infirmo, cui licet deſint vires ad ambulandum, aliaque exercenda opera hominis ſani; poteſt tamen iſte deſiderare ſalutem corporis, & petere medicinam.

Etenim & Sanitas corporalis, & deſiderium illius ſanitatis totum naturale eſt; ejuſdemque lineæ: ſanitas verò ſpiritualis, & illius deſiderium; totum ſupernaturale eſt, & altioris ordinis. Undè nec fidei, nec bonæ voluntatis initium eſt à nobis, ſed *à Deo* nos *movente per gratiam. Deus eſt, qui operatur in nobis velle, & perficere*. Loco memorato ad Philip.

2. *Libero arbitrio adſcribendum eſt, quod unus præ alio finaliter perſeveret.*

D. Thomas 1. 2. q. 109. a. 10. *Auguſtinus dicit in libro de perſeverantia. Cur perſeverantia poſcitur à Deo, ſi non datur à Deo? nonnè iſta irriſoria petitio eſt, cum id ab eo petitur, quod ſcitur non ipſum dare, ſed ipſo non dante, eſſe in hominis poteſtate? perſeverantia autem petitur etiam ab illis, qui ſunt per gratiam ſanctificati, quod intelligitur, cum dicimus; ſanctificetur nomen tuum*. Matth. 6. *Ergo homo etiam in gratia conſtitutus indiget, ut ei perſeverantia à Deo detur*. Si indiget, ut ei perſeverantia à Deo detur, non itaque libero arbitrio adſcribendum eſt, quod unus præ alio finaliter perſeveret.

Eadem habet Angelicus in corp. *Poſtquam aliquis eſt juſtificatus per gratiam, neceſſe habet à Deo petere prædictum perſeverantiæ donum, ut ſcilicet cuſtodiatur à malo uſque ad finem vitæ*, multis enim datur gratia, quibus non datur perſeverare in gratia. Et quæſt. 114. a. 9. Perſeverantia dependet ſolum ex motione divina. *Unde Deus* gratis *perſeverantiæ donum largitur, cuicumque illud largitur.*

Huc etiam ſpectant verba illa Oſeę 13. *Perditio tua ex te Iſrael, tantummodò in me auxilium tuum*; præſertim in termino vitę.

1. *Duplex eſt in Chriſto perſona, alia Dei, alia hominis.* *Errores Neſtorii.*

D. Thomas 4. contra Gentes c. 34. *Theodorus Mopſueſtenus, & Neſtorius ejus ſectator dixerunt, quòd in hoc homine Deus habitavit ſicut in Templo ſuo, ſcilicet*

licet per gratiam, ſicut & in aliis hominibus Sanctis. Et hoc conſecuta eſt ulteriùs quædam affectualis unio inter hominem illum, & Deum: dum & homo ille bona ſua voluntate Deo inhæſit, & Deus ſua voluntate illum acceptavit; ut ſic intelligatur talis eſſe unio hominis illius ad Deum, qualis eſt unio, de qua Apoſtolus dicit: qui adhæret Deo, unus Spiritus eſt. Quæ proindè unio Sanctis convenit. *Sed tamen, quia in illo homine major plenitudo gratiæ fuit, quàm in aliis hominibus Sanctis, fuit præ cæteris templum Dei, & arctiùs Deo ſecundùm affectum unitus, & ſingulari privilegio divina nomina (ut ſunt Dei Filius, & Dominus, & Sanctus, & Chriſtus) participavit. Et propter hanc excellentiam gratiæ, conſtitutus eſt in participatione divinæ dignitatis, & honoris, ut ſcilicet coadoretur Deo. Et ſic ſecundùm prædicta, oportet, quòd alia ſit perſona Verbi, & alia perſona illius hominis, qui Verbo Dei coadoratur. Ut ſic dicatur homo ille, & Dei Verbum, una perſona, ſicut dicitur de viro, & muliere, quòd jam non ſint duo, ſed una caro. Et quia talis unio non facit, ut quod de uno dicitur, de altero dici poſſit (non enim quidquid convenit viro, verum eſt de muliere, aut è converſo) ideò in unione Verbi, & illius hominis hoc obſervandum putant, quòd ea, quæ ſunt propria illius hominis ad humanam naturam pertinentia, de Verbo Dei, aut de Deo convenienter dici non poſſunt: ſicut homini illi convenit, quod ſit natus de virgine, quod paſſus, mortuus, & ſepultus, & hujuſmodi, quæ omnia aſſerunt de Deo, vel de Dei Verbo dici non debere. Sed quia ſunt quædam nomina, quæ etſi Deo principaliter conveniant, communicantur tamen hominibus per aliquem modum, ſicut, Chriſtus, Dominus, Sanctus, & etiam Filius Dei: de hujuſmodi nominibus, ſecundùm eos, nihil prohibet prædicta prædicari. Convenienter enim dicitur, quòd Chriſtus ſit Dominus gloriæ, vel Sanctus Sanctorum, vel Dei Filius, ſit natus de virgine, paſſus, mortuus, & ſepultus: unde & Beatam Virginem non Matrem Dei, vel Verbi Dei, ſed Matrem Chriſti nominandam eſſe dicunt. Sed ſi quis diligenter conſideret, prædicta poſitio veritatem Incarnationis excludit. Non enim ſecundùm prædicta, Verbum Dei fuit homini*

illi

illi unitum, niſi ſecundum inhabitationem per gratiam, ex qua conſequitur unio voluntatum; inhabitatio antem Verbi Dei in homine non eſt Verbum Dei Incarnatum, habitavit enim Verbum Dei, & ipſe Deus in omnibus Sanctis à conſtitutione mundi ſecundum illud Apoſtoli. 2. ad Corinth. 6. Vos eſtis templum Dei vivi, ſicut dicit Deus, quoniam inhabitabo in illis; quæ tamen inhabitatio, Incarnatio dici non poteſt; alioquin frequenter ab initio mundi Deus Incarnatus fuiſſet. Nec ſufficit, ſi Deus pleniori gratia habitavit in illo homine, quia magis, & minus ſpeciem non diverſificant unionis. Cum igitur Chriſtiana religio in fine Incarnationis fundetur, evidenter apparet, quod prædicta poſitio fundamentum Chriſtianæ religionis tollit.

Porrò in Neſtorianiſmum, quem declinare nitebantur, illos relabi neceſſe erat, *qui poſuerunt* (*D. Thomas* cap. 27.) *quod perſona aſſumpta ſe haberet ad perſonam Filii Dei, ſicut veſtis ad hominem.. nihil enim refert dicere, quod Verbum eſt in homine, ſicut in templo, & quod natura humana Verbo uniatur, ſicut veſtimentum veſtito.* Undè *manifeſtum eſt*, (3. p. q. 2. a. 6.) & hunc, & *modos omnes* recenſitos *accidentalem unionem importare.. fides autem Catholica non dicit unionem factam Dei, & hominis ſecundum accidens*, ſeu *accidentalem, ſed ſubſtantialem, & perſonalem:*

Audiit hęc Neſtorius, & ne ulterius ab Orthodoxis premeretur, admiſit homo verſipellis unionem naturarum in Chriſto ſubſtantialem, & perſonalem, unam in Chriſto Hypoſtaſim, ſeu perſonam.

Sed ſanè hiſce licet ornatus larvis, Catholicus non erat, quantumvis eſſe videretur: latitabat anguis in herba: quęcumque proponebat, fraudulenta condiebat acceptione *perſonæ*, illam ſcilicet ſubintelligens pro explicata perſona honoraria, ſeu dignitatis, vel pro perſona civili, qualiter vir, & uxor, tutor, & pupillus, principalis, & commiſſarius una perſona ſunt: vel tandem pro perſona, ut eam ſumunt grammatici, qualiter tragędi varias perſonas induere dicuntur in theatro. Semper autem negabat unam reverà ſimpliciter in Chriſto perſonam.

Illam

phyſitæ, id eſt, *unius* naturæ aſſertores.

Ægyptii. Ægyptii, ſeu Alexandrini, plerique impium Eutychetis Errorem unà cum Dioſcoro ſectati ſunt. Sed alium præterea procuderunt aſſerentes *Ordinationem divinam aliquibus ſacrificiis, & Orationibus impediri poſſe*.

Petrus Fullo. Petrus Cnaphæus, communiter Petrus Fullo monaſticam primò vitam profeſſus eſt Conſtantinopoli in Cœnobio Acæmitenſium, in quo Fullonis artem exercuit, unde & Fullonis cognomen ſortitus eſt. Ex eo Monaſterio ob Eutychianos ejectus Frrores, Chalcedonem ſe contulit, ibique Presbyter fuit Eccleſiæ Sanctæ Baſſæ. Hinc propter eandem extorris hęreſim rediit Conſtantinopolim, ubi ſe Zenonis Patritii, cui Leo Auguſtus Ariadnem filiam ſuam deſponderat, amicitiæ inſinuavit. Ejus gratia, & authoritate fultus *Martyrium* Antiſtitem Antiochenum, virum Catholicum, & egregium Synodi Chalcedonenſis propugnatorem Antiochiæ, quo Zenonem illi Urbi à Leone præfectum ſecutus fuerat, diris modis aggreſſus eſt, eum ut Neſtorii aſſeclam traducens, & ingentes ea in civitate procellas excitans.

Martyrius ſeditionum, & tumultuum magis in dies increbreſcentium pertæſus, Zenonemque Petro Fulloni ſemper faventem expertus, in publico Eccleſiæ conventu ſe Epiſcopatu abdicavit, altiori voce hæc proferens: *Clero immorigero, & populo rebelli, & Eccleſiæ contaminatæ renuntio, ſervata interim mihi Sacerdotii dignitate*. Poſt ejus diſceſſum, Petrus Fullo ſedem Antiochenam invaſit. Illic ſacro Triſagio *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis*, omnibus ſtupentibus, & infrendentibus Catholicis, addidit hæc verba, *qui paſſus es pro nobis*. De his in refutatione Erroris.

Non diu poſt ab Imperatore Oaſim in exilium truditur. Extincto Leoni ſubrogatur Zeno: ſed vix thronum occupans eo per Baſiliſcum exuitur; ab hoc Petrus ſedi reſtituitur. Sed recuperato imperio, rurſum indè pellitur ab ipſo Zenone mutato in Catholicum, qui ei ſubſtituit Stephanum ſpectatiſſimæ virtutis

Præ-

Præſulem. Hunc, cum per anni circiter ſpatium Antiochenæ præfuiſſet Eccleſię, Antiochenſium Eutychianorum pueri à Petri commilitonibus exciti, calamis telorum inſtar pręacutis interficiunt. Ob cędem horribilem graviter commotus Zenò mittit Antiochiam, qui tam nefarium ſcelus vindicent, & in ſacrilegos animadvertant. Interim criminum artifex Fullo elabitur. Damnatur Romę, & Conſtantinopoli. Ne quid verò ad impietatis cumulum deeſſet, *Zenaiam* genere Perſam, hominem perditiſſimum, ſervilibus natum parentibus, ſed & ex Manichęis oriundum, cum nedum Baptiſma ſuſcepiſſet, Hierapolitanum creat Epiſcopum. Tandem anno 486. moritur, divinoque ſiſtitur Tribunali Petrus Fullo mortalium facinoroſiſſimus.

Acephali profeſſione fuerunt Eutychiani: ſed cum Petrus Moggus ejuſdem fuliginis Alexandrię (cujus Eccleſię ſedem invaſerat) Chalcedonenſem Synodum, Catholicos perindè ac Hęreticos demereri ſtudens, nunc reiicit, nunc adſciſcit; ab illo defecerunt: qui proindè, quòd nec Catholicarum eſſent partium, nec cum ſuo convenirent Epiſcopo, ideò *Acephali*, id eſt, *ſine capite* dicti ſunt. *Acephali.*

Huic ſectę vires addidit *Severus* patria Sozopolitanus in Piſidia, fax, lues, peſtis Orientalis Eccleſiæ, monſtrumque ex omnium vitiorum deformitate compactum. In ſedem Antiochenam intruſus fuerat, pulſo in exilium ob Fidei propugnationem Flaviano, à celebri Conſtantinopolitano non degenere. Ab hoc Severo Acephali appellati ſunt etiam *Severiani*. *Illorum dux Severus.*

Ex iſta colluvie emerſerunt *Iacobitæ*, à *Jacobo Syro* obſcuri generis homine nomen mutuati; quod nomen Eutychianis hodie dùm in Ægypto, & per totum Orientem commune eſt. Degunt & illic Neſtorianorum reliquię. Sed utraque ſecta denſiſſimis ignorantiæ tenebris immerſa eſt, deſes, iners, barbara, inculta, intractabilis, longiſſimę affixa ſervituti, &, ſi vel poſſet, ab ea avelli neſcia, Turcis ludibrio, Catholicis deſpectui, omnibus inviſa, & penè in animantium conditionem redacta. *Iacobitæ*

Xenaias Erroruum hujus ſæculi agmen claudit præcitatus *Xenaias*, nuncupatus etiam *Philoxenus*. Dignus fuit Magiſtro *Fullone* Diſcipulus. Novum commentus eſt Errorem aſſerens, *non eſſe venerandas Chriſti, & Sanctorum imagines*; ut jam habeant Iconoclaſtæ, cui laudatiſſimo, ac probatiſſimo Authori ſtatuas ipſi erigant, ejuſdemque ſolius venerentur ſimulachra.

Sectarii

Refelluntur Errores Seçuli quinti.

Errores Vigilantis.

1. *Sancti pro nobis non orant, adeòque fruſtra à nobis invocantur.*

D. Thomas 2. 2. qu. 83. art. 11. *Dicitur 2. Machab. ult. Hic eſt, qui multùm orat pro populo, & univerſa Sancta Civitate, Hieremias Propheta.*

Deindè, Apocalypſis 8. habetur: *aſcendit fumus incenſorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo.*

Sectarii Nunc ad rationem Erroris debellatricem procedamus. *Sicut Hiero: dicit, Vigilantii Error fuit, quod dum vivimus, mutuò pro nobis orare poſſimus; poſtquam autem mortui fuerimus, nullius pro alio ſit exaudienda oratio. Sed hoc eſt omninò falſum; quia cum oratio pro aliis facta, ex charitate proveniat, quantò Sancti, qui ſunt in patria, ſunt perfectioris charitatis, tantò magis orant pro viatoribus, qui orationibus juvari poſſunt, & quantò ſunt Deo conjunctiores, tantò eorum orationes ſunt magis efficaces. Habet enim hoc divinus ordo, ut ex ſuperiorum excellentia in inferiora refundatur, ſicut ex claritate ſolis in aerem. Unde & de Chriſto dicitur Hebr. 7. Accedens per ſemetipſum ad Deum ad interpellandum pro nobis. Et propter hoc Hieron. contra Vigilantium dicit. Si Apoſtolus, & Martyres adhuc in corpore conſtituti, quando pro ſe adhuc debent eſſe ſolliciti, pro aliis orant; quantò magis poſt Coronas, Victorias, & Triumphos?* Adeòque non fruſtrà à nobis invocantur.

2. *Non ſunt colenda Sanctorum Reliquiæ.*

Sectarii D. Thomas 3. p. qu. 25. art. 6. *Auguſtinus dicit in libro de Civitate Dei* (lib. 1. cap. 13. *ſi paterna veſtis,*

ſtis, & annulus, ac ſi quid eſt hujuſmodi, tantò carius eſt poſteris, quantò erga parentes eſt major affectus, nullo modo ipſa ſpernenda ſunt corpora, quæ utique multò familiarius, atque conjunctius, quàm quælibet indumenta geſtamus. Hæc enim ad ipſam naturam hominis pertinent. Ex quo patet, quod qui habet affectum ad aliquem, etiam ea, quæ de ipſo poſt mortem relinquuntur, veneratur: non ſolum corpus, aut partes corporis ejus, ſed etiam aliqua exteriora, puta veſtes, & ſimilia. Manifeſtum eſt autem, quod Sanctos Dei in veneratione habere debemus tanquam membra Chriſti, Dei Filios, & amicos, & noſtros interceſſores. Et ideò eorum Reliquias qualeſcumque honore congruo in eorum memoriam venerari debemus, & præcipuè eorum corpora, quæ fuerunt templa, & organa Spiritus Sancti in eis habitantis, & operantis, & ſunt Corpori Chriſti configuranda per glorioſam reſurrectionem.

3. *Æquè perfecti ſunt illi, qui poſſident divitias, ac illi, qui voluntariam paupertatem profitentur.*

D. Thomas. Opuſc. 5. cui titulus de Articulis fidei: circa Articulum 4. *Vigilantius æquavit ſtatum divitias poſſidentium ſtatui paupertatis propter Chriſtum aſſumptæ. Contra quem dicit Dominus Matth. 19. Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis Theſaurum in Cœlo, & veni, ſequere me.*

Anima non de nihilo, ſed de divina creata eſt ſubſtantia.

D. Thomas 1. p. q. 90. art. 1. *Auguſtinus in libro de Origine animæ cap. 3. & 4. Enumerat quædam, quæ dicit eſſe multum, apertèque perverſa, & fidei Catholicæ adverſa. Inter quæ primum eſt, quod quidam dixerunt, Deum animam non de nihilo, ſed de ſeipſo feciſſe.* *Error Vincentii Victoris.*

Ideò autem hæc poſitio perverſa, & erronea eſt, quia in ſacris Literis multa animæ attribuuntur, quæ Deo convenire nequeunt, ut, quòd peccet, Ezech. 18. *anima, quæ peccaverit, ipſa morietur:* quòd ſanetur, Pſalm. 40. *Sana animam meam, quia peccavi tibi;* quod ſit triſtis, & conturbetur. Pſalm. 41. *Quare tri-*

triſtis es anima mea, & quare conturbas me?

Object. His adde rationem *D. Thomæ. Anima humana eſt quandòque intelligens in potentia, & ſcientiam à rebus quodammodò acquirit, & habet diverſas potentias. Quæ omnia aliena ſunt à natura Dei, qui eſt actus purus, & nihil ab alio accipiens, & nullam in ſe diverſitatem habens.. undè falſum eſt, animam eſſe de ſubſtantia Dei.*

Potuit autem (S. Doctor. 2. contra Gent. c. 85.) *ex ipſa ſimilitudine animæ noſtræ ad Deum hæc opinio naſci. Intelligere enim quod maximè æſtimatur proprium Dei, nulli ſubſtantiæ in mundo inferiori convenire invenitur, niſi homini propter animam: undè videri potuit animam ad naturam divinam pertinere. Adhuc etiam coadiuvare videtur illud Gen. 1. faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram: & Deus inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ. Qui enim in faciem alterius inſpirat, idem numero, quod in ipſo erat, in alium emittit, & ſic videtur ſcriptura innuere, quòd aliquid divinum à Deo in hominem ad ipſum vivificandum immiſſum ſit.*

Reſp. *Sed ſimilitudo prædicta non oſtendit animam hominis eſſe aliquid ſubſtantiæ divinæ, cum in intelligendo defectum multipliciter patiatur: quod de Deo dici non poteſt. Undè hæc ſimilitudo magis eſt indicativa cujuſdam imperfectæ imaginis Dei, quam alicujus ſubſtantialitatis, Deus* autem *inſpiraſſe in faciem hominis ſpiraculum vitæ dicitur, quia Spiritum vitæ homini dedit*, non eum ex ſua ſubſtantia decidendo. *Nam & qui corporaliter inſufflat in faciem alicujus. undè videtur eſſe ſumpta Metaphora, aerem in faciem ejus impellit, non autem aliquam ſuæ ſubſtantiæ partem in ipſum emittit.*

Error Abelianorum, *In Matrimonio copula carnalis illicita eſt.*

D. Thomas in ſuppl. q. 41. art. 3. *Dicitur* 1. *ad Timoth.* 5. *Volo juniores nubere; Filios procreare; ſed procreatio filiorum non poteſt fieri ſine carnali conjunctione*, ergo carnalis conjunctio, ſeu copula in Matrimonio *non eſt peccatum*, proinde illa non eſt illicita.

Error Theodori Mopſueſteni, *In veteri Teſtamento nihil propriè dicitur de Chriſto.*

D. Thomas, 1. 2. quæſt. 98 art. 2. *Chriſtus dicit, Lucæ*

Lucæ 24. *Oportet impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in Lege, & in Pſalmis, & in Prophetis de me.* Scriptum eſt utique de eo, quòd eſſet naſciturus ex ſemine Abrahę. (Gen. 22. 18.) quòd ex familia David. (Hieremię 23. 5.) quòd ex Virgine (Iſaię 7. 14.) quod in Bethleem (Micheę 5. 2.) quòd pro humano genere moriturus. (Iſaię 53. 4.) Scriptum eſt etiam in veteri Teſtamento, Chriſtum fore Deum ſimul, & hominem. Hoc liquet ex nativitate, & morte prętnuntiata, quę quidem non poſſunt intelligi niſi ſecundùm humanitatem: illud verò colligitur primò ex Pſalmo 2. 7. *Filius meus es tu; ego hodiè genui te.* Ex quo loco probat Apoſtolus Hebr. 15. Chriſtum eſſe majorem Angelis, quia ab ęterno genitus eſt à Deo Patre per divinam generationem. Dicitur etiam Pſalmo 109. 1. *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis*, quem locum clare de divinitate explicat ipſemet Chriſtus. Matth. 22. 44. Item dicitur Iſaię 35. 4. Deus ipſe *veniet, & ſalvabit nos*, ubi is apertè loquitur de Chriſto, ut ex contextu patet. His adde locum Baruch. 3. 36. *Hic eſt* Deus *noſter, & non æſtimabitur alius adverſus eum*: ubi quoque eſt Sermo de Chriſto, quia ſequitur: *poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt.* Sed nonnè etiam fatur de Chriſto Pſalmus 39. *In capite libri ſcriptum eſt de me?* ſanè *in capite libri Pſalmorum: primus enim Pſalmus eſt de Chriſto. Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum, & in viis peccatorum non ſedit &c.*.. ità *D. Thomas* in citatum Pſalmum. Infinitus ſim, ſi omnia antiquę Legis, quę de Chriſto meminerunt, loca recenſeam.

1. *Non datur in parvulis peccatum originale.* *Errores Pelagii.*

D. Thomas 1. 2. q. 81. a. 1. *Apoſtolus dicit Rom.* 5. *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.* Plura ſuppetunt Scripturę Sacrę teſtimonia; ſed hoc ſufficit utpote luculentiſſimum...

.. Auguſtino Julianus perpetuò hęc obiiciebat. *Non peccat iſte, qui naſcitur, non peccat ille, qui genuit: non peccat iſte, qui condidit, per quas rimas, inter* *Object.*

tot præſidia innocentiæ, peccatum fingis ingreſſum?

Reſp. His lepidè, & egregiè reſpondet Auguſtinus. *Quid quæris latentem rimam, cum habeas apertiſſimam januam? per unum hominem, ait Apoſtolus, per unius delictum, ait Apoſtolus, per inobedientiam unius hominis, ait Apoſtolus. Quid quæris amplius? quid quæris apertius? quid quæris inculcatius?*

Ratio autem Theologica potiſſimum ſumitur ex Chriſti redemptione: Chriſtus enim eſt redemptor omnium hominum, nec ſolum adultorum, ſed etiam parvulorum, cùm mortuus ſit non ſolum pro adultis, ſed etiam pro parvulis juxta illud Pauli 2. ad Corinth. 5. *Chriſtus pro omnibus mortuus eſt*, redemptio autem ſupponit ſervitutem, ſeu mortem peccati, ut præfato loco dicitur, *ergo omnes mortui ſunt*, itaque non tantùm adulti, ſed etiam parvuli ſunt infecti peccato, non actuali, ut conſtat, ergo originali. *Propter quod* (*D. Thomas* loco citato) *pueri mox nati deferuntur ad Baptiſmum ab infectione culpæ abluendi, contrarium autem eſt* Hæreſis Pelagiana, *ut patet per Auguſtinum in plurimis ſuis libris.*

Sed qui peccatum originale eſt voluntarium, cum hoc requiratur ad rationem peccati? audiatur Angelicus ibidem. *Omnes homines, qui naſcuntur ex Adam, poſſunt conſiderari, ut unus homo, in quantum conveniunt in natura, quam à primo parente accipiunt, ſecundùm quòd in civilibus omnes homines, qui ſunt unius communitatis, reputantur quaſi unum corpus, & tota communitas quaſi unus homo. Unde homines ex Adam derivati ſunt tanquam membra unius corporis: actus autem unius membri corporalis, puta manus, non eſt voluntarius voluntate ipſius manus, ſed voluntate animæ, quæ primò movet membrum, ſic igitur inordinatio, ſeu culpa, quæ eſt in iſto homine ex Adam generato, non eſt voluntaria voluntate ipſius, ſed* voluntate primi parentis, *qui movet motione generationis omnes, qui ex ejus origine derivantur.* Præſertim cum in Adamo tanquam in capite totius generis humani omnes omnium voluntates, (ut & pupillorum, ac minorum voluntates ex juſſu Principis in voluntatem curatoris,

vel

vel tutoris transferuntur) fuerint comprehenſæ.

Undè Auguſtinus lib. 2. de Nuptiis cap. 5. *Per unius illius voluntatem malam omnes peccaverunt, quando omnes illi unus fuerunt, de quo propterea ſinguli peccatum originale traxerunt.* Similiter in Pſal. 84. *Adam ille omnes nos eramus, quia in Adam omnes moriuntur. Non eramus jam nos, ſed eramus in Adam.*

2. *Liberum arbitrium poteſt ſine gratia Dei facere opus bonum vitæ æternæ meritorium.*

D. Thomas 1. 2. q. 109. art. 2. *Apoſtolus dicit Rom. 9. Non eſt volentis, ſcilicet velle, neque currentis, ſcilicet currere, ſed miſerentis Dei.* Et Joann. 15. dicitur. *Sine me nihil poteſtis facere*; in ordine ſcilicet ad vitam æternam. Item 6. *nemo venit ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.* Deinde 1. ad Corinth. 12. *Nemo poteſt*, ait Doctor Gentium, *dicere Dominus Jeſus, niſi in Spiritu Sancto.* Unde *Auguſtinus* loco citato allegatus à *D. Thoma dicit in libro de correptione, & gratia cap. 2. quòd ſine gratia nullum prorſus ſive cogitando, ſive volendo, & amando, ſive agendo faciunt homines bonum.* Ad Rom. etiam 6. habetur. *Gratia Dei vita æterna: quod ideò dicitur,* inquit Auguſtinus de gratia, & libero arbitrio (apud Angelicum art. 5.) *ut intelligeremus, Deum ad* vitam æternam pro ſua miſeratione nos perducere.

Et ratio eſt; *quia actus perducentes ad finem* (eodem articulo) *oportet eſſe fini proportionatos; nullus autem actus excedit proportionem principii activi. Et ideo videmus in rebus naturalibus, quod nulla res poteſt perficere effectum per ſuam operationem, qui excedat virtutem activam, ſed ſolùm poteſt producere per operationem ſuam effectum ſuæ virtuti proportionatum. Vita autem æterna eſt finis excedens* (utpotè ſupernaturalis) *proportionem naturæ humanæ. Et ideò homo per ſua naturalia non poteſt producere opera meritoria proportionata vitæ æternæ, ſed ad hoc exigitur altior virtus, quæ eſt* virtus gratiæ.

3. *Ipſa natura, ſeu liberum arbitrium gratis à Deo datum eſt gratia, adeòque ad benè operandum non negatur gratia.*

Hæc

Hæc poſitio non differt niſi puro nomine ab Errore præcedenti. Sed breviter audiatur Auguſtinus. Serm. 11. de verbis Apoſtoli cap. 47. *Videte, quomodo generalem illam gratiam* (Pelagiani) *prædicent, qua creatus eſt homo, qua homines ſumus: utique & cum impiis homines ſumus: ſed non cum impiis Chriſtiani ſumus. Hanc ergo gratiam, qua Chriſtiani ſumus, ipſi, volumus, prædicent*. Commune eſt ſanè liberum omnibus arbitrium, *communis eſt omnibus natura, non gratia. cap.* 4.

4. *Præter naturam data ſunt homini Lex, doctrina, præceptaque divina, per quæ declinet à malo, & faciat bonum, & etiam exemplum Chriſti.*

D. Thomas 1. 2. q. citata a. 8. *Dicit Auguſtinus in libro de perfectione juſtitiæ. Quiſquis negat nos orare debere, ne intremus in tentationem, negat autem hoc, qui contendit ad non peccandum, gratiæ Dei adjutorium non eſſe homini neceſſarium, ſed* Sola *lege accepta, humanam ſufficere voluntatem, ab auribus omnium removendum, & ore omnium Anathematizandum eſſe non dubito.*

Certè Lex non juſtificat. *Si enim per legem juſtitia, ergo gratis Chriſtus mortuus eſt.* ad Gal. 2.

Sed nec ſufficit exemplum Chriſti, cnm illud, licet Chriſtianum vehementer ad vitæ integritatem excitet, non tamen internam ei virtutem tribuat: requiritur gratia Chriſti, cujus gratiæ munus eſt internam illam virtutem, vim, robur, vigorem ad vitam conferre æternam.

5. *Gratia neceſſaria non eſt, ad ſimpliciter, ſed tantum ad faciliùs promerendum vitam æternam.*

D. Thomas 1. 2. q. præcedenti a. 6. ad 2. *Dicitur Joan.* 15. *ſine me nihil poteſtis facere.* Non ait Dominus; ſine me non tam facilè poteſtis facere, ſeu operari veſtram ſalutem, ſed ait clarè, disertè, perſpicuè; ſine me nihil poteſtis facere. Ita ut magnum illud opus veſtræ ſalutis à mea gratia miſerante ſimpliciter, abſolutè, neceſſariò, omninò dependeat.

Roboratur hæc veritas ex celeberrimo loco 2. ad Corinth. 3. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis,*

bis, tanquam ex nobis, ſed omnis noſtra ſufficientia ex Deo eſt. Si non ſimus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis, multò minùs ſumus ſufficientes velle aliquid ex nobis: etenim quæ non cognoſcimus, velle non poſſumus, & ſi velle non poſſumus, nec operari poſſumus. *Unde omnis noſtra ſufficientia ex Deo eſt.* Non dicit Apoſtolus, facilitas ex Deo eſt, ſufficientia ex nobis, ſed: omnis noſtra ſufficientia ex Deo eſt. Accedit ejuſdem Epiſtolæ caput nonum, ubi Paulus eadem confirmat hiſce verbis. *Potens eſt autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, ut in omnibus ſemper omnem ſufficientiam habentes abundetis in omne opus bonum.*

Denique, cum idem Paulus tertiò rogaret Dominum, ut auferret ab eo ſtimulum carnis, reſponſum eſt illi à Domino. *Sufficit tibi gratia mea.* Non dixit ei Dominus, tu ipſe tibi ſufficis, ſed dixit clariſſimè: ſufficit tibi Gratia mea.

Unde Auguſtinus hìc citatus ad Errorem 2. Pelagii, ſine gratia, inquit, nullum prorſus ſive cogitando, ſive volendo, & amando, & agendo faciunt homines bonum.

Ratio fundamentalis eſt iterùm improportio naturæ humanæ ad fidem ſupernaturalem, qualis eſt vita æterna.

6. *Gratia datur ſecundùm merita.*

D. Thomas 1. 2. q. 114. a. 5. Omne meritum repugnat gratię. *Quia, ut ad Rom. undecimo Apoſtolus dicit; ſi gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non eſſet gratia.*

Deinde, 1. 2. q. 110. a. 2. ad 3. *Gratia dicitur creari, ex eo, quod homines ſecundùm ipſam creantur, id eſt, in novo eſſe conſtituuntur ex nihilo, id eſt,* non ex meritis, *ſecundùm illud ad Epheſ.* 2. *Creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis.*

Errores Semi-Pelagianorum.

1. *Initium fidei, & bonæ voluntatis eſt à nobis.*

D. Thomas 2. 2. q. 6. a. 1. *Dicitur ad Epheſ.* 2. *Gratia eſtis ſalvati per fidem, & hæc* non ex vobis; Dei enim donum eſt: non ex operibus, ut ne quis glorietur.

Dein-

Deinde ad Corinth. 4. Sic diſcurrit Apoſtolus. *Quis te diſcernit? quid habes, quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* ſi verò initium fidei eſſet à nobis, poſſet Fidelis dicere præ Infideli: ego per initium fidei diſcrevi me ab eo, adeòque poſſet de magno illo, & eximio dono fidei gloriari, quaſi non eſſet donum, quod à Deo accepiſſet.

Ratio autem cur initium fidei non ſit à nobis, aſſignatur ab Angelico loco citato. *Homo enim aſſentiendo his, quæ ſunt fidei, elevatur ſupra naturam ſuam, proindèque oportet, quod* initium fidei inſit ei ex ſupernaturali principio interius movente per gratiam; quod eſt Deus.

Nec etiam initium bonæ voluntatis eſt à nobis. Per tale enim initium, intelligitur diſpoſitio, ſeu præparatio ad gratiam, nullus autem poteſt ſe præparare ad gratiam ſine gratia. Quod conſtat ex 1. 2. q. 109. a. 6. *Dicitur Joan. 6. Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum. Si autem homo ſeipſum præparare poſſet, non oporteret, quod ab alio traheretur: ergo homo non poteſt ſe ad gratiam præparare abſque auxilio gratiæ. Unde dicitur Threnorum ultimo. Converte nos Domine ad te, & convertemur.* Et ad Philipp. 2. *Deus eſt, qui operatur in nobis, & velle, & perficere pro bona voluntate*, adeòque non ſolùm perfectio, ſeu conſummatio bonę voluntatis, ſed etiam illius initium eſt à Deo.

Nunc ad rationem Theologicam, quæ jam inſinuari cœpta eſt. *Præparare ſe ad gratiam, eſt ad Deum converti. Sicut ille, qui habet oculum averſum à lumine ſolis, per hoc ſe præparat ad recipiendum lumen ſolis, quod oculos ſuos convertit verſus ſolem, quòd autem homo convertatur ad Deum, hoc non poteſt eſſe, niſi Deo ipſum convertente: ſecundùm illud Hier. 31. Converte me, & convertar: quia tu Dominus Deus meus.* 1. 2. eodem loco.

Et ideò (ad 2.) *cum dicitur homo facere, quod in ſe eſt*, (quod erat ordinarium Semi-Pelagianorum argumentum) *dicitur, hoc eſſe in poteſtate hominis, ſecundùm quod eſt motus*, ſeu converſus à Deo.

Ex

Ex dictis ruit exemplum de infirmo, cui licet deſint vires ad ambulandum, aliaque exerçenda opera hominis ſani; poteſt tamen ille deſiderare ſalutem corporis, & petere medicinam.

Etenim & Sanitas corporalis, & deſiderium illius ſanitatis totum naturale eſt; ejuſdemque lineæ: ſanitas verò ſpiritualis, & illius deſiderium; totum ſupernaturale eſt, & altioris ordinis. Undè nec fidei, nec bonæ voluntatis initium eſt à nobis, ſed *à Deo* nos *movente per gratiam. Deus eſt, qui operatur in nobis velle, & perficere.* Loco memorato ad Philip.

2. *Libero arbitrio adſcribendum eſt, quod unus præ alio finaliter perſeveret.*

D. Thomas 1. 2. q. 109. a. 20. *Auguſtinus dicit in libro de perſeverantia. Cur perſeverantia poſcitur à Deo, ſi non datur à Deo? nonnè iſta irriſoria petitio eſt, cum id ab eo petitur, quod ſcitur non ipſum dare, ſed ipſo non dante, eſſe in hominis poteſtate? perſeverantia autem petitur etiam ab illis, qui ſunt per gratiam ſanctificati, quod intelligitur, cum dicimus; ſanctificetur nomen tuum.* Matth. 6. *Ergo homo etiam in gratia conſtitutus indiget, ut ei perſeverantia à Deo detur.* Si indiget, ut ei perſeverantia à Deo detur, non itaque libero arbitrio adſcribendum eſt, quod unus pre alio finaliter perſeveret.

Eadem habet Angelicus in corp. *Poſtquam aliquis eſt juſtificatus per gratiam, neceſſe habet à Deo petere prædictum perſeverantiæ donum, ut ſcilicet cuſtodiatur à malo uſque ad finem vitæ,* multis enim datur gratia, quibus non datur perſeverare in gratia. Et quæſt. 114. a. 9. Perſeverantia dependet ſolum ex motione divina. *Unde Deus* gratis *perſeverantiæ donum largitur, cuicumque illud largitur.*

Huc etiam ſpectant verba illa Oſeę 13. *Perditio tua ex te Iſrael, tantummodò in me auxilium tuum;* præſertim in termino vitę.

1. *Duplex eſt in Chriſto perſona, alia Dei, alia hominis.* *Errores Neſtorii.*

D. Thomas 4. contra Gentes c. 34. *Theodorus Mopſueſtenus, & Neſtorius ejus ſectator dixerunt, quòd in hoc homine Deus habitavit ſicut in Templo ſuo, ſcilicet*

licet per gratiam, ſicut & in aliis hominibus Sanctis. Et hoc conſecuta eſt ulteriùs quædam affectualis unio inter hominem illum, & Deum: dum & homo ille bona ſua voluntate Deo inhæſit, & Deus ſua voluntate illum acceptavit; ut ſic intelligatur talis eſſe unio hominis illius ad Deum, qualis eſt unio, de qua Apoſtolus dicit: qui adhæret Deo, unus Spiritus eſt. Quæ proindè unio Sanctis convenit. *Sed tamen, quia in illo homine major plenitudo gratiæ fuit, quàm in aliis hominibus Sanctis, fuit præ cæteris templum Dei, & arctiùs Deo ſecundùm affectum unitus, & ſingulari privilegio divina nomina (ut ſunt Dei Filius, & Dominus, & Sanctus, & Chriſtus) participavit. Et propter hanc excellentiam gratiæ, conſtitutus eſt in participatione divinæ dignitatis, & honoris, ut ſcilicet coadoretur Deo. Et ſic ſecundùm prædicta, oportet, quòd alia ſit perſona Verbi, & alia perſona illius hominis, qui Verbo Dei coadoratur. Ut ſic dicatur homo ille, & Dei Verbum, una perſona, ſicut dicitur de viro, & muliere, quòd jam non ſint duo, ſed una caro. Et quia talis unio non facit, ut quod de uno dicitur, de altero dici poſſit (non enim quidquid convenit viro, verum eſt de muliere, aut è converſo) ideò in unione Verbi, & illius hominis hoc obſervandum putant, quòd ea, quæ ſunt propria illius hominis ad humanam naturam pertinentia, de Verbo Dei, aut de Deo convenienter dici non poſſunt: ſicut homini illi convenit, quod ſit natus de virgine, quod paſſus, mortuus, & ſepultus, & hujuſmodi, quæ omnia aſſerunt de Deo, vel de Dei Verbo dici non debere. Sed quia ſunt quædam nomina, quæ etſi Deo principaliter conveniant, communicantur tamen hominibus per aliquem modum, ſicut, Chriſtus, Dominus, Sanctus, & etiam Filius Dei: de hujuſmodi nominibus, ſecundùm eos, nihil prohibet prædicta prædicari. Convenienter enim dicitur, quòd Chriſtus ſit Dominus gloriæ, vel Sanctus Sanctorum, vel Dei Filius, ſit natus de virgine, paſſus, mortuus, & ſepultus: unde & Beatam Virginem non Matrem Dei, vel Verbi Dei, ſed Matrem Chriſti nominandam eſſe dicunt. Sed ſi quis diligenter conſideret, prædicta poſitio veritatem Incarnationis excludit. Non enim ſecundùm prædicta, Verbum Dei fuit homini*

illi

illi unitum, niſi ſecundum inhabitationem per gratiam, ex qua conſequitur unio voluntatum; inhabitatio autem Verbi Dei in homine non eſt Verbum Dei Incarnatum, habitavit enim Verbum Dei, & ipſe Deus in omnibus Sanctis à conſtitutione mundi ſecundum illud Apoſtoli. 2. ad Corinth. 6. Vos eſtis templum Dei vivi, ſicut dicit Deus, quoniam inhabitabo in illis; quæ tamen inhabitatio, Incarnatio dici non poteſt; alioquin frequenter ab initio mundi Deus Incarnatus fuiſſet. Nec ſufficit, ſi Deus pleniori gratia habitavit in illo homine, quia magis, & minus ſpeciem non diverſificant unionis. Cum igitur Chriſtiana religio in fine Incarnationis fundetur, evidenter apparet, quod prædicta poſitio fundamentum Chriſtianæ religionis tollit.

Porrò in Neſtorianiſmum, quem declinare nitebantur, illos relabi neceſſe erat, *qui poſuerunt* (*D. Thomas* cap. 27.) *quod perſona aſſumpta ſe haberet ad perſonam Filii Dei, ſicut veſtis ad hominem.. nihil enim refert dicere, quod Verbum eſt in homine, ſicut in templo, & quod natura humana Verbo uniatur, ſicut veſtimentum veſtito.* Undè *manifeſtum eſt*, (3. p. q. 2. a. 6.) & hunc, & *modos omnes* recenſitos *accidentalem unionem importare.. fides autem Catholica non dicit unionem factam Dei, & hominis ſecundum accidens*, ſeu *accidentalem, ſed ſubſtantialem, & perſonalem:*

Audiit hęc Neſtorius, & ne ulterius ab Orthodoxis premeretur, admiſit homo verſipellis unionem naturarum in Chriſto ſubſtantialem, & perſonalem, unam in Chriſto Hypoſtaſim, ſeu perſonam.

Sed ſanè hiſce licet ornatus larvis, Catholicus non erat, quantumvis eſſe videretur: latitabat anguis in herba: quęcumque proponebat, fraudulenta condiebat acceptione *perſonæ*, illam ſcilicet ſubintelligens pro explicata perſona honoraria, ſeu dignitatis, vel pro perſona civili, qualiter vir, & uxor, tutor, & pupillus, principalis, & commiſſarius una perſona ſunt: vel tandem pro perſona, ut eam ſumunt grammatici, qualiter tragędi varias perſonas induere dicuntur in theatro. Semper autem negabat unam reverà ſimpliciter in Chriſto perſonam.

Illam

phyſitæ, id eſt, *unius* naturæ aſſertores.

Ægyptii. Ægyptii, ſeu Alexandrini, plerique impium Eutychetis Errorem unà cum Dioſcoro ſectati ſunt. Sed alium præterea procuderunt aſſerentes *Ordinationem divinam aliquibus ſacrificiis, & Orationibus impediri poſſe*.

Petrus Fullo. Petrus Cnaphæus, communiter Petrus Fullo monaſticam primò vitam profeſſus eſt Conſtantinopoli in Cœnobio Acæmitenſium, in quo Fullonis artem exercuit, unde & Fullonis cognomen ſortitus eſt. Ex eo Monaſterio ob Eutychianos ejectus Errores, Chalcedonem ſe contulit, ibique Presbyter fuit Eccleſiæ Sanctæ Baſſæ. Hinc propter eandem extorris hęreſim rediit Conſtantinopolim, ubi ſe Zenonis Patritii, cui Leo Auguſtus Ariadnem filiam ſuam deſponderat, amicitiæ inſinuavit. Ejus gratia, & authoritate fultus *Martyrium* Antiſtitem Antiochenum, virum Catholicum, & egregium Synodi Chalcedonenſis propugnatorem Antiochiæ, quo Zenonem illi Urbi à Leone præfectum ſecutus fuerat, diris modis aggreſſus eſt, eum ut Neſtorii aſſeclam traducens, & ingentes ea in civitate procellas excitans.

Martyrius ſeditionum, & tumultuum magis in dies increbreſcentium pertæſus, Zenonemque Petro Fulloni ſemper faventem expertus, in publico Eccleſiæ conventu ſe Epiſcopatu abdicavit, altiori voce hæc proferens: *Clero immorigero, & populo rebelli, & Eccleſiæ contaminatæ renuntio, ſervata interim mihi Sacerdotii dignitate*. Poſt ejus diſceſſum, Petrus Fullo ſedem Antiochenam invaſit. Illìc ſacro Triſagio *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis*, omnibus ſtupentibus, & infrendentibus Catholicis, addidit hæc verba, *qui paſſus es pro nobis*. De his in refutatione Erroris.

Non diu poſt ab Imperatore Oaſim in exilium truditur. Extincto Leoni ſubrogatur Zeno: ſed vix thronum occupans eo per Baſiliſcum exuitur; ab hoc Petrus ſedi reſtituitur. Sed recuperato imperio, rurſum indè pellitur ab ipſo Zenone mutato in Catholicum, qui ei ſubſtituit Stephanum ſpectatiſſimæ virtutis

Præ-

Præſulem. Hunc, cum per anni circiter ſpatium Antiochenæ præfuiſſet Eccleſię, Antiochenſium Eutychianorum pueri à Petri commilitonibus exciti, calamis telorum inſtar pręacutis interficiunt. Ob cędem horribilem graviter commotus Zeno mittit Antiochiam, qui tam nefarium ſcelus vindicent, & in ſacrilegos animadvertant. Interim criminum artifex Fullo elabitur. Damnatur Romę, & Conſtantinopoli. Ne quid verò ad impietatis cumulum deeſſet, *Zenaiam* genere Perſam, hominem perditiſſimum, ſervilibus natum parentibus, ſed & ex Manichęis oriundum, cum nedum Baptiſma ſuſcepiſſet, Hierapolitanum creat Epiſcopum. Tandem anno 486. moritur, divinoque ſiſtitur Tribunali Petrus Fullo mortalium facinoroſiſſimus.

Acephali. Acephali profeſſione fuerunt Eutychiani: ſed cum Petrus Moggus ejuſdem fuliginis Alexandrię (cujus Eccleſię ſedem invaſerat) Chalcedonenſem Synodum, Catholicos perindè ac Hęreticos demereri ſtudens, nunc reiicit, nunc adſciſcit; ab illo defecerunt: qui proindè, quòd nec Catholicarum eſſent partium, nec cum ſuo convenirent Epiſcopo, ideò *Acephali*, id eſt, *ſine capite* dicti ſunt.

Illorum dux Severus. Huic ſectę vires addidit *Severus* patria Sozopolitanus in Piſidia, fax, lues, peſtis Orientalis Eccleſiæ, monſtrumque ex omnium vitiorum deformitate compactum. In ſedem Antiochenam intruſus fuerat, pulſo in exilium ob Fidei propugnationem Flaviano, à celebri Conſtantinopolitano non degenere. Ab hoc Severo Acephali appellati ſunt etiam *Severiani*.

Jacobitæ Ex iſta colluvie emerſerunt *Iacobitæ*, à *Jacobo Syro* obſcuri generis homine nomen mutuati: quod nomen Eutychianis hodie dùm in Ægypto, & per totum Orientem commune eſt. Degunt & illic Neſtorianorum reliquię. Sed utraque ſecta denſiſſimis ignorantiæ tenebris immerſa eſt, deſes, iners, barbara, inculta, intractabilis, longiſſimę affixa ſervituti, &, ſi vel poſſet, ab ea avelli neſcia, Turcis ludibrio, Catholicis deſpectui, omnibus inviſa, & penè in animantium conditionem redacta.

Xenaias Errorum hujus ſæculi agmen claudit præcitatus *Xenaias*, nuncupatus etiam *Philoxenus*. Dignus fuit Magiſtro *Fullone* Diſcipulus. Novum commentus eſt Errorem aſſerens, *non eſſe venerandas Chriſti, & Sanctorum imagines*: ut jam habeant Iconoclaſtæ, cui laudatiſſimo, ac probatiſſimo Authori ſtatuas ipſi erigant, ejuſdemque ſolius venerentur ſimulachra. *Sectarii*

Refelluntur Errores Sęculi quinti.

Errores Vigilantis. 1. *Sancti pro nobis non orant, adeòque fruſtra à nobis invocantur.*

D. Thomas 2. 2. qu. 83. art. 11. *Dicitur 2. Machab. ult. Hic eſt, qui multùm orat pro populo, & universa Sancta Civitate, Hieremias Propheta.*

Deindè, Apocalypſis 8. habetur: *aſcendit fumus incenſorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo.*

Nunc ad rationem Erroris debellatricem procedamus. *Sicut Hiero: dicit, Vigilantii Error fuit, quod dum vivimus, mutuò pro nobis orare poſſimus; poſtquam autem mortui fuerimus, nullus pro alio ſit exaudienda oratio. Sed hoc eſt omninò falſum; quia cum oratio pro aliis facta, ex charitate proveniat, quantò Sancti, qui ſunt in patria, ſunt perfectioris charitatis, tantò magis orant pro viatoribus, qui orationibus juvari poſſunt, & quantò ſunt Deo conjunctiores, tantò eorum orationes ſunt magis efficaces. Habet enim hoc divinus ordo, ut ex ſuperiorum excellentia in inferiora refundatur, ſicut ex claritate ſolis in aerem. Unde & de Chriſto dicitur Hebr. 7. Accedens per ſemetipſum ad Deum ad interpellandum pro nobis. Et propter hoc Hieron. contra Vigilantium dicit. Si Apoſtolus, & Martyres adhuc in corpore conſtituti, quando pro ſe adhuc debent eſſe ſolliciti, pro aliis orant; quantò magis poſt Coronas, Victorias, & Triumphos?* Adeòque non fruſtrà à nobis invocantur. *Sectarii*

2. *Non ſunt colendæ Sanctorum Reliquiæ.*

Sectarii D. Thomas 3. p. qu. 25. art. 6. *Auguſtinus dicit in libro de Civitate Dei* (lib. 1. cap. 13. *ſi paterna veſtis,*

ſtis, & annulus, ac ſi quid eſt hujuſmodi, tantò carius eſt poſteris, quantò erga parentes eſt major affectus, nullo modo ipſa ſpernenda ſunt corpora, quæ utique multò familiarius, atque conjunctius, quàm quælibet indumenta geſtamus. Hæc enim ad ipſam naturam hominis pertinent. Ex quo patet, quod qui habet affectum ad aliquem, etiam ea, quæ de ipſo poſt mortem relinquuntur, veneratur: non ſolum corpus, aut partes corporis ejus, ſed etiam aliqua exteriora, puta veſtes, & ſimilia. Manifeſtum eſt autem, quod Sanctos Dei in veneratione habere debemus tanquam membra Chriſti, Dei Filios, & amicos, & noſtros interceſſores. Et ideò eorum Reliquias qualeſcumque honore congruo in eorum memoriam venerari debemus, & præcipuè eorum corpora, quæ fuerunt templa, & organa Spiritus Sancti in eis habitantis, & operantis, & ſunt Corpori Chriſti configuranda per glorioſam reſurrectionem.

3. *Æquè perfecti ſunt illi, qui poſſident divitias, ac illi, qui voluntariam paupertatem profitentur.*

D. Thomas. Opuſc. 5. cui titulus de Articulis fidei: circa Articulum 4. *Vigilantius æquavit ſtatum divitias poſſidentium ſtatui paupertatis propter Chriſtum aſſumptæ. Contra quem dicit Dominus Matth. 19. Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis Theſaurum in Cœlo, & veni, ſequere me.*

Anima non de nihilo, ſed de divina creata eſt ſubſtantia.

D. Thomas 1. p. q. 90. art. 1. *Auguſtinus in libro de Origine animæ cap. 3. & 4. Enumerat quædam, quæ dicit eſſe multum, apertèque perverſa, & fidei Catholicæ adverſa. Inter quæ primum eſt, quod quidam dixerunt, Deum animam non de nihilo, ſed de ſeipſo feciſſe.* *Error Vincentii Victoris.*

Ideò autem hæc poſitio perverſa, & erronea eſt, quia in ſacris Literis multa animæ attribuuntur, quæ Deo convenire nequeunt, ut, quòd peccet, Ezech. 18. *anima, quæ peccaverit, ipſa morietur*: quòd ſanetur, Pſalm. 40. *Sana animam meam, quia peccavi tibi*; quod ſit triſtis, & conturbetur. Pſalm. 41. *Quare*

triſtis es anima mea, & quare conturbas me?

Object. His adde rationem *D. Thomæ. Anima humana eſt quandòque intelligens in potentia, & ſcientiam à rebus quodammodò acquirit, & habet diverſas potentias. Quæ omnia aliena ſunt à natura Dei, qui eſt actus purus, & nihil ab alio accipiens, & nullam in ſe diverſitatem habens.. undè falſum eſt, animam eſſe de ſubſtantia Dei.*

Potuit autem (S. Doctor. 2. contra Gent. c. 85.) *ex ipſa ſimilitudine animæ noſtræ ad Deum hæc opinio naſci. Intelligere enim quod maximè æſtimatur proprium Dei, nulli ſubſtantiæ in mundo inferiori convenire invenitur, niſi homini propter animam: undè videri potuit animam ad naturam divinam pertinere. Adhuc etiam coadiuvare videtur illud Gen. 1. faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram: & Deus inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ. Qui enim in faciem alterius inſpirat, idem numero, quod in ipſo erat, in alium emittit, & ſic videtur ſcriptura innuere: quòd aliquid divinum à Deo in hominem ad ipſum vivificandum immiſſum ſit.*

Reſp. *Sed ſimilitudo prædicta non oſtendit animam hominis eſſe aliquid ſubſtantiæ divinæ, cum in intelligendo defectum multipliciter patiatur: quod de Deo dici non poteſt. Undè hæc ſimilitudo magis eſt indicativa cujuſdam imperfectæ imaginis Dei, quam alicujus ſubſtantialitatis, Deus* autem *inſpiraſſe in faciem hominis ſpiraculum vitæ dicitur, quia Spiritum vitæ homini dedit*, non eum ex ſua ſubſtantia decidendo. *Nam & qui corporaliter inſufflat in faciem alicujus. undè videtur eſſe ſumpta Metaphora, aerem in faciem ejus impellit, non autem aliquam ſuæ ſubſtantiæ partem in ipſum emittit.*

Error Abelianorum, *In Matrimonio copula carnalis illicita eſt.*

D. Thomas in ſuppl. q. 41. art. 3. *Dicitur 1. ad Timoth. 5. Volo juniores nubere; Filios procreare; ſed procreatio filiorum non poteſt fieri ſine carnali conjunctione*, ergo carnalis conjunctio, ſeu copula in Matrimonio *non eſt peccatum*, proinde illa non eſt illicita.

Error Theodori Mopſueſteni, *In veteri Teſtamento nihil propriè dicitur de Chriſto.*

D. Thomas. 1. 2. quæſt. 98 art. 2. *Chriſtus dicit.*

Luca

Lucæ 24. Oportet impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in Lege, & in Pſalmis, & in Prophetis de me. Scriptum eſt utique de eo, quòd eſſet naſciturus ex ſemine Abrahę. (Gen. 22. 18.) quòd ex familia David. (Hieremię 23. 5.) quòd ex Virgine (Iſaię 7. 14.) quod in Bethleem (Micheę 5. 2.) quòd pro humano genere moriturus. (Iſaię 53. 4.) Scriptum eſt etiam in veteri Teſtamento, Chriſtum fore Deum ſimul, & hominem. Hoc liquet ex nativitate, & morte pręnuntiata, quę quidem non poſſunt intelligi niſi ſecundùm humanitatem: illud verò colligitur primò ex Pſalmo 2. 7. *Filius meus es tu; ego hodiè genui te*. Ex quo loco probat Apoſtolus Hebr. 15. Chriſtum eſſe majorem Angelis, quia ab ęterno genitus eſt à Deo Patre per divinam generationem. Dicitur etiam Pſalmo 109. 1. *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis*, quem locum clare de divinitate explicat ipſemet Chriſtus. Matth. 22. 44. Item dicitur Iſaię 35. 4. Deus ipſe *veniet, & ſalvabit nos*, ubi is apertè loquitur de Chriſto, ut ex contextu patet. His adde locum Baruch. 3. 36. *Hic eſt* Deus *noſter, & non æſtimabitur alius adverſus eum*: ubi quoque eſt Sermo de Chriſto, quia ſequitur: *poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt*. Sed nonnè etiam fatur de Chriſto Pſalmus 39. *In capite libri ſcriptum eſt de me?* ſanè *in capite libri Pſalmorum: primus enim Pſalmus eſt de Chriſto. Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum, & in viis peccatorum non ſedit &c.*.. ità *D. Thomas* in citatum Pſalmum. Infinitus ſim, ſi omnia antiquę Legis, quę de Chriſto meminerunt, loca recenſeam.

1. *Non datur in parvulis peccatum originale.* *Errores Pelagii.*

D. Thomas 1. 2. q. 81. a. 1. *Apoſtolus dicit Rom. 5. per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt*. Plura ſuppetunt Scripturę Sacrę teſtimonia; ſed hoc ſufficit utpote luculentiſſimum...

Auguſtino Julianus perpetuò hęc obiiciebat. *Non peccat iſte, qui naſcitur, non peccat ille, qui genuit: non peccat iſte, qui condidit, per quas rimas, inter* *Object.*

tot præſidia innocentiæ, peccatum fingis ingreſſum?

Reſp. His lepidè, & egregiè reſpondet Auguſtinus. *Quid quæris latentem rimam, cum habeas apertiſſimam januam? per unum hominem, ait Apoſtolus, per unius delictum, ait Apoſtolus, per inobedientiam unius hominis, ait Apoſtolus. Quid quæris amplius? quid quæris apertius? quid quæris inculcatius?*

Ratio autem Theologica potiſſimum ſumitur ex Chriſti redemptione: Chriſtus enim eſt redemptor omnium hominum, nec ſolum adultorum, ſed etiam parvulorum, cum mortuus ſit non ſolum pro adultis, ſed etiam pro parvulis juxta illud Pauli 2. ad Corinth. 5. *Chriſtus pro omnibus mortuus eſt*, redemptio autem ſupponit ſervitutem, ſeu mortem peccati, ut præfato loco dicitur, *ergo omnes mortui ſunt*, itaque non tantùm adulti, ſed etiam parvuli ſunt infecti peccato, non actuali, ut conſtat, ergo originali. *Propter quod (D. Thomas loco citato) pueri mox nati deferuntur ad Baptiſmum ab infectione culpæ abluendi, contrarium autem eſt* Hæreſis Pelagiana, *ut patet per Auguſtinum in plurimis ſuis libris.*

Sed qui peccatum originale eſt voluntarium, cum hoc requiratur ad rationem peccati? audiatur Angelicus ibidem. *Omnes homines, qui naſcuntur ex Adam, poſſunt conſiderari, ut unus homo, in quantum conveniunt in natura, quam à primo parente accipiunt, ſecundùm quòd in civilibus omnes homines, qui ſunt unius communitatis, reputantur quaſi unum corpus, & tota communitas quaſi unus homo. Unde homines ex Adam derivati ſunt tanquam membra unius corporis: actus autem unius membri corporalis, puta manus, non eſt voluntarius voluntate ipſius manus, ſed voluntate animæ, quæ primò movet membrum, ſic igitur inordinatio, ſeu culpa, quæ eſt in iſto homine ex Adam generato, non eſt voluntaria voluntate ipſius, ſed* voluntate primi parentis, *qui movet motione generationis omnes, qui ex ejus origine derivantur.* Præſertim cum in Adamo tanquam in capite totius generis humani omnes omnium voluntates, (ut & pupillorum, ac minorum voluntates ex juſſu Principis in voluntatem curatoris, vel

vel tutoris transferuntur) fuerint comprehenſæ.

Undè Auguſtinus lib. 2. de Nuptiis cap. 5. *Per unius illius voluntatem malam omnes peccaverunt, quando omnes illi unus fuerunt, de quo propterea ſinguli peccatum originale traxerunt*. Similiter in Pſal. 84. *Adam ille omnes nos eramus, quia in Adam omnes moriuntur. Non eramus jam nos, ſed eramus in Adam.*

2. *Liberum arbitrium poteſt ſine gratia Dei facere opus bonum vitæ æternæ meritorium.*

D. Thomas 1. 2. q. 109. art. 2. *Apoſtolus dicit Rom. 9. Non eſt volentis, ſcilicet velle, neque currentis, ſcilicet currere, ſed miſerentis Dei*. Et Joann. 15. dicitur. *Sine me nihil poteſtis facere*; in ordine ſcilicet ad vitam æternam. Item 6. *nemo venit ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum*. Deinde 1. ad Corinth. 12. *Nemo poteſt*, ait Doctor Gentium, *dicere Dominus Jeſus, niſi in Spiritu Sancto*. Unde *Auguſtinus* loco citato allegatus à *D. Thoma dicit in libro de correptione, & gratia cap. 2. quòd ſine gratia nullum prorſus ſive cogitando, ſive volendo, & amando, ſive agendo faciunt homines bonum*. Ad Rom. etiam 6. habetur. *Gratia Dei vita æterna: quod ideò dicitur*, inquit Auguſtinus de gratia, & libero arbitrio (apud Angelicum art. 5.) *ut intelligeremus, Deum ad* vitam æternam pro ſua miſeratione nos perducere.

Et ratio eſt; *quia actus perducentes ad finem* (eodem articulo) *oportet eſſe fini proportionatos; nullus autem actus excedit proportionem principii activi. Et ideo videmus in rebus naturalibus, quod nulla res poteſt perficere effectum per ſuam operationem, qui excedat virtutem activam, ſed ſolùm poteſt producere per operationem ſuam effectum ſuæ virtuti proportionatum. Vita autem æterna eſt finis excedens* (utpotè ſupernaturalis) *proportionem naturæ humanæ. Et ideò homo per ſua naturalia non poteſt producere opera meritoria proportionata vitæ æternæ, ſed ad hoc exigitur altior virtus, quæ eſt* virtus gratiæ.

3. *Ipſa natura, ſeu liberum arbitrium gratis à Deo datum eſt gratia, adeòque ad benè operandum non negatur gratia.*

Hæc

Hæc poſitio non differt niſi puro nomine ab Errore præcedenti. Sed breviter audiatur Auguſtinus. Serm. 11. de verbis Apoſtoli cap. 47. *Videte, quomodo generalem illam gratiam* (Pelagiani) *prædicent, qua creatus eſt homo, qua homines ſumus: utique & cum impiis homines ſumus: ſed non cum impiis Chriſtiani ſumus. Hanc ergo gratiam, qua Chriſtiani ſumus, ipſi, volumus, prædicent*. Commune eſt ſanè liberum omnibus arbitrium, *communis eſt omnibus natura, non gratia. cap.* 4.

4. *Præter naturam data ſunt homini Lex, doctrina, præceptaque divina, per quæ declinet à malo, & faciat bonum, & etiam exemplum Chriſti.*

D. Thomas 1. 2. q. citata a. 8. *Dicit Auguſtinus in libro de perfectione juſtitiæ. Quiſquis negat nos orare debere, ne intremus in tentationem, negat autem hoc, qui contendit ad non peccandum, gratiæ Dei adjutorium non eſſe homini neceſſarium, ſed* Sola lege *accepta, humanam ſufficere voluntatem, ab auribus omnium removendum, & ore omnium Anathematizandum eſſe non dubito.*

Certè Lex non juſtificat. *Si enim per legem juſtitia, ergo gratis Chriſtus mortuus eſt.* ad Gal. 2.

Sed nec ſufficit exemplum Chriſti, cnm illud, licet Chriſtianum vehementer ad vitæ integritatem excitet, non tamen internam ei virtutem tribuat: requiritur gratia Chriſti, cujus gratiæ munus eſt internam illam virtutem, vim, robur, vigorem ad vitam conferre æternam.

5. *Gratia neceſſaria non eſt, ad ſimpliciter, ſed tantùm ad faciliùs promerendum vitam æternam.*

D. Thomas 1. 2. q. præcedenti a. 6. ad 2. *Dicitur Joan.* 15. *ſine me nihil poteſtis facere.* Non ait Dominus; ſine me non tam facilè poteſtis facere, ſeu operari veſtram ſalutem, ſed ait clarè, disertè, perſpicuè; ſine me nihil poteſtis facere. Ita ut magnum illud opus veſtræ ſalutis à mea gratia miſerante ſimpliciter, abſolutè, neceſſariò, omninò dependeat.

Roboratur hæc veritas ex celeberrimo loco 2. ad Corinth. 3. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis,*

bis, tanquam ex nobis, ſed omnis noſtra ſufficientia ex Deo eſt. Si non ſimus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis, multò minùs ſumus ſufficientes velle aliquid ex nobis: etenim quæ non cognoſcimus, velle non poſſumus, & ſi velle non poſſumus, nec operari poſſumus. *Unde omnis noſtra ſufficientia ex Deo eſt.* Non dicit Apoſtolus, facilitas ex Deo eſt, ſufficientia ex nobis, ſed: omnis noſtra ſufficientia ex Deo eſt. Accedit ejuſdem Epiſtolæ caput nonum, ubi Paulus eadem confirmat hiſce verbis. *Potens eſt autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, ut in omnibus ſemper omnem ſufficientiam habentes abundetis in omne opus bonum.*

Denique, cum idem Paulus tertiò rogaret Dominum, ut auferret ab eo ſtimulum carnis, reſponſum eſt illi a Domino. *Sufficit tibi gratia mea.* Non dixit ei Dominus, tu ipſe tibi ſufficis, ſed dixit clariſſimè: ſufficit tibi Gratia mea.

Unde Auguſtinus hìc citatus ad Errorem 2. Pelagii, ſine gratia, inquit, nullum prorſus ſive cogitando, ſive volendo, & amando, & agendo faciunt homines bonum.

Ratio fundamentalis eſt iterùm improportio naturæ humanæ ad fidem ſupernaturalem, qualis eſt vita æterna.

6. Gratia datur ſecundùm merita.

D. Thomas 1. 2. q. 114. a. 5. Omne meritum repugnat gratiæ. *Quia, ut ad Rom. undecimo Apoſtolus dicit; ſi gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non eſſet gratia.*

Deinde, 1. 2. q. 110. a. 2. ad 3. *Gratia dicitur creari, ex eo, quod homines ſecundùm ipſam creantur; id eſt, in novo eſſe conſtituuntur ex nihilo, id eſt*, non ex meritis, *ſecundùm illud ad Epheſ. 2. Creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis.*

1. Initium fidei, & bonæ voluntatis eſt à nobis. *Errores*

D. Thomas 2. 2. q. 6. a. 1. *Dicitur ad Epheſ. 2. Gratia eſtis ſalvati per fidem, & hæc* non ex vobis; Dei enim donum eſt: non ex operibus, ut ne quis glorietur. *Semi-Pelagianorum.*

Dein-

Deinde ad Corinth. 4. Sic diſcurrit Apoſtolus. *Quis te diſcernit? quid habes, quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* ſi verò initium fidei eſſet à nobis, poſſet Fidelis dicere præ Infideli: ego per initium fidei diſcrevi me ab eo, adeòque poſſet de magno illo, & eximio dono fidei gloriari, quaſi non eſſet donum, quod à Deo accepiſſet.

Ratio autem cur initium fidei non ſit à nobis, aſſignatur ab Angelico loco citato. *Homo enim aſſentiendo his, quæ ſunt fidei, elevatur ſupra naturam ſuam, proindèque oportet, quod* initium fidei inſit ei ex ſupernaturali principio interius movente per gratiam; quod eſt Deus.

Nec etiam initium bonæ voluntatis eſt à nobis. Per tale enim initium, intelligitur diſpoſitio, ſeu præparatio ad gratiam, nullus autem poteſt ſe præparare ad gratiam ſine gratia. Quod conſtat ex 1. 2. q. 109. a. 6. *Dicitur Joan. 6. Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum. Si autem homo ſeipſum præparare poſſet, non oporteret, quod ab alio traheretur: ergo homo non poteſt ſe ad gratiam præparare abſque auxilio gratiæ. Unde dicitur Threnorum ultimo. Converte nos Domine ad te, & convertemur.* Et ad Philipp. 2. *Deus eſt, qui operatur in nobis, & velle, & perficere pro bona voluntate*, adeòque non ſolùm perfectio, ſeu conſummatio bonę voluntatis, ſed etiam illius initium eſt à Deo.

Nunc ad rationem Theologicam, quæ jam inſinuari cœpta eſt. *Præparare ſe ad gratiam, eſt ad Deum converti. Sicut ille, qui habet oculum averſum à lumine ſolis, per hoc ſe præparat ad recipiendum lumen ſolis, quod oculos ſuos convertit verſus ſolem, quòd autem homo convertatur ad Deum, hoc non poteſt eſſe, niſi Deo ipſum convertente: ſecundùm illud Hier. 31. Converte me, & convertar: quia tu Dominus Deus meus.* 1. 2. eodem loco.

Et ideò (ad 2.) *cum dicitur homo facere, quod in ſe eſt*, (quod erat ordinarium Semi-Pelagianorum argumentum) *dicitur, hoc eſſe in poteſtate hominis, ſecundùm quod eſt motus*, ſeu converſus à Deo.

Ex

Ex dictis ruit exemplum de infirmo, cui licet deſint vires ad ambulandum, aliaque exercenda opera hominis ſani; poteſt tamen ille deſiderare ſalutem corporis, & petere medicinam.

Etenim & Sanitas corporalis, & deſiderium illius ſanitatis totum naturale eſt; ejuſdemque lineæ: ſanitas verò ſpiritualis, & illius deſiderium; totum ſupernaturale eſt, & altioris ordinis. Undè nec fidei, nec bonæ voluntatis initium eſt à nobis, ſed *à Deo* nos *movente per gratiam. Deus eſt, qui operatur in nobis velle, & perficere.* Loco memorato ad Philip.

2. *Libero arbitrio adſcribendum eſt, quod unus præ alio finaliter perſeveret.*

D. Thomas 1. 2. q. 109. a. 20. *Auguſtinus dicit in libro de perſeverantia. Cur perſeverantia poſcitur à Deo, ſi non datur à Deo? nonnè iſta irriſoria petitio eſt; cum id ab eo petitur, quod ſcitur non ipſum dare, ſed ipſo non dante, eſſe in hominis poteſtate? perſeverantia autem petitur etiam ab illis, qui ſunt per gratiam ſanctificati, quod intelligitur, cum dicimus; ſanctificetur nomen tuum.* Matth. 6. *Ergo homo etiam in gratia conſtitutus indiget, ut ei perſeverantia à Deo detur.* Si indiget, ut ei perſeverantia à Deo detur, non itaque libero arbitrio adſcribendum eſt, quod unus præ alio finaliter perſeveret.

Eadem habet Angelicus in corp. *Poſtquam aliquis eſt juſtificatus per gratiam, neceſſe habet à Deo petere prædictum perſeverantiæ donum, ut ſcilicet cuſtodiatur à malo uſque ad finem vitæ,* multis enim datur gratia, quibus non datur perſeverare in gratia. Et quæſt. 114. a. 9. Perſeverantia dependet ſolum ex motione divina. *Unde Deus* gratis *perſeverantiæ donum largitur, cuicumque illud largitur.*

Huc etiam ſpectant verba illa Oſeę 13. *Perditio tua ex te Iſrael, tantummodò in me auxilium tuum;* præſertim in termino vitę.

1. *Duplex eſt in Chriſto perſona, alia Dei, alia hominis.* *Errores Neſtorii.*

D. Thomas 4. contra Gentes c. 34. *Theodorus Mopſueſtenus, & Neſtorius ejus ſectator dixerunt, quòd in hoc homine Deus habitavit ſicut in Templo ſuo, ſci-*

illi unitum, niſi ſecundum inhabitationem per gratiam, ex qua conſequitur unio voluntatum; inhabitatio autem Verbi Dei in homine non eſt Verbum Dei Incarnatum, habitavit enim Verbum Dei, & ipſe Deus in omnibus Sanctis à conſtitutione mundi ſecundum illud Apoſtoli. 2. ad Corinth. 6. Vos eſtis templum Dei vivi, ſicut dicit Deus, quoniam inhabitabo in illis; quæ tamen inhabitatio, Incarnatio dici non poteſt; alioquin frequenter ab initio mundi Deus Incarnatus fuiſſet. Nec ſufficit, ſi Deus pleniori gratia habitavit in illo homine, quia magis, & minus ſpeciem non diverſificant unionis. Cum igitur Chriſtiana religio in fine Incarnationis fundetur, evidenter apparet, quod prædicta poſitio fundamentum Chriſtianæ religionis tollit.

Porrò in Neſtorianiſmum, quem declinare nitebantur, illos relabi neceſſe erat, *qui poſuerunt* (*D. Thomas* cap. 27.) *quod perſona aſſumpta ſe haberet ad perſonam Filii Dei, ſicut veſtis ad hominem.. nihil enim refert dicere, quod Verbum eſt in homine, ſicut in templo, & quod natura humana Verbo uniatur, ſicut veſtimentum veſtito.* Undè *manifeſtum eſt*, (3. p. q. 2. a. 6.) & hunc, & *modos omnes* recenſitos *accidentalem unionem importare.. fides autem Catholica non dicit unionem factam Dei, & hominis ſecundum accidens*, ſeu *accidentalem, ſed ſubſtantialem, & perſonalem:*

Audiit hęc Neſtorius, & ne ulterius ab Orthodoxis premeretur, admiſit homo verſipellis unionem naturarum in Chriſto ſubſtantialem, & perſonalem, unam in Chriſto Hypoſtaſim, ſeu perſonam.

Sed ſanè hiſce licet ornatus larvis, Catholicus non erat, quantumvis eſſe videretur: latitabat anguis in herba: quęcumque proponebat, fraudulenta condiebat acceptione *perſonæ*, illam ſcilicet ſubintelligens pro explicata perſona honoraria, ſeu dignitatis, vel pro perſona civili, qualiter vir, & uxor, tutor, & pupillus, principalis, & commiſſarius una perſona ſunt: vel tandem pro perſona, ut eam ſumunt grammatici, qualiter tragędi varias perſonas induere dicuntur in theatro. Semper autem negabat unam reverà ſimpliciter in Chriſto perſonam.

Illam

Illam autem in Chriſto admittendam eſſe, fides docet. *Manifeſtum eſt enim* (S. D. capite præcitato 34.) *quòd aſcendere in Cœlum Chriſto homini convenit, qui videntibus Apoſtolis, elevatus eſt, ut dicitur Act.* 1. *Deſcendere autem de Cœlo Verbo Dei convenit. Sed Apoſtolus dicit ad Epheſios* 4. *Qui deſcendit, ipſe eſt, & qui aſcendit, ipſa igitur eadem eſt perſona illius hominis, quæ eſt perſona Verbi Dei.* Videatur, volvatur, luſtretur Angelicus per caput integrum, ubi rem hanc mirificè tractat.

Neſtorium fefellit potiſſimùm hoc *pſeudo-principium: natura totalis non diſtinguitur à ſuppoſito, vel perſona:* atqui, dicebat Neſtorius, ſunt in Chriſto duæ naturæ: ergo duæ perſonæ: ſed & illud idem ei directè oppoſitam peperit hæreſim, Eutychianam ſcilicet: unde ſubſumebat Eutyches: atqui eſt una tantùm in Chriſto perſona, ergo non ſunt duæ naturæ. Sed de hoc Errore ſtatim infrà.

Cæterùm injurius forem incomparabili Vincentio Lirinenſi, ſi eum præterirem in aureo ſuo opuſculo contra hæreſes cap. 19. de una Chriſti perſona ſic diſcurrentem.

Non eſt alter Chriſtus Deus, alter homo, non alter increatus, alter creatus, non alter impaſſibilis, alter paſſibilis, non alter æqualis Patri, alter minor Patre, non alter ex Patre, alter ex Matre, ſed unus, idemque Chriſtus Deus & homo: idem non creatus, & creatus, idem incommutabilis, & impaſſibilis, idem commutatus, & paſſus, idem Patri & æqualis & minor, idem ex Patre ante ſæcula genitus, idem in ſæculo ex Matre generatus. Unus, idemque Filius Dei, & Filius hominis, & unius, ejuſdemque una, eademque Perſona.

2. *Beata Virgo Maria non eſt dicenda Mater Dei,* ſeu *Deipara, ſed tantùm Chriſtipara.*

D. Thomas 3. p. q. 35. art. 4. *In capitulis Cyrilli approbatis in Epheſina Synodo Can.* 10. *legitur. Si quis non confitetur Deum eſſe ſecundùm veritatem Emmanuel, & propter hoc eſſe* Dei Genitricem Sanctam Virginem (*genuit enim carnaliter carnem factum Dei Verbum*) *anathema ſit.*

Sed

Sed & veritas potiſſimùm eruitur ex 9. ad Rom. *ubi dicitur, quòd Chriſtus ex Judæis eſt ſecundùm carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula; non eſt autem ex Judæis, niſi mediante Beata Virgine. Unde ille, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, eſt verè natus ex Beata Virgine, ſicut* ex ſua Matre. Hic ad 1.

Præterea: *concipi, & generari perſonæ attribuitur, & hypoſtaſi, ſecundùm naturam illam, in qua concipitur, & naſcitur; cum igitur in ipſo principio conceptionis fuerit humana natura aſſumpta à divina perſona, conſequens eſt quòd verè poſſit dici, Deum eſſe conceptum, & natum de virgine. Ex hoc autem dicitur aliqua mulier alicujus mater, quòd eum concepit, & genuit: unde conſequens eſt, quòd Beata Virgo verè dicatur* Mater Dei.

In Chriſto una tantùm eſt natura poſt unionem, ſcilicet divina, in quam caro in ipſo Incarnationis momento converſa eſt. *Error Eutychetis.*

D. Thomas 4. contra Gent. cap. 35. *Eutyches ut unitatem perſonæ contra Neſtorium ſervaret in Chriſto, dicit in Chriſto eſſe etiam unam naturam: ita quòd quamvis ante unionem eſſent duæ naturæ diſtinctæ, in unione tamen coierunt in unam naturam.* Sanè *videtur à fide alienum eſſe, quod Eutyches dixit, ante unionem in Chriſto fuiſſe duas naturas. Cum enim humana natura ex anima, & corpore conſtituatur, ſequitur, quòd vel anima, vel corpus, aut utrumque ante Incarnationem fuerit, quod patet eſſe falſum.* Unde hæc ſtupida planè fuit imaginatio.

Contrarium quoque *fidei eſt dicere, quòd poſt unionem* una *fuerit natura in Chriſto. Natura enim eſt, ſecundùm quam res aliqua dicitur eſſe naturalis: dicitur autem res naturalis ex hoc, quòd habet formam, ſicut & res artificialis. Non enim dicitur domus, antequam habeat formam artis. Forma igitur rei naturalis eſt ejus natura. Oportet ergo dicere, quòd in Chriſto ſint duæ formæ etiam poſt unionem. Dicit enim Apoſtolus ad Philipp. 2. de Chriſto Jeſu, quòd, cum in forma Dei eſſet, formam ſervi accepit; non autem poteſt dici, quòd ſit eadem forma Dei, & forma ſervi. Nihil enim accipit, quòd*

I jam

jam habet, & ſic, ſi eadem eſt forma Dei, & forma ſervi, cum jam formam Dei habuiſſet, non accepiſſet formam ſervi. Neque poteſt dici, quòd forma ſervi ſit corrupta in unione (ita ut caro ſit converſa in divinitatem) *quia ſic non accepiſſet formam ſervi.. & ſic oportet dici ſecundùm verba Apoſtoli, quòd in Chriſto etiam poſt* unionem fuerunt *duæ formæ, ergo* duæ naturæ.

Hinc *dicitur in determinatione Concilii Chalcedonenſis. Confitemur in noviſſimis diebus Filium Dei unigenitum in* duabus naturis *inconfusè, immutabiliter, indiviſè, inſeparabiliter agnoſcendum* nunquàm ſoblata differentia naturarum propter unionem. 3. par. qu. 2. art. 1.

His adde, ex aſſertione *de converſione* carnis in *divinitatem*, evidenter ſequi, ipſam divinitatem Chriſti in Cruce fuiſſe paſſam. Quod repugnat illis verbis 1. Petri 4. *Chriſto igitur paſſo in carne, & vos eadem cogitatione armamini.* Carne paſſum dixit, non divinitate. Et Paulus Apoſtolus ait. 2. ad Corinth. 13. *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Chriſtus? qui non infirmatur, ſed potens eſt in vobis? nam & ſi Crucifixus eſt ex infirmitate; ſed vivit ex virtute Dei.* Paſſus eſt ergo Chriſtus, & mortuus, ſed ex noſtræ humanitatis infirmitate: vivit autem impaſſibilis, & immortalis, at ex ſuæ divinitatis virtute.

Undè Magnus Leo in graviſſima Epiſtola ad Flavianum ordine decima. Salva igitur Proprietate utriuſque naturæ, *& in unam coeunte perſonam, ſuſcepta eſt à majeſtate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas, & ad reſolvendum conditionis noſtræ debitum, natura inviolabilis naturæ eſt unita paſſibili, ut quod noſtris remediis congruebat, unus atque idem mediator Dei, & hominum homo Jeſus Chriſtus* & mori poſſet ex uno, & non mori poſſet ex altero.

Error Ægyptiorum. *Ordinatio divina aliquibus ſacrificiis, & orationibus impediri poteſt.*

D. Thomas 1. p. q. 23. art. 8. *Dicitur fuiſſe opinio Ægyptiorum, ordinationem divinam aliquibus ſacrificiis, & ora-*

& orationibus impediri poſſe. Sed contra hoc eſt authoritas Sacræ Scripturæ, Dicitur enim 1. *Reg.* 15. *Porro Triumphator Iſrael non parcet, neque pœnitudine flectetur. Et Rom.* 11. *Dicitur, quod ſine pœnitentia ſunt dona Dei, & vocatio.*

Sacro triſagio Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, addendum eſt, qui paſſus es pro nobis. *Error Petri Fullonis*

D. Thomas 3. p. q. 46. a. 12. In corp. Divina natura eſt Impaſſibilis. Et ad 1. *Dominus*, ſeu Deus *gloriæ dicitur Crucifixus, non ſecundum*, Quod eſt Dominus gloriæ: *ſed ſecundum quod erat homo paſſibilis*. Impium eſt igitur illud additamentum ad Triſagium; *qui paſſus es pro nobis*; utpote innuens Deum eſſe paſſum, vel totam Trinitatem Crucifixam. Unde Petrus Fullo *Theopaſchitarum* invexit, vel potiùs inſtauravit blaſphemiam. Solus Chriſtus ſecunda Trinitatis perſona pro nobis omnibus ſuſtinuit Crucem *ratione naturæ paſſibilis aſſumptæ, non autem ratione naturæ divinæ impaſſibilis*. Loco allegato in corp. Vide ſtatim refutatum Errorem Eutychetis, cujus, Error Fullonis appendix eſt.

Non ſunt venerandæ Chriſti, & Sanctorum imagines. *Error Xenaja.*

Vide infra *Iconoclaſtas* ſæculo 8.

APPENDIX AD SÆCULUM V.

SEcundinus Manichæus S. Auguſtinum literis hortatus eſt ad Manichæiſmum, à quo tam ſolemniter diſceſſerat, denuo amplectendum. *Secundinus.*

At Auguſtinus librum egregium adversùs illum conſcripſit, in quo phreneticam iſtius ſectæ delirationem mirè depingit.

Docuit, *Deum eſſe mutabilem.*

Convenit cum *Theophronio* pag. 89. & *Conrado VVorſtio* de quo, ſæculo 17.

Prædeſtinatiani problema ſunto. Alii ſunt qui contendunt, non extitiſſe hoc ſeculo, nec unquam aliàs *Prædeſtinatianos*, ſed eo nomine S. Auguſtini Diſcipulos ob *prædeſtinationem gratuitam*, à ſemi- *Prædeſtinatiani.*

 Pela-

Pelagianis Hæreticorum more & genio, qui Catholicis alicujus hæreſis notam inurunt, ut eos ſpecioſiùs impugnent, calumnioſè fuiſſe traductos. Sic Eutychiani Catholicos diſtinctas in Chriſtô naturas propugnantes, ut Neſtorianos calumniabantur. Sic Pelagiani Auguſtinum gratiæ per ſe efficacis, ſeu victricis patronum tanquam Manichæum proſcindebant.

Alii aſſerunt, tales reverà fuiſſe, & docuiſſe, *quòd Deus ſicut quoſdam prædeſtinavit ad vitam, ita alios prædeſtinavit ad mortem æternam.* Quæ ſanè propoſitio hæretica eſt.

Convenit autem illa cum hac 1. Poſitione Gotheſchalci. *Sicut Deus quoſdam ad vitam æternam prædeſtinavit, ſic etiam alios ad mortem æternam prædeſtinavit, cogitque homines interire.* pag. 171.

ERRONES SÆCULI SEXTI.

Severo Acephalorum duci (de quo ſæculo præcedenti ſub finem) non diu licuit Antiochiæ vitiorum ſuorum exercere Tyrannidem. Extorris inde per Juſtinum Imperatorem, Alexandriam ſe recepit cum Juliano ejuſdem furfuris Antiſtite Halicarnaſſeo. Alexandrinæ Eccleſiæ præerat Timotheus Aſterius non minimus inter *Acephalos*. Dum inſignes illi triumviri variis de rebus inter ſe conferrent; à Severo Religioſus quidam ſciſcitatus eſt; utrum Chriſti Domini corpus corruptibile fuiſſet, an corruptionis expers? per hanc quæſtionem, ut nobiliores volunt ſcriptores, in controverſiam vocabatur, corpuſnè Chriſti, perinde ac noſtrum, defectibus corporalibus, ut ſunt fames, ſitis, mors, *verè* fuiſſet ſubditum; an *ſpecietenùs*? priorem ſententiam amplexus eſt Severus, addens tamen Chriſtum ex *neceſſitate* illos ſuſcepiſſe defectus; hanc verò ſuſtinuit Julianus Halicarnaſſenſis. Uterque ſuam ſtabilire opinionem, & adverſarium

Paſſibiles

Impaſſibiles.

rium ſcriptis cœpit laceſſere. Hinc binæ exortæ ſunt ſectæ: quarum altera *corrupticolarum*, ſeu *paſſibilium*, altera *incorrupticolarum*, ſeu *impaſſibilium*, appellata eſt. Utraque materiam populari ſubminiſtravit ſeditioni, quæ ad cædes uſque, domorumque incendia exarſit.

Dum hæc Alexandriæ ferveret de *paſſibili*, & *impaſſibili* contentio, quæſivit ex Timotheo Præſule Alexandrino Themiſtius Diaconus etiam Acephalus, an Chriſtus, quà homo aliqua ignoraſſet? allegabat autem Themiſtius hæc verba Marci 13. *De die illa* (extremi judicii) *nemo ſcit*, *neque Angeli in Cœlo*, *neque Filius*; *niſi Pater*. Timotheus ignorantiam in Chriſto negavit. Ob reſponſum Themiſtius ab eo deficiens, & ignorantiam Chriſto adſcribere perſeverans Agnoitarum ſectam condidit. Hi quoque *Themiſtiani* ab Authore ſuo dicti ſunt. Mirum ſanè eſt, belluam ſine capite (ita Acephalorum hæreſis nuncupata eſt) pluribus prodiiſſe capitibus inter ſe pugnantibus.

Joannes Philoponus author Tritheitarum.

Joannes Cognomento Philoponus, Grammaticus Alexandrinus ex Eutychianorum caſtris, *Tritheitas* formavit. Cum enim adverſus Catholicos argumentaretur, eò tandem vi, & conſequentia diſputationis abreptus eſt, ut tres eſſe in Trinitate naturas; ſicut tres hypoſtaſes aſſereret. Sic autem ratiocinabatur. Si naturæ duæ ſint in Chriſto, ſequitur duas eſſe in eodem hypoſtaſes. Reſponderunt Catholici, id non eſſe conſequens, cum non ſint idem omninò natura, & hypoſtaſis: alioquin tres fore in divinitate naturas, quemadmodum tres hypoſtaſes. Hanc legitimam eſſe conſecutionem Philoponus admiſit, & profitendum, contendit, *tres eſſe in Trinitate naturas*.

Refelluntur Errores Sæculi ſexti.

Error Paſſibilium.

Chriſtus ex neceſſitate defectus corporales ſuſcepit.

D. Thomas 3. p. qu. 15. art. 4. ad 1. *Chriſtus propria voluntate ſe paſſionibus corporalibus ſubjecit*. *Et q.* 14. *art.* 3. *ad* 1. Chriſtus Potuiſſet naturam

aſſumere *abſque pœna, ſed voluit ſuſcipere pœnam propter opus noſtræ redemptionis implendum: & ideò habet hujuſmodi defectus* (corporales) voluntarie eos aſſumendo.

Error Impaſſibilium.

Corpus Chriſti non fuit verè ſubditum corporalibus defectibus, ut v.g. ſunt fames, ſitis, mors, & hujuſmodi.

D. Thomas 3. p.q. 14. art. 4. *Sunt defectus, qui communiter in omnibus hominibus inveniuntur... ſicut mors, fames, ſitis, & alia hujuſmodi. Et hos defectus omnes Chriſtus ſuſcepit. Et* art. 1. *Corpus aſſumptum à Filio Dei humanis infirmitatibus, & defectibus ſubjacuit præcipuè propter duo. Primò quidem quia ad hoc Filius Dei carne aſſumpta, venit in mundum, ut pro peccato humani generis ſatisfaceret. Unus autem pro peccatis alterius ſatisfacit, dum pœnam pro peccato alterius debitam in ſe ſuſcipit. Hujuſmodi autem defectus corporales, ſcilicet mors, fames, ſitis, & hujuſmodi ſunt pœna peccati, quod eſt in mundum per Adam introductum, ſecundum illud* Rom. 5. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors. Unde Chriſtus propter finem Incarnationis, hujuſmodi pœnalitates in noſtra natura ſuſcepit vice noſtra ſecundum illud Iſai.* 53. Vere *languores noſtros ipſe tulit. Secundò propter fidem Incarnationis adſtruendam. Cum enim natura humana non aliter eſſet nota hominibus, niſi prout hujuſmodi corporalibus defectibus ſubjacet, ſi ſine his defectibus Filius Dei humanam naturam aſſumpſiſſet, videretur non fuiſſe verus homo, nec veram carnem habuiſſe, ſed Phantaſticam, ut Manichæi poſuerunt.* (Hinc & Impaſſibiles à nonnullis *Phantaſiaſtæ* vocati ſunt.) *Et ideò, ut dicitur* Philipp. 2. *Chriſtus exinanivit ſemetipſum, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.*

Ex ſententia denique Impaſſibilium, Crux & mors Chriſti in nihilum corruerent, adeòque magnum illud redemptionis noſtræ opus deſtrueretur. Vide etiam, præter Errorem Manichæorum ſæculo 3. Errorem 2. Saturnini, & Baſilidis ſæculo 1.

Error Agnoitarum.

Chriſtus ut homo penitus neſcit diem judicii, & ſic in Chriſto fuit ignorantia.

Cum illorum Error profluxerit ex verbis illis apud Mar-

Marcum 13. *De die illa nemo ſcit, neque Angeli in Cœlo, neque Filius, niſi Pater*; videamus, qui illa D. Thomas exponat 3. p. q. 10. art. 2. ad 1. *Dicitur Chriſtus neſcire diem, & horam judicii, quia non facit ſcire: interrogatus enim ſuper hoc ab Apoſtolis Act. 1. hoc eis noluit revelare, ſicut è contrario legitur Gen. 22. Nunc cognovi, quod timeat Deum, id eſt nunc cognoſcere feci.. dicitur autem Pater ſcire, quia hujuſmodi cognitionem tradidit Filio. Unde in hoc ipſo, quod dicitur, niſi Pater, datur intelligi quod Filius cognoſcit non ſolùm quantum ad divinam naturam, ſed etiam* quantum ad humanam: *ſi enim, ut Chryſoſtomus argumentatur*, Homil. 72. in Matth. *Chriſto homini datum eſt, ut ſciat, qualiter oporteat judicare, quod eſt majus, multò magis datum eſt ei ſcire, quod minus eſt, ſcilicet* tempus judicii.

Quòd autem nulla in Chriſto etiam *quà homine* fuerit ignorantia, conſtat ex articulo 3. quæſtionis 15. *Sicut in Chriſto fuit plenitudo gratiæ Joan. 1. Ita in ipſo fuit plenitudo omnis ſcientiæ.: ſicut autem in Chriſto* (etiam quà homo eſt) *plenitudo gratiæ excludit fomitem peccati, ita pariter plenitudo ſcientiæ excludit* ignorantiam, *quæ ſcientiæ opponitur*. Undè *in ipſo omnes Theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ ſunt abſconditi*. Ad Col. 2.

Tres ſunt in Sanctiſſima Trinitate naturæ. *Error Joannis Philoponi.*

D. Thomas 1. p. qu. 31. art. 1. *Athanaſius* dicit (in Symbolo fidei) *quod unitas in Trinitate, & Trinitas in unitate veneranda ſit*. Et ad 4. *Cum dicimus Trinitatem in unitate, non ponimus numerum in unitate eſſentiæ, quaſi ſit ter una; ſed perſonas numeratas ponimus in* unitate naturæ.

Sed & apertiſſimè hoc teſtatur Scriptura 1. Joann. 5. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, &* hi tres unum ſunt.

Reflexio quædam ad Errores aliquos hujus Sæculi. Porrò ſunt Authores nonnulli, qui huic inſerunt ſæculo *Caucobabditas, Damianiſtas, Tetraditas, Petritas, & Paulitas*, quæ ſane nomina ſunt ipſo penè timenda ſono; ſed hæc portenta, diverſa ſunt Acephalorum capita ex *Severi* nata cerebro monſtrorum feraci,

Alii *Chriſtolytas* præſenti ſæculo annectunt, at eos potiùs in ſequenti cum S. Joanne Damaſceno collocandos eſſe exiſtimamus.

ERRORES SÆCULI SEPTIMI.

Mahomet. SÆculum hoc orbi pernicioſiſſimam, regnante Heraclio, peſtem peperit, impium ſcilicet Mahometem. Ortus ex Arabia felici veriùs ob erutum illud è ſuo ſinu portentum infelici, Iſmaelitæ cuidam diviti Mercatori venditus eſt, cui nomen erat *Abdemonaplis*. Ipſi & venuſtas oris, & agendi induſtria Heri ſui conciliavit amorem, qui illum Camelorum negotiationi, quam exercebat, præfecit. Defuncto *Abdemonaple*, Viduæ amori ſe inſinuavit, eamque duxit uxorem. His Nuptiis locupletatus, mercaturam dedignatus eſt, militiamque profeſſus Principatum ambire cœpit. Calliditate ingenii, facundia, largitionibus, prædonum, militumque ſibi devinxit animos, eorumque ingentem numerum ſuis ſignis implicuit. Tum adjutore *Sergio* Monacho, qui ob Neſtorianam hæreſim ab Eccleſia ejectus erat, & cujus beneficio Judaicarum, & Chriſtianarum literarum levis aliqua in eum diſtillarat notitia, novum religionis monſtrum parturiit, legemque conſcripſit, & promulgavit, quam Alcoran Arabicè nuncupavit, id eſt, volumen præceptorum. Hanc paulatim per tomos ab Archangelo Gabriele ad ſe delatam mentitus eſt. Colloquii cum Archangelo confingendi occaſionem præbuit morbus comitialis, quo interdum correptus terræ allidebatur. Mœrenti ob id uxori perſuaſit, ſe Prophetam inauguratum, & Gabrielis alloquio donatum ſic affici, percelli, conſternari. Sparſit fabulam muliercula, *Sergius* impoſturam ſciens volens teſtimonio ſuo roboravit, ac inter Arabes propalavit. His artibus à popularibus ſuis habitus eſt Princeps, belli Dux, & Legislator; ſuamque ſectam longè, latèque tum ineptæ ad verum diſcernendum

nendum plebis ſuffragio, quæ ipſum ut Dei internuntium, & Prophetam venerabatur, tum armorum terrore propagavit. Contigit tamen aliquando, ut Errorum novitas quoſdam ab eo alienarit, ideòque fugam arripuerit anno ſcilicet Chriſti 622. die 16. Julii feria 6. quam fugam, *Hegyram* vocant Arabes, à qua ſuam Epocham auſpicari ſolent. Cæterum cunctis ad illum, quos ſpoliorum opulentia, urbium deprædationes, ſcelerumque impunitas pelliciebant, certatim confluentibus, uſque adeò nova, & bellatrix religio invaluit, ut vivens Mahomet univerſam Arabiam, Ægyptum, Paleſtinam armis ſubjugarit. Morti proximus in urbe *Mecha*, prædixit ſe ab Archangelo Gabriele tertia die reſuſcitandum, ſed cum, Gabriele non comparente, corpus putreſceret, ad velandam ignominiam *Omarus* illius ſucceſſor magnificum ei ſepulchrum erexit. Pendet illud ſublime in medio Templo, vi magnetica elatum, lapidibus ornatum pretioſis. Ad illud Mahometani ſaltem ſemel in vita ex remotiſſimis etiam Regionibus miris in ſe & auſteritatibus, & ſuppliciis in itinere ſævientes Religionis ergò peregrinari ſolent.

Porrò hæc legis Mahometanæ ſumma eſt.

1. *Deum unum* prædicat cum Judæis, eumque univerſi conditorem profitetur, pium, miſericordem, bonorum remuneratorem, malorumque judicem; ſed negat eſſe *trinum*.

2. Chriſtum *Filium Dei*, *Deumque eſſe* inficiatur, eoſque incredulos vocat, qui ipſum Deo æqualem ſtatuunt. Cæterùm illum nuncupat Prophetarum excellentiſſimum, cui Deus animam ſuam, vim, atque virtutem præ cæteris tribuerit.

3. De partu Virginis multa fabulatur. Ait, *ipſam juxta palmam Chriſtum peperiſſe, & propter dolores partus animo defeciſſe, Chriſtumque ex ejus utero locutum juſſiſſe palmæ, ut fructus excuteret, quorum eſu recrearetur.*

4. Aſſerit, *Judæos voluiſſe quidem Chriſtum in Crucem agere, ſed cum eum tenuiſſent, ejus tantùm umbram in Crucem egiſſe ipſum verò nec in Crucem actum fuiſſe, nec mortuum;* illum enim à Deo translatum eſſe

ſe

ſe in Cœlum, quòd ei foret chariſſimus: *ibique interrogatum à Deo, an ſe Filium Dei dixiſſet, id negaſſe, & tantummodò ſe ſervum Dei profeſſum eſſe.*

5. *Circumciſionem ex Judaica Religione acceperunt* Mahometani: non verò octava die ipſam celebrant, ſed anno decimo-tertio, quòd ea ętate circumciſus fuerit *Iſmael*, quo parente gloriantur.

6. Permittit Lex Mahometana *Polygamiam*, ſeu *uxorum pluralitatem*.

7. Promittit, quòd poſt *carnis reſurrectionem*, *ſectatoribus ſuis*, *in beatiſſimo Paradiſo formoſiſſimarum copia puelllarum promiſcuè ad uſum ſuum ſuppetet*.

His ſanè carnis illecebris, cum in hâc vita concedens multitudinem fœminarum, tum in futura pulcherrimarum uſum pollicens verſutus Mahomet, plurimos irretiit, ſectamque incredibiliter extendit. Hac de re ſic D. T. 1. contra Gent. cap. 6. *Mahomet carnalium voluptatum promiſſis, ad quarum deſiderium carnalis concupiſcentia inſtigat, populos illexit*.

8. Ut ſuos ad bellum exſtimulet, Paradiſum non patere affirmat, niſi fortibus, & magnanimis in prępio. Maximè verò adverſus incredulos, id eſt, Chriſtianos arma vertenda decernit. Fugientibus in bello cum eis gerendo ignem perpetuum comminatur.

Cauſa odii Turcarum in chriſtianos. Hinc ſcaturit dirum illud, implacabile, aſperum, inexſaturabile Mahometanorum in Chriſtianos odium. Victoriis de Republica Veneta in Morea relatis tumidi, integrę modò Europę innumeris copiis incubant. Stragem à nobis Deus pro ſua avertat Clementia, fluctuſque infrementes elidat.

Dum his vacamus; Eugenius Sabaudię Princeps, Magna hujus ſęculi pagina Turcas ad urbem *Petervvaradinium* memorabili pręlio, Chriſtianis opitulante Numine, profligat, (qua ex clade *Corfuum* obſidione; Italia metu ſolvitur;) *Temeſvvarium* ex Infidelium faucibus eruit: jamque victricibus Aquilis civitati *Belgradenſi*, & Turcici imminet everſioni Imperii.

Monothelitæ. Monothelitarum hęreſis etiam ſub Heraclio ex inferis erupit. Hac verò occaſione emerſit, & funeſtum Eccleſię peperit incendium. Dum Heraclius, bello Perſico,

ſico, quo Romanas Provincias à Perſis occupatas recuperarat, feliciter perfunctus Hierapoli verſatur, ipſum officio, & gratulandi ſtudio convenit Athanaſius Jacobitarum Antiſtes. Hunc Imperator ratus ſe fidei conſulere, in ſpem erexit potiundi Patriarchatus Antiocheni, ſi Synodum Chalcedonenſem (erat enim Eutychiana lue infectus) amplecti vellet. Ea compellatione allectus Athanaſius ſe Synodum Chalcedonenſem ſuſcipere, duaſque in Chriſto eſſe naturas ſimulatè dixit. Sed vafer homo viciſſim rogavit Heraclium, utrùm duplex in Chriſto eſſet admittenda voluntas, & operatio, an una dumtaxat? Imperator *Sergium* Præſulem Conſtantinopolitanum abſentem, & Cyrum Phaſidis Epiſcopum de propoſita quæſtione conſuluit. Perſuaſerunt ambo conjurati malorum artifices Heraclio, unam eſſe in *Chriſto voluntatem*, unamque *actionem*. Cæſar verò tam obfirmato animo hujus fautor Hæreſis evaſit, ut illam publico edicto, quod *Ecteſim* vocant, tanquam certum fidei articulum omnibus prędicandam propoſuerit. Cyrus in ſceleris præmium in locum demortui Georgii Alexandrini Patriarchæ ſuſficitur: Athanaſius in promiſſa ſede Antiochena collocatur. Sergius coacta ſubditorum ſibi Epiſcoporum pſeudo-Synodo, novam Hæreſim quantò potuit, molimine, vi, opę, induſtria ſtabilit, ſimulque *Ecteſim* Heraclianam græcorum Præſulum ſubſcriptione roboratam, univerſo ſpectante populo, foribus Baſilicæ S. Sophiæ affigi jubet. Eadem omnia Cyrus Alexandriæ exequitur. Atque his protinus turbis univerſus Oriens concuſſus eſt.

Diù protracta Hæreſis, varioſque patronos adepta, nacta eſt etiam inter alios *Macarium* Antiſtitem Antiochenum; ita ut tres Patriarchę principes ad fidem evertendam conſpirarent; unus è Patriarchis defuit *Sophronius* Hieroſolymitanus Epiſcopus, qui ſe ut validiſſimum tribus iſtis repagulum & voce, & nervoſiſſimis ſcriptis intrepidè, conſtanter, invictè objecit.

Tandem ſub Conſtantino Pogonato religioſiſſimo Principe, ſub auſpiciis Agathonis Romani Pontificis,

ficis, ad hæreſim iſtam extirpandam, habitum eſt univerſale Concilium Conſtantinopoli. Præſederunt in eo legati Agathonis. Hujus Synodi Decretis confixa eſt Heraclii *Ecteſis*, & definitum, *duas* in Chriſto *voluntates*, & *actiones eſſe*, *divinam*, & *humanam*, vibratumque Anathema in Sergium, Cyrum, Macarium, alioſque, qui ſecus docuerant, aut docturi eſſent.

Armeni. Jacobus Syrus (de quo ſub finem ſæculi 5.) Jacobitarum Parens, dictus etiam *Zanzalus* Armenis primò venenum Hæreſeos inſtillavit, illud alii foverunt ſubſecuti Errorum propinatores; ſed maximè *Echanius Mantacunes*, ut refert Nicephorus Calliſtus Hiſtoriarum libro 18. cap. 53. Illo duce, Hæreſis Armenorum hoc ſæculo cœpit dilatari. Hæc certè dicenda eſt potiùs ſentina Hæreſum.

Admittit iſta cum Eutychete tantùm *unam* in Chriſto naturam: item *unam* cum Monothelitis in Chriſto voluntatem; ut nihil dicam de adoptata Theopaſchitarum impietate, ut ſtatim infra patebit.

Sequentes verò Errores ſunt Armenis proprii.

1. Cum Novatianis (de quibus ſupra ſæculo 3.) reſpuunt *Sacramentum Confirmationis*.

2. In oblatione incruenti ſacrificii *vino ſolùm utuntur nulla admixta aqua*.

3. *Annuntiationem Beatæ Mariæ Virginis, Nativitatem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ejuſdem circumciſionem, ac Epiphaniam, Purificationem Dei genitricis celebrant temporibus à ritu Eccleſiæ & latinæ, & græcæ diſcrepantibus*.

Tradit verò cum pluribus aliis *Michael le Fevre* in ſuo Theatro Turcico, Armenos colere Nativitatem, & Baptiſmum Chriſti 6. Januarii ob illa verba Lucæ. 3. *Erat Jeſus* (dum Baptizabatur) *incipiens quaſi annorum triginta*. Unde volunt, eum *præciſè* natum eſſe 6. Januarii, quo die Baptizatus eſt, utpote tunc *incipientem* annum trigeſimum; proinde exiſtimant ſe conformiores eſſe Scripturæ, celebrantes *ſimul* nativitatem, & Baptiſmum Chriſti 6. Januarii. Atque hinc (ut præſumendum eſt,) diverſus ille ordo temporis in dictis omnibus feſtivitatibus celebrandis profluxit.

Arme-

Armeni pluribus ſæculis a Romana avulſi Eccleſia, eidem uniti fuere in Concilio Florentino ſub Eugenio 4. eo tempore, quo communi latinorum, græcorumque conſenſu confecta eſt toties deſiderata inter utroſque fidei, & religionis unio. Contigit id anno 1439.

Armeni uniuntur Eccleſiæ ſub Eugenio 4. in Concilio Florentino.

Juvat hic ſubnectere Decretum unionis Armenorum.

Decretum unionis.

Eugenius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

„ Exultate Deo ſalutari noſtro; jubilate Deo Jacob, omnes, qui ubique cenſemini nomine Chriſtiano. Ecce enim iterum Dominus recordatus miſericordiæ ſuæ alium diſſidii lapidem de Eccleſia ſua, auferre dignatus eſt, & qui facit concordiam in ſublimibus, & per quem in terra pax eſt hominibus bonæ voluntatis, optatiſſimam Armenorum unionem ſua ineffabili miſeratione conceſſit. Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra. Intuens namque piiſſimus Dominus, ſuam Eccleſiam modò ab his, qui foris ſunt, modò ab his, qui intrà non parvis agitari turbinibus, ut inter ipſas reſpirare anguſtias, & ad reſiſtendum fortior aſſurgere valeat, multis eam modis quotidiè conſolari, & roborare dignatur:

Nonnullis deinde interiectis, ſic proſequitur Pontifex.

„ Tradimus eis (Armenis) diffinitionem quarti univerſalis Concilii Chalcedonenſis de *duabus naturis in una Chriſti Perſona*.

„ Deinde diffinitionem de *duabus voluntatibus*, *duabuſque Chriſti operationibus*.

„ Eccleſiaſticorum etiam Sacramentorum veritatem pro ipſorum Armenorum tam præſentium, quàm futu-

„ futurorum faciliori doctrina, ſub hac breviſſima
„ redigimus forma. Novæ legis ſeptem ſunt Sacra-
„ menta, videlicet Baptiſmus, & ſex reliqua notiſ-
„ ſima. Circa *Confirmationem*, tantùm Armeni diſ-
„ ſidebant ab Eccleſia.

„ Quoad Euchariſtiæ Sacramentum; illi ante con-
„ ſecrationem aqua modiciſſima admiſceri debet ..
„ decernimus autem, ut etiam ipſi Armeni ſe cum
„ univerſo orbe Chriſtiano conforment, eorumque
„ Sacerdotes in calicis oblatione paululùm aquæ vi-
„ no admiſceant.

„ Cum verò inter alia, ſit etiam cum ipſis Ar-
„ menis diſputatum, quibus diebus feſtivitates An-
„ nunciationis Beatæ Mariæ Virginis, Nativitatis,
„ & Circumciſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ac
„ Purificationis Beatæ Mariæ Virginis celebrari de-
„ beant, ſatiſque dilucide veritas patefacta fuerit
„ conſuetudine Romanæ Eccleſiæ, & omnium alia-
„ rum univerſaliter apud Latinos, & Græcos: ne
„ in tantis celebritatibus diſpar ſit Chriſtianorum ri-
„ tus; unde perturbandæ charitatis occaſio poſſit ori-
„ ri; decernimus tanquam veritati, & rationi con-
„ ſentaneum, ut juxta totius reliqui orbis obſervan-
„ tiam, ipſi etiam Armeni feſtum Annunciationis
„ Beatæ Mariæ die 25. menſis Martii, Nativitatis
„ ſecundùm carnem Salvatoris noſtri 25. Decembris,
„ Circumciſionis ejuſdem 1. Januarii, Epiphaniæ
„ 6. Januarii, Purificationis Dei Genitricis 2. Fe-
„ bruarii debeant ſolemniter celebrare.

His omnibus explicatis, Oratores Armenorum reſ-
ponderunt, Nos Oratores nomine noſtro, noſtrique
Reverendi Patriarchæ, & omnium Armenorum, hoc
ſaluberrimum ſynodale Decretum cum omnibus ſuis
diffinitionibus, præceptis, & ſtatutis, omnemque
doctrinam in ipſo deſcriptam, nec non quidquid te-
net, & docet Sancta ſedes Apoſtolica, & Romana
Eccleſia, cum omni devotione, & obedientia accep-
tamus, ſuſcipimus, & amplectimur ... quidquid
autem Romana Eccleſia reprobat, & damnat, id
nos pro reprobatis, & damnatis habemus.

Hæc

Hæc ideò protulimus, ut nonnulli retundantur Critici, qui ſuſtinuerunt, hæc recenſita puncta perperam illis attribui.

Cæterùm Nicephorus & hujus meminit Erroris. Crucem, inquit, Armeni non venerantur, niſi priùs illam inſtar hominis Baptizaverint, & in medio ejus *unum* clavum fixerint, ac ſacrificii Sanguine ipſam inunxerint. Per clavum innuere volunt, *unum* ex Trinitate Crucifixum eſſe, id eſt, divinam ejus naturam.

Hic Error ſanè, ſeu ſuperſtitio quoad fixionem clavi illorum principiis (cum eſſent peſte Eutychiana infecti) conformis eſt. Verùm alia ſunt commenta, à quibuſdam Scriptoribus illis affricata, quibus, cum ea nec in Conciliis, nec in Authoribus coævis, vel gravioribus repererim, duxi eſſe ſuperſedendum. Quis inter alia adduci poteſt, ut credat aſſeruiſſe Armenos, quòd *Deus ſit Mendax*? nonne hanc immanem blaſphemiam & boni, & mali, totaque univerſitas refellit, horret, averſatur, deteſtatur?

Porro Armeni vix Patriæ redditi in Errores turpiſſimè revoluti ſunt, Græcorum cum in unione, tum in levitate, ac inconſtantia æmulatores. *Armeni relabuntur in Errores.*

Non integræ tamen Nationi hæc nota Hæreſeos; & inconſtantiæ inurenda eſt: ſunt & hodiè plures Armeni Romano-Catholici. Provinciam incolunt *Nakſivan* ſub Regis Perſarum Dominio. Perſis, Turcis, Neſtorianis, & præſertim falſis fratribus Armenis Hæreticis, ſeu Schiſmaticis (qui omnibus diris illos devovent) circumdati, etiamnum fidem illibatam conſervant, & propugnant; nullo modo degeneres à Majorum ſuorum veſtigiis, qui anno 1320. à Patribus Ordinis noſtri per Joannem 22. miſſis in Armeniam (qui & illic degunt hactenus jam à tot ſæculis continuata ſerie ſoli Armenorum Epiſcopi) è denſiſſimis, miſerante Numine, fuerunt eruti Errorum tenebris, & communioni reſtituti Eccleſiæ. Ante unionem Majores multa quidem à Schiſmaticis perpeſſi fuerant; ſed illa diſſoluta, vis acrior fraudis, & violentiæ in fideles Armenos incubuit. Tales tamen hi machi- *Dantur & Armeni Romano-catholici.*

nas,

nas, dolos, perſecutiones, & mille nocendi artes ſuſceptæ tenaces fidei eluſerunt. Virtus hæc, & pectus pro defendenda religione noſtra Heroicum innumera inter pericula, & agitationes perpetuas Modernis perſeverat.

Gnoſimachi. Gnoſimachorum lues inſaniſſima de ſua ignorantia gloriabatur. *Omnem ſcientiam Scripturę Sacræ Chriſtianis eſſe contrariam, vanam, & inutilem* reputabat, dicens Deum nihil aliud ab homine expetere, quam bonam actionem.

Ethnophrones. Ethnophrones Paganiſmum impiè cum Fide noſtra profitentes, ſtultè exiſtimabant, quòd *hæc ambo ſimul licet exercere*. Præterea Aſtrologiæ judiciariæ, divinationibus, auguriis, ſortilegiis, aliiſque criminibus addicti erant.

Chriſtolytæ. Chriſtolytæ dixerunt, quòd *Chriſtus cum ſola Deitate & reſurrexerit, & in Cælos aſcenderit.*

Parermeneutæ. Parermeneutæ aſſerebant, *quemlibet Scripturam Sacram juxta opinionem propriam interpretari poſſe.* Atque hoc in praxim redigebant, Bibliis evolvendis, & explicandis affixi.

Ejuſmodi Parermeneutas modernos inter ſectarios reperire eſt. Cum enim omnes illic Sacras corrodant paginas ſine diſcrimine ſexus, ætatis, & ſcientiæ, penè contingit, infinitos quodammodò inter eos eſſe Parermeneutas.

Refelluntur Errores Sæculi ſeptimi.

Errores Mahometis. 1. Error de *Trinitate*, ſæculo 3. in *Sabellio*: 2. de *Incarnatione*, ſæculo 1. in Cerintho confixus eſt.

3. *Maria Dolores in Chriſti partu ſuſtinuit.*

D. Thomas 3. p. q. 35. a. 6. *Dolor parientis cauſatur ex apertione meatuum, per quos proles egreditur. Chriſtus autem egreſſus eſt ex clauſo utero Matris, & ſic nulla violentia apertionis meatuum ibi fuit, & propter hoc in illo partu* nullus fuit dolor. *Sed fuit ibi maxima jucunditas, ex hoc, quod homo Deus eſt*

natus

natus in mundum, *ſecundùm illud Iſ.* 35. *Germinans germinabit ſicut lilium, & exultabit lætabunda, & gaudens.*

4. *Chriſtus non eſt actus in Crucem, nec mortuus.*

D. Thomas 3. p. q. 46. a. 4. *Dicitur Philipp.* 2. *Chriſtus factus eſt obediens uſque ad mortem*, mortem autem Crucis. Vide ſæculo 1. Errorem Baſilidis, qui effutiebat, Chriſtum non fuiſſe Crucifixum, ſed Simonem Cyrenæum: unde eadem eſt in ſubſtantia utriuſque blaſphemia.

5. *Circumciſio obſervanda eſt.*

D. Thomas 1. 2. q. 103. a. 4. *Apoſtolus dicit ad Galatas* 5. *Si circumcidamini, Chriſtus, nihil vobis prodeſt: ſed nihil excludit fructum Chriſti, niſi peccatum mortale, ergo circumcidi poſt paſſionem Chriſti*, præſertim jam à tot ſæculis promulgatam, *eſt peccatum mortale*, proinde circumciſio modò licita non eſt, adeòque nec obſervanda. Apage verò commentum de circumciſione exercenda decimo-tertio ætatis anno. Nullo enim modo licita eſt circumciſio poſt paſſionem Chriſti: igitur nec octava die juxta ritum legis Moyſaicæ, nec anno decimo-tertio, ad imitationem ridiculam Iſmaelis, quo parente Mahometani gloriantur.

6. *Licita modò eſt Polygamia, ſeu Uxorum pluralitas.*

D. Thomas in ſuppl. q. 65. a. 2. *David, & plures alii Deo acceptiſſimi plures leguntur habuiſſe uxores; unde fuit hoc* licitum in lege *veteri*, *ut major eſſet multiplicatio prolis ad cultum Dei educandæ*; . . *tunc enim cultus Dei carnali propagatione multiplicabatur, & conſervabatur*. . nunc autem poſt Chriſti adventum *tempus eſt plenitudinis gratiæ Chriſti*, *per quam cultus Dei in omnes gentes ſpirituali propagatione diffuſus eſt*, *& ideò non eſt modò eadem ratio diſpenſationis* quoad Uxorum pluralitatem, *quæ erat ante Chriſti adventum*.

Accedit maximè, quod Chriſtus Matth. 19. & Marci. 10. conjugium reduxerit ad primævam ſuam inſtitutionem, & naturam, ſcilicet Monogamiam. *Non legiſtis*, inquit, *quia qui fecit hominem ab initio, maſculum, & fœminam fecit eos? propter hoc dimittet homo Pa-*

trem, & Matrem, & adhærebit uxori ſuæ: non dixit *uxoribus*, unde modò illicita eſt uxorum pluralitas.

7. *Poſt carnis reſurrectionem, ſectatoribus Mahometis in beatiſſimo paradiſo pulcherrimarum fœminarum copia promiſcuè ad uſum ſuum ſuppetet.*

D. Thomas Opuſculo 6. quod explicat Symbolum; circa illa verba, *carnis reſurrectionem: dicitur Matth. 22. in reſurrectione neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei*, unde poſt reſurrectionem *nullus erit venereorum uſus*, ne quidem inter limites Matrimonii; nullum enim tunc erit; à fortiori non erit promiſcuus fœminarum uſus. Talemne Errorem & menti cujuſdam imprimi potuiſſe, & hactenùs à tot jam evolutis ſæculis, integræ infixum eſſe Nationi! adeò caligat animus, dum carnalibus immergitur: nec inſcitè dixit Auguſtinus: *ſpargit Deus pœnales cæcitates ſuper illicitas cupiditates.*

Error Monothelitarum. *In Christo una tantum eſt voluntas, & operatio.*

D. Thomas 3. p. q. 18. art. 1. *Dominus dicit Luca 22. Pater, ſi vis, transfer calicem iſtum à me: verumtamen non mea, ſed tua voluntas fiat: ſuper quod Ambroſius dicit, voluntatem ſuam Chriſtus ad hominem retulit, Patris ad divinitatem.*

Deinde in corp. *Macarius Antiochenus Patriarcha, & Cyrus Alexandrinus, & Sergius Conſtantinopolitanus, & quidam eorum ſequaces poſuerunt in Chriſto unam voluntatem: quamvis ponerent duas naturas in Chriſto ſecundum hypoſtaſim unitas, quia opinabantur, quòd humana natura in Chriſto nunquam movebatur proprio motu, ſed ſolùm ſecundùm quòd erat mota à Divinitate: ut patet ex Epiſtola Synodica Agathonis Papæ. Et ideò in ſexta Synodo* (ad quam illa fuit miſſa epiſtola) *apud Conſtantinopolim celebrata determinatum eſt, oportere dici, quòd in Chriſto ſint duæ voluntates. Ubi ſic legitur; juxta quòd olim Propheta de Chriſto, & ipſe nos erudivit, & Sanctorum Patrum nobis tradidit Symbolum, duas voluntates naturales in eo, & duas naturales operationes prædicamus.*

Erroris verò fibras (quæ jam inſinuari cœptæ ſunt) hoc modo, præſertim quoad *operationem* detegit Angeli-

gelicus in q.q. diſputatis, de unione verbi, Art. 5. *Conſiderandum eſt*, inquit, *quod ſi virtus, quæ eſt actionis principium, ab alia ſuperiori virtute moveatur, operatio ab ipſa procedens, non ſolùm eſt actio, ſed etiam paſſio, in quantùm ſcilicet procedit à virtute, quæ à ſuperiori movetur. Sic audire, videre, imaginari, concupiſcere, & iraſci, non tantùm ſunt actiones; ſed etiam paſſiones quædam procedentes à motione voluntatis. Et ideò licet in uno homine ſecundùm diverſas potentias, videantur eſſe plures actiones ſpecie differentes; tamen quia omnes procedunt ab una prima actione voluntatis: dicitur eſſe una actio unius hominis. Sicut ſi unus artifex per multa inſtrumenta operatur, una ejus operatio diceretur. Secundùm ergo hunc modum, aliqui poſuerunt*, (ſcilicet Monothelitæ) *quod in Chriſto eſt una operatio, eò quod humana natura in ea divinæ operationi ſubiicitur, & ab ea movetur, & ſic actio humanæ naturæ in comparatione ad divinam magis habet rationem paſſionis. Unde propter virtutem divinæ actionis, dicebant in Chriſto unam tantum eſſe actionem. Sed hoc irrationabiliter dicebatur. Virtus enim, quæ habet dominium ſui actus, ſcilicet voluntas, ſic movetur à ſuperiori, ſcilicet à Deo, quod non ſolùm agitur, ſed etiam agit, motus ergo humanæ voluntatis in Chriſto, actio eſt, & non ſolùm paſſio, alioquin ſecundùm humanam naturam mereri non potuiſſet.* Proinde *neceſſe eſt, quod ſint duæ actiones in Chriſto, divina, & humana.*

Confirmatur veritas Catholica 3. p. loco præcitato. Ubi, cum S. Doctor ſibi objeciſſet: Inſtrumentum non movetur propria voluntate, ſed voluntate moventis; ergo natura humana non movebatur propria voluntate, ſed divina, utpote Divinitatis inſtrumentum, ſic reſpondet ad 2. *Proprium eſt inſtrumenti, quod moveatur à principali agente, diverſimodè tamen, ſecundùm proprietatem naturæ ipſius. Nam inſtrumentum inanimatum, ſicut ſecuris, aut ſerra, movetur ab Artifice per ſolum motum corporalem. Inſtrumentum verò animatum anima ſenſibili, per appetitum ſenſitivum: ſicut equus à ſeſſore. Inſtrumentum vero animatum anima rationali, movetur per voluntatem ejus. Sic ergò huma-*

na natura in Chriſto fuit inſtrumentum divinitatis, ut moveretur per propriam voluntatem. Præſertim cum *Filius Dei aſſumpſerit naturam humanam perfectam. Ad perfectionem autem humanæ naturæ pertinet voluntas, quæ eſt naturalis ejus poteſtas.* Proinde *neceſſe eſt dicere, quod in Chriſto ſint duæ voluntates*: ſcilicet non ſolum *divina*, ſed & *humana*. In corp.

Errores Armenorum. Aliis rationibus ſuperſedeo. Has videre eſt locis præallegatis, præcipuè articulo de *unione verbi*.

Prætermiſſis Erroribus illicò in Monothelitis, & Eutychete (ſeculo 5.) & ſupra ſæculo 3. in Novato proſcriptis, ad particulares deſcendimus.

1. *In oblatione incruenti ſacrificii, vino minimè aqua admiſcenda eſt.*

D. Thomas 3. p. q. 74. art. 5. *Vino, quod offertur in hoc Sacramento, debet aqua miſceri. Primò quidem propter inſtitutionem: creditur enim, quod Dominus, hoc Sacramentum inſtituerit in vino aqua permixto ſecundùm morem illius terræ. Unde & Proverb. 9. Dicitur, bibite vinum, quod miſcui vobis. Secundò, quia hoc convenit repræſentationi dominicæ paſſionis. Unde dicit Alexander Papa, non debet in Calice Domini, aut vinum ſolùm, aut aqua ſola offerri, ſed utrumque permixtum: quia ex latere ejus utrumque in paſſione ſua profluiſſe legitur. Tertiò, quia hoc convenit ad ſignificandum effectum hujus Sacramenti, qui eſt unio populi Chriſtiani ad Chriſtum: dicit enim Julius Papa: videmus in aqua populum intelligi, in vino verò oſtendi Sanguinem Chriſti: ergo cum in calice vino aqua miſcetur, Chriſto populus adunatur.* Hactenus Doctor Angelicus, vel ipſum potiùs Concilium Florentinum in Decreto unionis, quod hæc D. Th. verba ſibi adoptavit: Unde perſpicuum eſt, quanta ſit ejus in Eccleſia Authoritas. Pergit deinde Florentina Synodus. *Cum ergo*, inquit, *tam Sancta Romana Eccleſia, quàm reliquæ omnes Latinorum, Græcorumque Eccleſiæ ab initio naſcentis Eccleſiæ, ſic ſervaverint, & modò ſervent, inconveniens admodùm videtur, ut alia quavis Regio ab hac univerſali, & rationabili diſcrepet obſervantia. Decernimus igitur, ut etiam ipſi Armeni ... Sacerdotes in calicis oblatione paulùlùm aqua vino admiſceant.*

2. *Annuntiatio Beatæ Mariæ Virginis, Nativitas Domini noſtri Jeſu Chriſti, ejuſdem Circumciſio, ac Epiphania, Purificatio Dei Genitricis, poſſunt celebrari temporibus à ritu Eccleſiæ Latinæ, & Græcæ diſcrepantibus.*

D. Thomas 2. 2. q. 10. art. 12. *Eccleſiæ conſuetudo* (ut etiam Florentinum declarat Concilium) *ſemper eſt in omnibus æmulanda*: proinde præfatæ feſtivitates celebrandæ ſunt temporibus ab Eccleſia præfixis. Illa verò verba Lucæ 3. *Erat Jeſus* (dum Baptizabatur,) *incipiens quaſi annorum triginta*, (quæ ſupra ad hunc Errorem tertium expendimus) non ſunt ſic *mathematicè* accipienda, quaſi eo die, quo Baptizatus eſt, *præcisè*, ſeu *ſtrictè* inceperit annum trigeſimum, ſed intelligenda ſunt juxta interpretationem, & mentem Eccleſiæ, quæ præſata verba non *mathematicè*, ſed *moraliter* accipit, ſuſtinens Chriſtum non *rigorosè* die primo anni trigeſimi, ſed aliquot diebus poſt inchoationem anni trigeſimi, fuiſſe Baptizatum: proinde Nativitas, & Baptiſmus Chriſti non ſunt ſimul colendi 6. Januarii, ſeu in Feſto Epiphaniæ, ſed temporibus ab Eccleſia deſignatis. Interpretatio, mens, conſuetudo Eccleſiæ ſemper eſt in omnibus æmulanda.

Scientia Scripturæ Sacræ Chriſtiano inutilis eſt, Deus enim nihil aliud ab homine exigit, quam bonam actionem. — *Error Gnoſimachorum.*

D. Thomas 1. p. q. 1. art. 1. *Dicitur* 2. *ad Timoth.* 3. *omnis Scriptura divinitùs inſpirata* utilis *eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia, ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus* bonum *inſtructus*: unde & ſtudere Scripturæ Sacræ, cum & ſtudium illud lectorem virtutes doceat, actio bona eſt.

Licet exercere ſimul Paganiſmum cum Fide noſtra. — *Error Ethnophronum.*

D. Thomas 2. 2. q. 110. art. 4. *Dicitur Eccleſiaſtici* 7. *noli velle mentiri omne mendacium*: mentitur autem, & ſibi contradicit, qui ſimul profitetur Paganiſmum cum Fide noſtra; qua Paganus enim plures Deos colit, qua Chriſtianus plures Deos non colit. Non licet igitur Paganiſmum exercere cum Fide noſtra. *Quæ*

ſocietas lucis ad tenebras? quæ conventio Chriſti ad Belial? 2. ad Corinth. 6.

At nonnè licet exterius Idola colere, dummodò quis fidem in mente conſervet?

Hunc ſanè reor fuiſſe Errorem Ethnophronum; (aperta enim Idololatriæ, & Chriſtianiſmi profeſſio de ſe ruit,) ſed & hanc evaſionem, & Ethnophrones tacito nomine refellit Doctor Angelicus 2. 2. q. 94. a. 2. *Quidam Hæretici aſſeruerunt non eſſe periculoſum, ſi quis exterius Idola colat, dum tamen fidem in mente ſervet: ſed hoc apparet manifeſtè falſum. Nam cum exterior cultus ſit ſignum interioris cultus: ſicut eſt perniciosum mendacium, ſi quis verbis aſſerat contrarium ejus, quod per veram fidem tenet in corde: ita etiam eſt perniciosa falſitas, ſi quis exteriorem cultum exhibeat alicui contra id, quod ſentit in mente. Unde Auguſti. dicit contra Senecam libro* 6. *de Civitate Dei: quod eò damnabiliùs colebat Idola, quò illa, quæ mendaciter agebat, ſic ageret, ut eum populus veraciter agere exiſtimaret.* Vide *Helceſeitas*, quibuſcum hæc aſſertio conſpirat ſeculo 2.

Error Chriſtolytarum

Chriſtus cum ſola Deitate & reſurrexit, & in Cælos aſcendit.

D. Thomas 3. p. q. 54. a. 1. *Dicitur Lucæ ultimo, quod, Chriſto Diſcipulis poſt reſurrectionem apparente, illi conturbati, & conterriti exiſtimabant ſe Spiritum videre, quibus Chriſtus dixit: palpate, & videte, quia Spiritus* carnem, & oſſa non habet; *ſicut me videtis habere*; itaque Chriſtus cum *carne ſua*, ſeu corpore, & non cum ſola Deitate (licet reſurrectio Deitati adſcribenda ſit) reſurrexit.

Deinde; ſi Chriſtus ſine carne reſurrexit, quis fuit ille, quem *in medio Diſcipulorum* (Joan. 2.) conſtitutum Thomas tetigit? cujus erant illę manuum cicatrices? cujus lateris vulnera, quæ Thomæ oſtendit, & palpanda præbuit? Divinitas enim nec oculis videri poterat, nec tangi manibus, nec habere cicatrices.

Quòd verò cum Corpore in Cœlum aſcenderit, & non cum ſola Deitate, patet clariſſimè ex Actorum 1. Tum ex illis verbis, *videntibus illis, elevatus eſt;*

Divi-

Divinitas enim nequit cerni oculis ; tum ex ſequentibus: *hic Jeſus, qui aſſumptus eſt à vobis in Cœlum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in Cœlum*. Veniet autem judicaturus in forma humana, proindeque & in illa in Cœlos aſcendit.

Quilibet Scripturam Sacram juxta propriam opinionem interpretari poteſt.

Error Parermeneutarum.

D. Thomas 2. 2. p. q. 171. a. 3. *Dicitur* 2. *Petri* 1. *omnis prophetia Scripturæ* propria interpretatione non fit. Spectat ad Eccleſiam, *quæ eſt columna, & firmamentum veritatis*. 1. ad Timoth. 3. non ad privatum quemlibet hominem, judicare de vero ſenſu Sanctarum Scripturarum.

Obſcuritas S. Scripturæ.

Sanè quàm gravis eſt temeritas indiſcriminatim aſſumere provinciam Sacros interpretandi codices? nonnè illi permultis ſunt involuti obſcuritatibus? nonnè arcana, ænigmata, oracula, myſteria abſcondita à ſæculis in Deo; nonnè plurima intellectu difficillima continent? id teſtantur & Diſcipuli euntes in Emaus, qui non intelligebant Scripturam, niſi eam Chriſtus interpretaretur Lucæ 24. & Eunuchus Reginæ Æthiopum, qui rogatus à Philippo, an intelligeret Iſaiam Prophetam, quem legebat, reſpondit. Act. 8. *Quomodò poſſum, ſi non aliquis oſtenderit mihi?* Princeps quoque Apoſtolorum in ſua poſteriori Epiſtola c. 3. differens de Epiſtolis Paulinis ſic ait. *In quibus ſunt* quædam difficilia intellectu, *quæ indocti, & inſtabiles depravant; ſicut & cæteras Scripturas ad ſuam ipſorum perditionem.*

Sectarii

Hæc cum ita ſint, cur promiſcua Scripturæ lectio vulgaribus, agricolis, cæmentariis, mulierculis apud Sectarios (qui ſunt hodierni Parermeneutæ) effuſis habenis conceditur? nonnè illic in una familia ſcrutandis Bibliis devota tanta crebrò cernitur opinionum differentia, ut implacabilis belli civilis ſpeciem præ ſe ferre videatur? profectò, ut tollatur effrænis diverſa opinandi pruritus, ipſa ratio dictaret, reſecandam eſſe lectionem Scripturæ in verſione vernacula. Conſiderarunt, & ipſi paſſim Acatholicorum miniſtri feraces, & infelices ſequelas ex præfata le-

ctione profluentes: animadverterunt Anabaptiſtas, Socinianos, Mennoniſtas, alioſque tenebriones, quos ipſi æquè, ac nos damnant, ex tali fonte prodiiſſe, imò quotidie experiuntur malum longiùs ſerpere, & tot fermè naſci ſectas, quot ſunt capita. Quid agent igitur? fontem illum libenter obſtruerent, ſed verentur torrentem populi ſtatim ad præceptam à reformationis fundatoribus Scripturæ lectionem provocaturi, hæc Sectarii vel fatentur inter ſe, vel muſſitant in cordibus ſuis, vel hæc invitis licet, & reluctantibus pectoribus veritas extorqueat, neceſſe eſt.

Juſta proinde, & prudens fuit lex Eccleſię, quę prohibuit paſſim lectitationem Bibliorum in lingua vulgari. Cuilibet nota eſt quartà illa regula Indicis Concilii Tridentini. *Cum experimento manifeſtum ſit, ſi Sacra Biblia vulgari lingua paſſim ſine diſcrimine permittantur, plus indè ob hominum temeritatem detrimenti quàm utilitatis oriri, hac in parte judicio Epiſcopi, aut Inquiſitoris ſtetur, ut cum conſilio Parochi, vel confeſſarii, Bibliorum a Catholicis authoribus verſorum lectionem in lingua vulgari iis concedere poſſint, quos intellexerint ex hujuſmodi lectione non damnum, ſed fidei, atque pietatis incrementum capere poſſe; qui autem abſque tali facultate ea legere, aut habere præſumpſerit, niſi Bibliis Ordinario redditis, peccatorum abſolutionem percipere non poſſit.* Neque in hoc crudelitatis arguenda eſt Eccleſia, ſed pia Mater cenſenda, utpote conſulens infirmæ Puſillorum conſcientiæ, & occaſionem reſecans Erroris. Nonnè enim, ſi irrefragabilia Sanctorum Patrum expendantur teſtimonia, omnes paſſim ex Scriptura male intellecta pullularunt Hæreſes.

Huc maxime ſpectant ea, quæ *D. Thomas* adducit 1. 2. q. 101. art. 2. ad 1. *Dicendum, quòd divina non ſunt revelanda hominibus, niſi* ſecundum eorum capacitatem, *alioquin daretur eis præcipitii materia, dum contemnerent*, aut ſiniſtre interpretarentur ea, *quæ* capere non poſſunt?

At nonne jam ceſſavit, inquies, ſaltem in hoc noſtro Belgio regula 4. Indicis.

Minime verò; non recenſeo, & antiqua, & nova

Anti-

Antiſtitum noſtrorum ſtatuta obſervationem iſtius regulæ præcipientia. Adverſantium ora obſtruantur, neceſſe eſt per recentiſſimam Conſtitutionem Clementis XI. feliciter regnantis, quæ famoſas centum inter Propoſitiones & unam, hanc etiam vaticano fulmine feriit, *lectio Scripturæ Sacræ eſt pro omnibus. Roma reſcripta venerunt*, (hoc cum Auguſtino repetimus) *cauſa finita eſt*. Deſinant nonnulli varias tum hujus, tum aliarum propoſitionum explicationes diſſeminare: deſinant Romano obſtrepere oraculo; deſinant vires omnes, ſtudium, induſtriam, opem, machinas harum defenſioni conſecrare: Roma intonuit: lis omnis terminata, & dirempta eſt. **Clemens XI. etiam definit lectionem S. Scripturæ non eſſe pro omnibus.**

Fuerint olim *Paulæ*, *Marcellæ*, *Fabiolæ*, *Demetriades*, aliæque viragines in lectione Bibliorum aſſiduæ (id quod *P. Queſnel* potiſſimùm urget dans ſa ſixieme memoire contre la Conſtitution;) fuerit praxis diverſa priſcis illis temporibus: alia modò eſt Eccleſiæ, quæ ſe circumſtantiis, temporum anguſtiis, ſubditorum imbecillitati, pronis in ſcandalum, & Errores animis accommodat, conſuetudo. Eccleſia non minus *hodiè*, quam *heri eſt columna, & firmamentum veritatis*. Vide Opuſculum noſtrum *in prop. damnatas*. pag. 220. & ſequentibus.

APPENDIX AD SÆCULUM VII.

Heicetæ. HEicetæ vitam Religioſam profitebantur, & in omnibus Eccleſiæ authoritatem reverebantur, niſi quòd Dei ſe laudibus præclare defungi opinarentur, ſi unà cum Sanctimonialium turmis, Choreis, tripudiiſque vacarent. Qua in re imitari ſe gloriabantur inſtitutum *tunc* à Moyſe Chorum, cùm in mari rubro Ægyptios fluctus oppreſſit.

Imitatio ridicula, nec à peccati exempta periculo. Quoties SS. Patres tripudium cum diſpari ſexu non appellarunt *centrum Diaboli*?

Chazinzarii. Chazinzarii Armenorum hæreticorum proles à voce *Chazus* vernacula eorum lingua Crucem denotante nomen hauſerunt. Nullam enim præter *Crucem*, venerabantur imaginem.

Reducuntur ad *Iconoclaſtas* pag. 160.

Thnetopſychitæ. Thnetopſychitæ animas hominum unà cum corporibus inſtar pecudum interire (cui errori ipſum nomen aptè reſpondet) fabulabantur.

Vide *Arabicos* pag. 54.

Theocatagnoſtæ. Theocatagnoſtæ, id eſt in Deum blaſphemi ſic nominati ſunt, quòd quædam, quæ à Deo facta, vel dicta fuerant in ſacris literis, reprehenderent.

Non ita remoti ſunt à *Florino* pag. 32.

Lampetiani. Lampetiani (à Lampetio quodam) vota condemnabant *Monaſtica*.

Illum errorem poſt 700. annos redintegrarunt *Wicleffiſtæ*: pag. 273.

ERRONES SÆCULI OCTAVI.

Agonyclitæ. AGonyclitę *genuflexionem in fundendis precibus* condemnabant. Hinc dum orabant, genuflectere nolebant, ſed ſemper *ſtantes* precabantur.

Iconoclaſtæ. Iconoclaſtarum Hęreſis, cujus Author fuerat *Xenaias* Perſa, Hierapolitanus Epiſcopus, (de quo ſub calcem ſæculi quinti) anno 723. à Judęis inſtaurata eſt. Judęorum illorum, qui tam atroci in ſuperos bello facem ſubminiſtrarunt, Dux fuit *Sarantapheclys*, veneficus, ac pręſtigiator inſignis. Is, ut conceptum jam diù adversùs Chriſtianos odium aliquando exſaturaret, *Ezidum* Arabum Regem, cujus leviſſimum eſſe norat ingenium, convenit: vaticinandi illi artem oſtentat, diuturnum ei ſpondet imperium, ſi ex Chriſtianorum templis, totiuſque regni ſui finibus Chriſti & Sanctorum eliminet imagines. Pręſtigiatori auſcultavit Princeps imprudentiſſimus. E veſtigio imagines omnes ſive in templo, ſive in foro eſſent, revelli, ac perfringi jubet. Cumque imperata exequi nollent Chriſtiani ſatellites, ea Hebręi, & Arabes alacriter perfecere. Cęterùm fallax vaticinium nulli magis, quàm vel vaticinanti, vel obſequenti fuit exitio. Nam

& Rex

& Rex ipſe poſt ſeſquiannum interiit, & *Ulidus* ejus Filius, ac hæres Hebræum vatem, ut Patris interfectorem de medio ſuſtulit.

Dum hęc geruntur; *Leo*, dictus anteà *Conon* obſcuro in Iſauria genere natus, ſed militaribus ſuffragiis imperio admotus, meditatum diù ſcelus explicat; bellumque implacabile ſacris indicit Iconibus. Ad id porro ſe obſtrictum eſſe vi ſacramenti exiſtimavit. Duobus enim Judæis ei, dum gregarium ageret militem, imperium prædicentibus, ſed exigentibus juramentum, quòd tunc imagines demoliretur, illud impiè præſtiterat. Leoni calcar addidit *Conſtantinus* ignobilis oppidi in Pamphylia Epiſcopus; ob enormia crimina à civibus ſede ſua deturbatus. Acceſſit quidam *Bezeris*, qui ex Chriſtianis ortus parentibus, cum captivus in Syriam eſſet abductus, ex Arabum conſortio Mahometanis ſuperſtitionibus imbutus erat. Hic libertate donatus, cum ad Romanorum ditiones rediiſſet, primò familiariter egit cum Conſtantino, deinde ſe in gratiam Imperatoris penitus inſinuavit. Utriuſque ſuaſionibus inflammatus Leo, qui de ſe aliunde ad omnia properans flagitia, in criminum verticem enitebatur, totum animi impetum in everſionem effundit imaginum: eas non ex templis tantùm, & privatis ædibus dejicit, & abradit, ſed etiam pervetuſtæ, magnæque Religionis ſtatuam Salvatoris Domini noſtri Jeſu Chriſti, quæ ad ęneam urbis portam in excelſo, illuſtrique loco diù ſteterat, vi, ferroque convellit, comminuit, conterit. Percellitur tam triſti ſpectaculo civitas; undique ad arma concurritur. Regii diſcerpuntur apparitores, & adminiſtri: fremit Imperator, accepta injuria, & natura ferox, ac truculentus ferinam exardeſcit in rabiem; publico edicto omnem imaginum cultum abrogat; earum cultoribus interdicit aqua, & igne: alios in exilium relegat, aliis manus abſcindit, alios crudeliter jugulat, totam denique Rempublicam velut immaniſſimus verè Leo lacerat, & cruentat. Duodecim deinde aggreditur imperialis Collegii Profeſſores, viros pietate, ac rerum divinarũ ſcientia conſpicuos, & ſine quorum conſilio quidquam agere præ-

Leo Iſaurus.

præcedentes Imperatores nefas duxerant. Hos cum in ſuorum Errorum ſentinam pertrahere non poſſet, ſed acerrimos experiretur adverſarios, unà cum inſtructa Bibliotheca noctu imperat concremari. Sanctorum præterea opem deridere, loculos perfodere, Reliquias fœdare, Sacratos cineres in aerem, plateas, mare projicere, nec homines, nec Deum vereri. Efferatum Leonem ſiſtere conatus eſt *Germanus* Patriarcha Conſtantinopolitanus, cujus eximiam ſanctitatem, venerandam canitiem, & ſingularem in paſcendis, inſtruendis, conſervandis ovibus vigilantiam colebant univerſi. Proponit, & exponit Imperatori Eccleſiæ in colendis Iconibus deductam ab Apoſtolis uſque conſuetudinem; ſolemnia, quæ emiſerat, promiſſa de non convellendis Eccleſiæ ritibus, dum Imperator inauguratus eſt, revocat in memoriam; ipſum per ſacra omnia obteſtatur, ut à Sanctarum deſiſtat violatione imaginum. Excanduit impotens ſui Imperator, inflictaque ei alapa, Antiſtitem Regia expulit. Nec iræ litatum ſatis; illum impietati ſuæ ſubſcribere renuentem ſolio dejecit Conſtantinopolitano, ac in ſedem intruſit *Anaſtaſium* ejuſdem Hæreſeos propugnatorem. Nec Joanni pepercit Damaſceno, humanarum, divinarumque rerum eruditione florentiſſimo; qui tunc in aula verſans *Hiliam* Saracenorum Principis, ipſi à Conſiliis primarius, & Damaſci præfectus, fidem ſcriptis adverſus naſcentem hæreſim ſolidiſſimis tuebatur. Ipſum itaque pravis artibus perdere decrevit. Quadam ſcilicet epiſtola illius intercepta, aliam characteribus perſimilem à ſcribis exarari juſſit peritiſſimis, quæ tanquam ad ipſum Leonem ſcripta, illum ad regiam urbem Damaſcum oppugnandam invitaret, deditionem ei ſpondens. Hanc ad Saracenorum Ducem tranſmiſit, ut ipſum in *Joannem*, velut in proditorem Patriæ, & reum Majeſtatis accenderet. Nec inanis fuit impii Leonis conatus. Dux enim vocato *Joanni* Epiſtolam objecit, proditionemque exprobravit. Is lecta Epiſtola, literarum formas ſuis quidem ſimiles eſſe reſpondit, ſe verò neque epiſtolam illam exaraſſe, neque machinationem in ea contentam unquam

Joannes Damaſcenus, imaginum propugnator.

ſibi

ſibi in mentem incidiſſe, conteſtatus eſt. Juſtam purgationem audire noluit Princeps Barbarus: illi confeſtim dextram amputari juſſit, quam tamen eodem, quo abſciſſa eſt, die ei reſtituit Clementiſſima Dei Mater, ad cujus ille imaginem velut ad ſacram anchoram, piis fletibus, & ſupplici fide confugerat. Felix vulnus, quod à Maria curari debuit. Tandem Leo diris afflictatus torminibus inter angores, & ejulatus impiam exhalat animam. *Amputatam ſibi dextram, ope deiparæ recuperat.*

Leonis imperio, & impietati ſucceſſit ejus Filius *Conſtantinus*, dictus *Copronymus*, quòd Sacros fontes ventris onere in Baptiſmo conſpurcaſſet. Ad hoc attonitus Patriarcha *Germanus* prædixerat Rempublicam, & Eccleſiam ejus aliquando flagitiis polluendam. Prædictionem comprobavit eventus. Nam ſi flagellis Leo, ſcorpionibus cecidit Eccleſiam Copronymus, homo natus ad eradicandam omnem, quantùm in ipſo fuit, Religionem. Ut ſui principatus initia bonis videlicet auſpiciis conſecraret, generali ſtatim vetuit edicto, ne quis aut eos, qui vitæ Sanctimonia excelluerunt, Divos appellaret, aut eorum Reliquias veneraretur, aut tanquam Patronos, ac advocatos imploraret, quòd illos nihil nobis prodeſſe poſſe effutiret, ne Deiparam quidem Virginem, quam nec ſic quidem voluit nominari. Quin etiam ſumptis aliquando loculis auro plenis, ex iis, qui aderant, ſciſcitatus eſt, quanti eos æſtimarent: reſponderunt: *magni*: vacuos deinde eoſdem oſtendit percontatus, quanti eos licerentur; cumque reſponſum eſſet, *nihil: ita*, inquit, *Maria quoque, dum Chriſtum geſtavit utero, in honore fuit, poſtquam verò eum peperit, nihilo reliquis mulieribus præſtantior eſt.* O execrandam blaſphemiam! Hanc cives impietatem graviſſimè ferentes *Artabaſdum* Curopolatem Copronymi affinem è ſororis conjugio, Imperatorem deſignant, *Bezerem* tot malorum machinatorem interimunt, Copronymum conviciis proſciſſum exuunt imperio. Curopolates urbem ingreſſus mox Sacras imagines reſtituit, quo facto populum demeritus eſt. Verùm breviſſima fuit de Tyranni exauctoratione, & redintegrato imaginum cultu lætitia; coacto enim exercitu, *Conſtantinus Copronymus.*

citu, *Artabaſdum* fudit Copronymus, eoque cum Filiis trucidato, imperio ſine æmulo potitus eſt: quo ex tempore bellum adversùs Sanctorum effigies, earumque cultores renovavit ardentiùs. Impium namque Concilium trecentorum triginta, & octo Epiſcoporum, qui à fide defecerant, convocavit Conſtantinopolim, ut Sacras imagines authoritate, & decreto Eccleſiæ aboleviſſe videretur. Horum Epiſcoporum facilè Principes erant *Theodoſius* Epheſi, & *Paſtillas* Pergæ in Pamphylia Antiſtites. Hi nemine è Catholicis vocato Præſulibus; Romano Pontifice, ſeu ejuſdem Legato, Alexandrino, Antiocheno, & Hieroſolymitano Patriarchis abſentibus, & ne quidem invitatis, aut conſultis, à decima die Februarii uſque ad octavam Auguſti anni 754. pſeudo-Synodum prorogarunt. In ea dictum fuit anathema imaginum cultoribus, ac defenſoribus, præſertim *Germano* Conſtantinopolitano anteà Patriarchæ, & *Joanni Damaſceno*. Ea re peracta, Copronymus ad ſuę Synodi ſubſcriptionem Presbyteros, ac Monachos univerſos adigere conatus eſt. Verùm reſtitit eorum optimus quiſque, nec illi Conſtantini tyrannidem timuere jam jam ſuis cervicibus imminentem, ſed lubentibus animis excepere oblatam ſibi facultatem bibendi calicem Domini, & *lavandi ſtolas ſuas in ſanguine agni*. Deſævierunt in defenſores imaginum carceres, flagra, lapides, gladii, ignes, rotæ, ſed fruſtra: nullis enim ſuppliciis à cultu imaginum Clerus uterque avelli potuit. Tandem novus Julianus à Maria profligatus, ut vetus à Chriſto in expeditione Bulgarica igne interno conflagrans, cum exclamaret ſe vivum cremari propter Mariam Deiparam, cruciatibus æternis animam tradidit.

Leo Porphyrogenitus. Leo Porphyrogenitus dira etiam bella Imaginum cauſa geſſit in Orthodoxos, donec anno quinto imperii, ſacrilegio cumulavit priora crimina: coronam enim inſignem è Sanctæ Sophiæ raptam capiti cum applicuiſſet, carbunculis igneis è capite tumeſcentibus, acerbiſſimos inter dolores periit.

Tandem ſub Conſtantino etiam Porphyrogento Leonis Filio, curante Irene Matre Religionis maiore in-

incenſa; convocata eſt ſecunda Synodus generalis Nicæna (aliàs Synodus ſeptima) in qua Adriano I. Pontifice Maximo illic per Legatos præſidente, & præſentibus 350. Epiſcopis, cultus imaginum inſtauratus eſt; vibratum Anathema in eos, qui dicunt, *Quòd Chriſtiani ad Iconas, veluti ad Idola accedant*, pſeudo-Synodus damnata, & pax Eccleſiæ reſtituta eſt, Deo per infirmam mulierē trium Imperatorū Hereſim convellente.

Chriſtianocategori latinè *accuſatores Chriſtianorum* dicti ſunt, quòd ipſorum cauſa, Chriſtiani ab adverſariis dicerentur *Idolorum cultores*, quaſi *ut Deos* imagines colerent, ſicut & eandem hodiè calumniam à Sectariis Catholici patiuntur. ***Chriſtianocategori.***

Hoc etiam ſæculo inſignes duo emerſerunt impoſtores *Adalbertus Gallus*, & *Clemens Scotus* pſeudo-Epiſcopi. *Adalbertus* Sacerdotium luxuria commaculans, ac publicis relictis Eccleſiis, Cruces, & Oratoriola in campis ubique ſtatuens falſis ſignis populum ludificabat, ſibique ſanctitatem ac ſecretorum cordium ſcientiam vendicans, ſuo quoque nomine Eccleſias conſecrabat. Eò uſque prorupit, ut & capillos ſuos, & ungulas pro Reliquiis circumferendos, honorandoſque omnibus traderet. Multa deinde de mirabili ſuo ortu mentitus eſt, & Epiſtolam ineptiſſimam velut Jeſu Chriſti divulgavit: illam verò finxit è Cœlo in civitatem Jeruſalem cecidiſſe, & per Archangelum Michaelem inventam aliis innotuiſſe. Ignotorum denique Angelorum nomina invocans Dæmones in ſui patrocinium implorabat. ***Adalbertus Gallus & Clemens Scotus.***

Clemens ſacros canones, expoſitiones Sanctorum Patrum, & Decreta Synodalia reſpuebat: ſed & impudicitiam cum Sacerdotio conjungens affirmabat ſe poſt duos Filios ex adulterio ſuſceptos, licitè poſſe eſſe legis Chriſtianæ Epiſcopum.

Hos verò vitæ facinoroſiſſimæ adjunxit Errores.

1. *In nova lege poteſt frater defuncti fratris uxorem ſibi in matrimonio jungere.*

2. *Dominus Jeſus Chriſtus deſcendens ad inferos, pios, & impios ſimul indè eduxit.*

Felix natione Hiſpanus, Urgellę, quę civitas eſt in Pi- ***Felix Urgelitanus & Elipandus.***

Pirenæi montis jugo ſita, Antiſtes ab *Elipando* Archiepiſcopo Toletano conſultus, quid de humana Chriſti Servatoris natura ſentiendum foret: utrum quà *homo* eſt, proprius, an adoptivus Dei Filius dicendus eſſet: adversùs antiquam Eccleſiæ Catholicæ doctrinam *adoptivum* eſſe non ſolùm aſſeruit, ſed etiam ſcriptis ad præfatum Præſulem libris, pravum dogma, *Neſtorianiſmum* novis fucis obſitum renovans omni, quà potuit, contentione animi propugnavit. Ambo Antiſtites varias Provincias teterrimo Erroris ſui veneno infecerunt: *Elipandus* Aſturiam, & Galæciam; *Felix* Septimaniam: Galli verò & Germani virus ſibi propinatum divina virtute eliſerunt. Porro *Felix*, inſtar Prothei varias formas induit. Cum enim Hæreſim in Concilio Ratiſponenſi anno 792. ejuraſſet, ſopitos hæreſis cineres Elipando ſtimulante ſuſcitavit. Poſteà verò Aquiſgrani, præſente etiam Imperatore Carolo Magno, erroris convictus, veram fidem confeſſus eſt, & ad Eccleſiæ unitatem ſeriò reverti viſus; at reperta quædam poſt ejus obitum ſchedula ingens de illius converſione dubium poſteris impreſſit. *Elipandus* pervicaciſſimus ſenex diù veritati reluctatus eſt; ſed ipſi tandem, miſerante Dei gratia emollitus ceſſit, & Romanæ ſe acquieſcere definitioni profeſſus, in Eccleſiæ gremio, ut communior fert opinio, occubuit.

Eorum error, jam antea in *Neſtorio* per Epheſinos Patres confixus, denuo proſcriptus eſt à trecentis circiter Epiſcopis *Francofurti* ad Mænum Fluvium in Germania, ex univerſa Italia, Gal ia, Germania, & Britannia collectis. Unde Concilium illud *Francofurtenſe* tùm ob numerum Antiſtitum, tum ob præſentiam Legatorum ſedis Apoſtolicę, illi nomine *Adriani* 1. Pręſidentium *Generale* quodammodò appellari poteſt.

Refelluntur Errores Sæculi octavi.

Error Agonicly-tarum *Non valet genuflexio, dum preces fundimus.*

D. Thomas 2. 2. q. 84. art. 2. ad 2. Genuflectimus orando, *noſtram infirmitatem deſignantes in ordine*

dine ad Deum. Nonnè etiam Dominus Lucæ 22. *poſitis genibus orabat*?

Non licet colere Chriſti & Sanctorum imagines. — Error Iconoclaſtarum.

D. Thomas in 3. diſt. 9. 1. art. 2. quæſtiuncula 2. ad 3. *Apoſtoli multa tradiderunt* (ſtandum verò eſt Traditionibus iuxta illud Apoſtoli 2. ad Theſſal. 2. *State, & tenete Traditiones, quas didiciſtis, ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram,*) *inter quæ tradita unum eſt de uſu imaginum. Fuit autem triplex ratio inſtitutionis imaginum in Eccleſia. Primò ad inſtructionem rudium, qui eis quaſi quibuſdam libris edocentur. Secundò, ut Incarnationis myſterium, & Sanctorum exempla magis in memoria eſſent; dum quotidiè oculis repræſentantur. Tertiò ad excitandum devotionis affectum, qui ex viſis efficacius excitatur, quàm ex auditis.* — Sectarii

Catholici ſunt Idolorum cultores, quia ut Deos, colunt imagines. — Error Chriſtianocategorum.

Eſt & error, & calumnia tum hoc, tum ſæculo 16. impacta Catholicis, ut Orthodoxæ fidei conflettur invidia, unde & hodie Sectarii dici queunt *Chriſtianocategori.* — Sectarii.

1. *In nova lege poteſt frater defuncti fratris uxorem ſibi in matrimonio jungere.* — Errores Clementis Scoti.

D. Thomas in ſupplem. q. 55. art. 8. ad 2. *Frater poterat accipere uxorem fratris ſui defuncti in caſu, quando ille moriebatur ſine prole, ut ſuſcitaret ſemen fratri ſuo, quod tunc requirebatur, quando per propagationem carnis cultus religionis multiplicabatur, quod* nunc in nova lege, in qua per ſpiritualem gratiam, non per carnis commixtionem cultus Dei extenditur *locum non habet.*

Porrò aſſertio Clementis Scoti *univerſalis* erat; & ſic falſa eſt. Poteſt alioquin ſummus Pontifex hoc in negotio certis de cauſis interdum diſpenſare, prout nonnulla cum antiqua, cum recentiora probant exempla.

2. *Dominus Jeſus deſcendens ad inferos, pios, & impios ſimul indè eduxit.*

D. Thomas 2. p. quæſt. 52. art. 6. *Dicitur Oſee 13. ero mors tua, ò Mors, morſus tuus ero, inferne; electos, ait*

gloſſa interlinearis, *educendo*, reprobos ibidem relinquendo.

Et ratio eſt, quia *Chriſtus deſcendens ad inferos operatus eſt in virtute ſuæ paſſionis, & ideò ejus deſcenſus ad inferos, illis ſolis liberationis contulit fructum, qui fuerunt paſſioni Chriſti conjuncti per fidem charitate formatam; per quam peccata tolluntur. Illi autem, qui erant in inferno damnatorum, aut penitus fidem paſſionis Chriſti non habuerant, ſicut infideles; aut ſi fidem habuerant; nullam conformitatem habebant ad charitatem Chriſti patientis, unde nec à peccatis ſuis erant mundati. Et propter hoc deſcenſus Chriſti ad inferos non contulit eis liberationem à reatu pœnæ infernalis.*

Huc etiam ſpectant verba illa Matth. 25. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum* &c. ſupra allegata ſæculo 3. ad Errorem 6. Origenis de *damnatione impiorum quandoque finienda*, cui errori hic vicinus eſt.

Error Felicis Urgelitani & Elipandi.

Chriſtus ſecundùm humanitatem, tantùm eſt Filius Dei adoptivus.

D. Thomas 3. p. q. 23. art. 4. *Ambroſius dicit in libro de Incarnatione adoptivum Filium non dicimus Filium eſſe natura, ſeu eum dicimus natura eſſe Filium, qui verus eſt Filius. Chriſtus autem eſt verus, & naturalis Dei Filius, ſecundùm illud* 1. *Joan. ult. ut ſimus in* vero Filio Jus Jeſu Chriſto; & Matth. 3. *Hic eſt Filius meus dilectus*, aliaque Scripturarum teſtimonia, *igitur Chriſtus ſecundùm quòd homo, non eſt Filius Dei adoptivus.*

Ratio etiam id evincit Theologica. *Filiatio proprii convenit hypoſtaſi, vel perſonæ, non autem naturæ, filiatio enim eſt proprietas perſonalis, in Chriſto autem non eſt alia Perſona, vel Hypoſtaſis, quàm increata, cui convenit eſſe Filium per naturam. Porrò filiatio adoptionis eſt participata ſimilitudo filiationis naturalis. Non autem recipitur aliquid dici participativè, quod per ſe dicitur. Et ideò Chriſtus, qui eſt Filius Dei naturalis, nullo modo poteſt dici Filius adoptivus. Secundùm autem illos, qui ponunt in Chriſto duas perſonas* ut ponebat Neſtorius, quem *Felix*, & *Elipandus* pone ſequuntur) *nihil prohiberet, Chriſtum hominem, dici Filium adoptivum.*

At

At audio: Chriſtus ut homo non eſt genitus à Patre per æternam generationem: ergo nec eſt Filius Dei naturalis. *Object.*

Sed negatur ſequela. Idem enim ille, qui ut Deus, eſt Filius Dei naturalis per æternam generationem; eſt in quantùm homo, Filius naturalis per unionem Hypoſtaticam: quia per eam factum eſt, ut Humanitas, verè, & propriè ſit ſubſtantialis natura Filii Dei: & conſequenter, ut hic, in quantum homo, ſit Filius Dei naturalis. Quapropter duobus modis Chriſtus poteſt dici Filius Dei naturalis. Uno modo per æternam generationem. Alio modo per unionem ſubſtantialem. Illo modo Chriſtus ut Deus, eſt Filius Dei naturalis: hoc modo Chriſtus, ut homo, eſt, & dicitur Filius Dei etiam naturalis. *Reſp.*

APPENDIX AD SÆCULUM VII.

Pauliciani ſeu *Paulo-Joannitæ* nomen ſortiti ſunt *Paulo*, & *Joanne* verè natura, & impietate germanis. Fuerunt natione Armeni. *Pauliciani.*

Præter *Manichæiſmum*, quem refricabant, docuerunt, *his verbis contineri Baptiſmum*, ègo ſum aqua viva: *iſtis autem Eucharistiam*, accipite, manducate, & bibite.

Deinde; *omnem honorem Cruci* detrahebant.

Si tamen in morbum incidiſſent, Crucem quamdam ligneam tanquam efficax remedium ſibi applicabant: morbo ceſſante, eam ſumma impietate in mille partes ſecabant.

Hic error conſentit cum *Iconoclaſtis* pag. 160. *Bongomolis* pag. 198. *Petro de Bruis* pag. 200.

Alter convellitur per verba formæ utriuſque Sacramenti. De quibus D. T. 3. p. quæſt. 66. art. 5. & q. 78. art. 2. & 3.

ERRONES SÆCULI NONI.

Sergius. SErgius à Sergio Monothelita, aliiſque iſtius nominis diſtinctus, Manichæorum in Aſia inſtauravit Errores. Se nominabat Apoſtoli Diſcipulum ſcilicet *Tychicum*, (ad Epheſ. 6.) ſeque & *Lucidam ſtellam*, & *Paracletum* fingens plurima ſub fuco Sanctitatis perpetravit ſcelera, ac doctrinam pernicioſiſſimam evomuit.

Præcipuum illius dogma, hoc erat. *Fornicatio peccatum non eſt, ſed naturæ potiùs beneficium.*

Claudius Taurinenſis. Claudius natione Hiſpanus fuit, profeſſione Presbyter, *Felicis* verò *Urgelitani* (de quo ſæculo 8.) Diſcipulus. Cum in Gallias veniſſet, in palatio *Ludovici Pii* Imperatoris ſubſiſtens, illius Principis beneficio ad Epiſcopatum Taurinenſem in ſubalpinis promotus eſt. Cum verò ſuam luſtrans Diœceſim, quoſdam abuſus in ſacrarum cultum imaginum irrepſiſſe comperiſſet, in ipſam *venerationem imaginnm* invectus fuit, quin & eo temeritatis, ac ſacrilegii prorupit, ut figuram Crucis Domini ſuo juſſu ex Eccleſiis dejectam proculcarit: Hæc cùm à Theodorico Abbate fuiſſent reprehenſa, prolixam adverſus eundem pro impio errore ſuo ſcripſit Apologiam, quæ ab Epiſcopis diſcuſſa juſtiſſimè damnata eſt.

Cum error errorem præſertim affinem ſeminet, effutiit etiam cum Vigilantio non eſſe *colendas Sanctorum Reliquias*.

Thiota pſeudo Prophetiſſa. Thiota, ſeu Theoda in regno Sueciæ nata eſt. Adverſus Apoſtoli præceptum (*docere mulieri non permitto* 1. *ad Timoth.* 2.) docendi, & prædicandi munus arripuit. *Moguntia* illud doctrinæ monſtrum vidit fundens etiam vaticinia. Determinare audebat *diem & horam extremi judicii*. Ob illum errorem, & tumultum popularem indè exortum verberibus affecta, in exilium pulſa eſt.

Gotheſchalcus ex Germania oriundus, vitam religioſam profeſſus eſt in Gallia, in Abbatia Orbacenſi (Orbais) ordinis Benedictini Diœceſeos Sueſſionenſis. SS. Patrum, ſed præſertim Auguſtini doctrinę impigram navavit operam. At illius Dogmata in alienos ſenſus detorquens, in hos lapſus eſt Errores. *Gotheſchalcus.*

1. *Sicut Deus quoſdam ad vitam æternam prædeſtinavit, ſic etiam alios ad mortem æternam prædeſtinavit, cogitque homines interire.*

2. *Non vult omnes homines ſalvos fieri, ſed eos duntaxat, qui ſalvantur.*

3. *Chriſtus tantum pro electorum ſalute mortuus eſt, non autem pro redemptione omnium hominum.*

Fuit homo quietis impatiens, ſcientia tumidus, protervus, ciendis tumultibus, ac diſſidiis devotus. Sine ſuperiorum licentia peregrinationis cauſa Romam ſe contulit, ac diù multùmque divagatus, & prędicandi munus ſine miſſione uſurpans ſua ubique ſparſit dogmata. Damnatus eſt Gotheſchalcus, ejuſque Errores confixi ſunt in Synodo Moguntina ſub Archiepiſcopo *Rabano* celebrata. Inde ad ſuum Metropolitam Rhemenſem (*Hincmarum*) remiſſus, in Synodo * Cariſiaca ab Epiſcopis Gallię declaratus pariter fuit Hereticus: cumque errores prefractè tueretur, eorum Decreto virgis cęſus, ac ne alios veneno doctrinę inficeret, in quoddam Monaſterium Diœceſis Rhemenſis detruſus, carcerique mancipatus eſt. *Hincmarus* nihil non tentavit, ut *Gotheſchalcum* ad ſaniorem mentem revocaret, maximè dum Lethali morbo correptus vergere ad exitum cœpit. Ad ipſum miſit formulam ejus aſſertionibus oppoſitam, cui ſubſcriberet, id ni faceret, & Viatico, & poſt mortem Eccleſiaſtica privandus ſepultura: ſed à ſua nequiit ſententia dimoveri; preces, minas, pœnas, rationes eluſit; ſuumque eſſe procaciter jactitans *Auguſtinum* ſine Sacramentis errori immortuus eſt, & Sacra orbatus ſepultura.

* *Cariſiacum vulgo Kierſy villa Regia in pago ſueſſionenſi.*

Cęterùm nonnulli hoc ſęculo 9. Gotheſchalchi patrocinium ſuſcepiſſe viſi ſunt, quos inter *Prudentius* Tricaſſinus Antiſtes ſcribens ad *Hincmarum* Rhemenſem, & *Pardulum* Laudunenſem Epiſcopos, *Lupus*

Abbas Ferrarienſis in libello de tribus quæſtionibus: aliique. His quidam acceſſerunt Recentiores, ſed hæ certè, quæ circumferuntur, propoſitiones omnino ſunt erroneæ.

Photius Cum Ignatius Michaelis Curopalatæ Græcorum Imperatoris Filius, & Conſtantinopolitanus Patriarcha ſanctiſſimus, Bardam, hominem impuriſſimum, ſed in aula præpotentem Fidelium communione ſubmoviſſet ob ſtupri cum propria Nuru conſuetudinem, graviſſimam illius indignationem incurrit. Relegatur in inſulam Terebinthum à ſubornatis teſtibus accuſatus, quod adverſus Michaelem Porphyrogenitum Imperatorem conſpiraſſet. Mittuntur deinde Epiſcopi aulici, qui ceſſionem Patriarchatus, Eccleſiaſticæ pacis gratia apud Ignatium vehementer urgent. At invictiſſimus Præſul nec precibus, nec minis adduci potuit, ut ſe Epiſcopatu abdicaret. Quam illi conſtantiam, non dignitatis amor, ſed Eccleſiaſticæ libertatis, & æquitatis ſtudium, quam ceſſione ſua videbat oppreſſam iri, imperabat. Varia interim molitur Bardas, ſuis partibus agglutinat *Gregorium* Syracuſanum Antiſtitem, ante aliquot annos ab Ignatio ob inſignia crimina in Concilio damnatum, & ſua dignitate privatum, quam Ignatii ſententiam poſtea *Benedictus* Papa tertius confirmarat. Ille ultioni inhians: initio inter ſe conſilio, in nonnullorum, quos aulæ peſtilens aura infecerat, Epiſcoporum conventiculo depoſitum pronuntiat *Ignatium*, & *Photium* Laicum, Patriarcham proclamat, ac conſecrat; ſex dierum ſpatio ad omnes gradus ipſum promovens, prima ſcilicet die eum creans Monachum (ut moris erat apud Græcos) altera Lectorem; tertia ſubdiaconum, quarta Diaconum, quinta Presbyterum, ſexta Epiſcopum ordinans. Atque hæc promotio fons & origo eſt infinitarum, quibus deinceps Eccleſia Dei conflictata eſt, calamitatum. Porrò *Photius* vir erat nobilitate conſpicuus, Sancti *Tharaſii* quondam Patriarchæ Conſtantinopolitani ex ſorore Nepos, *Sergii* Patritii frater, Legatus Imperatoris in Perſidem, tunc verò eidem primus à ſecretis, divitiis affluens, ingenio & literatura nulli ſecundus: ambitionis

tionis autem ſtimulis, ad quodvis audendum nefas promptiſſimus. Non contentus Sancti Præſulis exilio, Imperatori ſuggeſſit, nova quædam adverſus Cæſaream Majeſtatem machinari *Ignatium*. Miſſi illicò ſunt ſatellites, qui eum longiùs propellerent, in Copronymi ſepulchro incluſus, fœtore, & fame extinctus fuiſſet, niſi viri Pii deluſis, aut prœmio conciliatis cuſtodibus, ipſum inde eruiſſent. Mutatis deinde ſæpiùs carceribus, & exilij locis, quaſi nullus ad ipſum cruciandum ſatis aſper atroci *Bardæ*, & immiti *Photio* videretur, famem, verbera, dentium contuſionem paſſus à barbaro milite, cum Patriarchatus ceſſioni ſubſcribere heroica conſtantia recuſaret, in Mytilenem inſulam gravatus vinculis detruſus eſt. *Photius* deinde in conciliabulo Conſtantinopoli coacto, *Ignatium* ſolemniori judicio exauctoratum declaravit, & Anathemate perculit, ut faciliùs populum innocentiſſimo Paſtori pro majori parte ſuffragantem ab ejus communione abſterreret. Sed ipſemet *Photius* à *Nicolao* I. Pontifice maximo Damnatus, auſus eſt viciſſim *Nicolaum* Damnationis ſententia perſtringere.

Hinc ſcelera ſceleribus accumulans varias in ſedem Romanam vibravit calumnias. Inter alias, eidem objecit, quod perperam doceret, Spiritum Sanctum à Patre, *filioque* procedere; atque hoc punctum præcipuus ſtatim fuit utramque inter Eccleſiam cardo controverſię.

At Deus non diſtulit promeritas pœnas de malorum Authoribus ſumere; Michael enim Imperator Bardæ ſuperbiam peroſus, eique diffidens, eundem per Baſilium Macedonem trucidari juſſit. Illius cadaver fœdè diſcerptum, lacerumque plebs per vicos, & compita raptavit. Deinde Baſilius à Michaele donatus Auguſti dignitate, quam morum probitate, juſtitiæ ſtudio, & bellicis de Saracenis ſucceſſibus illuſtrarat, extincto Michaele, mox Photium ſua ſede dejecit, ad eamque *Ignatium* poſt novem perſecutionis annos, ſummis, & infimis applaudentibus revocavit.

Tandem opera, & cura *Baſilii*, ac *Ignatii* octava, ultimaque Græcorum habita eſt Conſtantinopo-

li Synodus Oecumenica, cui per ſuos præſedit legatos Adrianus ejus nominis ſecundus. Actione quinta, ſexta, & ſeptima *Photius* invitus, in Synodum juſſu Baſilii eſt introductus tanquam laicus, qui, cum *Baculo*, ſeu *Pedo* innixus ingrederetur, *Marinus* Romanæ Eccleſiæ Diaconus, & Legatus juſſit ipſi auferri Paſtorālis illud inſigne dignitatis. Tollite, inquit, *Baculum de manu ejus: ſignum eſt enim Paſtoralis dignitatis, quod hic nullatenus habere debet, quia lupus eſt, & non Pater.* Pluries interrogatus hoc unum impudenter reſpondit, ſe tacere *Chriſti* exemplo, cum judicaretur. A Patribus fuere unanimiter in Photium prolati Anathematiſmi, & omnia, quæ per eum, ejuſque pſeudo-Synodum geſta fuerant, abrogata, & damnata ſunt. Inter Anathemata, hæc eminent fulmina. *Photio curiali, & invaſori Anathema. Photio inventori perverſorum dogmatum Anathema. Novo Dioſcoro Anathema. Novo Judæ Anathema.*

Poſteà tamen *Photius* tot ille malorum artifex, & tam ſolemniter Patriarchali dignitate exutus, ſedem priſtinam recuperavit hac ſcilicet fraude uſus. Commentus eſt *Baſilii* Imperatoris Genealogiam; ejuſque perobſcurum genus à Magno Tyridate Armenorum Rege deduxit. Cum ad Patrem Baſilii veniſſet novo fabricato nomine, filios ejus ad imperium provehendos auguratus eſt. Nomen illud erat *Beclas*, cujus literę nominum *Baſilii*, ejuſque Uxoris, ac Filiorum initiales erant, ut ex ſequenti ſchemate colligitur.

Baſilius Imperator.
Eudoxia Auguſta.
Conſtantinus Filius.
Leo Filius.
Alexander Filius.
Stephanus Filius.

Cum ſexcentis fabulis Genealogiam illam hiſtoricam adornaſſet, eam vetuſtiſſimis in membranis, Alexandrinis etiam characteribus ementitis deſcripſit: codi-

codicemque antiquis chartis involutum in bibliotheca Palatina recondi curavit. *Photio* in ſtruenda fraude adjutor fuit *Theophanes* Regius tunc temporis Clericus, magnæque apud Cæſarem authoritatis, poſteà verò in fraudis præmium Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus. Is librum plane mirabilem, & exquiſitum ſe in bibliotheca reperiſſe *Baſilio* Imperatori indicat, qui res arcanas & vaticinia ipſius Majeſtatem concernentia complecteretur; cæterùm illius arcana præter *Photium* immenſæ eruditionis virum, poſſe reſerare neminem. Codex ad *Photium* protinus mittitur in exilio degentem; jubetur myſticam Genealogiam reſolvere. Negat ille, ſe res arcanas, quæ ad Imperatorem ſpectarent, alteri, quàm Sacræ Majeſtati revelaturum. Imperator ambitioſa curioſitate illectus *Photium* Conſtantinopolim ab exilio revocat. Is *Baſilio*, qui ruſticam ex Macedonia ſtirpem erubeſcebat, de natalium ſplendore adulatur, confictamque Genealogiam explicans, & vaticinia, quæ jam maxima ex parte impleta erant, & quorum eventus ſpem faciebat fore, ut cætera, quæ glorioſiſſimum, ac feliciſſimum illi portendebant imperium, pariter implerentur, ſeſe in Principis animum penitus inſinuat coluber vaferrimus: aſſiduè verſatur in Palatio; exquiſitis verborum lenociniis Proceres demeretur; *Theodorum Santabarenum* profligatiſſimæ vitæ virum, ſolo habitu Monachum, fuco tamen Sanctimoniæ incautis illudentem Imperatori ſiſtit, commendat, familiarem reddit; eo adjutore tendit inſidias *Ignatio*, illumque præcipitare è ſolio, ac iſtud rurſus invadere meditatur.

Obiit interim tot procellis jactatus *S. Ignatius*: cui ſanè mortem *Photii*, & *Santabareni* nequitia fuiſſe maturatam, non levis fuit ſuſpicio. Vix corpus ejus tumulo mandatum erat miraculis etiam coruſcans: cum Photius Imperatoris facilitate abuſus ſedem Patriarchalem nova tyrannide occupavit. Annitente deinde Cæſare, obtinet confirmationem ſuæ ſedis à *Joanne* 8. Legatos Pontificis Conſtantinopolim diſſidiorum omnino ſopiendorum cauſa miſſos ſeducit; pſeudo-Synodum falsò dictam octavam celebrat, Jo-

annis

annis literas interpolat; ſed ab eodem, re planè explorata, condemnatur, actaque Conciliabuli reſcinduntur. Tandem *à Leone* Auguſto *Baſilii* Filio; meritò *Sapientis* nomen ob ſtudium, ſummamque prudentiam conſecuto, *Photius* jam exauctoratus, procul ab urbe Regia in Monaſterium aliquod Armenorum relegatus eſt; ubi vitam terminavit vinctus Anathemate, non autem illo expeditus, ut nonnulli Scriptores levioris authoritatis perperam exiſtimarunt.

Refelluntur Errores ſæculi noni.

Error Sergii. *Fornicatio non eſt peccatum, ſed potiùs naturæ beneficium.*

D. Thomas 2. 2. q. 154. art. 2. *Fornicatio excludit à regno Dei, ut patet per Apoſtolum ad Gal. 5. Ubi præmiſſa fornicatione ... ſubdit, qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur; nihil autem excludit a regno Dei, niſi peccatum mortale; unde fornicatio ſimplex eſt peccatum mortale.* Quis verò unquam dixerit, quòd peccatum mortale ſit naturæ beneficium?

Object. At natura, inquiebat *Sergius*, proclivis eſt in concubitum.

Reſp. Id verum eſt de natura *animalis*, quæ ſæpe dominatur homini, & *qua ille comparatur jumentis inſipientibus, & ſimilis fit illis*. Pſal. 48. Secùs de natura ipſa *hominis. Non enim intendit natura in homine ſolùm generationem prolis, ſed etiam illius traductionem, & promotionem uſque ad perfectum ſtatum hominis. Unde tria à parentibus habemus, ſcilicet eſſe, nutrimentum, & diſciplinam. Filius autem à parente educari, & inſtrui non poſſet, niſi determinatos, & certos parentes haberet; quod non eſſet, niſi eſſet aliqua obligatio viri ad mulierem determinatam, quæ matrimonium facit ... Unde ad matrimonium inclinat natura hominis ex parte differentiæ*, ſeu quatenus *homo* eſt, non verò ad fornicationem, *quæ eſt contra bonum prolis educandæ*. In ſuppl. q. 41. a. 1. O. & ad 1. His adde verba hæc articuli præcitati ex ſecunda ſecundæ, contra naturam hominis eſt, quod

utatur

utatur vago concubitu. Vide & errorem Nicolaitarum ſæculo 1. & Opuſculum noſtrum *in propoſitiones damnatas*, ubi hæc propoſitio confixa conſpicitur pa. 98. *Tam clarum videtur, fornicationem ſecundùm ſe nullam involvere malitiam, & ſolùm eſſe malam, quia interdicta eſt, ut contrarium omninò rationi diſſonum videatur*. Eſt 48. Innoc. Magna iſtam inter aſſertionem *innocentianam*, & *hanc præſentem* eſt connexio.

Errores Claudii Taurinenſis. Errores Claudii circa *cultum imaginum, & Reliquiarum* tum in Iconoclaſtis 8. tum in Vigilantio, ſæculo 5. à *D. Thoma* prædebellatos vidimus.

Quantùm ad abuſus, qui ipſius temporibus in cultum imaginum irrepſerant, ex quibus Claudii errores profluxere; illos ſemper Eccleſia pluribus in Conciliis deteſtata eſt. Iuvat hic noviſſimi etiam verba Concilii (Tridentini) expendere ſeſſ. 25. *In has Sanctas, & ſalutares* (de imaginibus & Reliquiis) *obſervationes ſi qui abuſus irrepſerint, eos prorſus aboleri Sancta Synodus vehementer cupit: ita ut nullæ falſi dogmatis imagines, & rudibus periculoſi erroris occaſionem præbentes ſtatuantur*. Paucis deinde interjectis, *omnis ſuperſtitio*, inquit Synodus, *in Reliquiarum veneratione tollatur*. Ecce Eccleſia quemcumque averſatur, & prohibet abuſum. Itaque nec debuit ille Claudium, nec modernos debet adversùs *cultum imaginum, & Reliquiarum* movere, excire, accendere Sectarios. *Sectarii.*

Error Thiotæ. *Poteſt ab homine ſciri dies, & hora extremi judicii.*

D. Thomas. In ſupplem. q. 77. a. 2. *Illud, quod eſt ignoratum ab Angelis, multò magis hominibus eſt occultum, quia ea, ad quæ homines naturali ratione pertingere poſſunt, multò limpidiùs, & certiùs Angeli naturali ratione cognoſcunt. Sed Angeli neſciunt tempus determinatè* extremi judicii, *ut patet Matth.* 24. *de* die illa, & hora nemo ſcit, *neque Angeli Cælorum, ergo tempus illud eſt hominibus occultum.*

Unde dudum dixit Auguſtinus l. 18. de Civit. c. 53. hic citatus. *Quidam dixerunt, ab Aſcenſione Domini uſque ad ultimum ejus Adventum quadringentos annos poſſe compleri, alii quingentos, alii mille, quorum falſitas*

ſitas patet, & patebit *ſimiliter eorum, qui adhuc computare non deſinunt.*

Errores Gotheſchalci.

1. *Sicut Deus quoſdam ad vitam æternam prædeſtinavit, ſic etiam alios ad mortem æternam prædeſtinavit, cogitque homines interire.*

D. Thomas 1. p. q. 23. a. 5. *Prædeſtinatio eſt cauſa & ejus, quod expectatur in futura vita à prædeſtinatis; ſcilicet gloriæ, & ejus, quod percipitur in præſenti, ſcilicet gratiæ.* Unde Deus quoſdam ad vitam æternam prædeſtinavit gratuitò: non tamen alios prędeſtinavit ad mortem æternam; *mors enim æterna* deſignat culpam; Deus autem nequit hominem prædeſtinare ad culpam, cum ſit ipſa ſanctitas; ſed pœnam *cæteris, quia juſtus eſt* (verba ſunt Concilii Cariſiaci) *prædeſtinavit æternam*, ſeu ut Scholaſtici loquuntur, quoſdam reprobavit negativè. *Reprobatio*, inquit S. Doctor ad 2. *non eſt cauſa ejus, quod eſt in præſenti, ſcilicet* culpæ: *culpa enim provenit ex libero arbitrio ejus, qui reprobatur, eſt tamen cauſa ejus, quod redditur in futuro, ſcilicet pœnæ æternæ inferendæ pro culpa.* Non cogit proinde homines interire; interitus in ſolam creaturam deficientem refunditur. Perditio tua ex te Iſrael, Oſeæ 13. & præfata Synodus, *Deus*, inquit, *cæteros*, non ut perirent, *prædeſtinavit.*

2. *Deus non vult omnes homines ſalvos fieri, ſed eos dumtaxat, qui ſalvantur.*

D. Thomas 1. p. q. 19. a. 6. *Dicit Apoſtolus* 1. *ad Timotheum* 2. Deus vult omnes homines ſalvos fieri; *voluntate ſcilicet antecedente; ſecundùm Damaſcenum.* Qui pereunt, hoc iſti ſuæ perverſæ imputent voluntati. Id patet ex Angelico 3. Diſt. 20. q. 1. a. 1. q. 1. ad 2. *Quòd omnes homines non reparantur*, ſeu ſalvantur, *non eſt ex inſufficientia medicinæ reparantis, ſed ex defectu eorum, qui reparationis effectum* in ſeipſis impediunt per peccata ſua, ut liquet ex verbis ſequentibus *D. Thomæ* ſcribentis in illud Matth. 26. *Qui pro multis effundetur &c.. Si conſideremus*, inquit, *effectum paſſionis, non habet effectum niſi in his, qui ſalvantur*, & hoc ex culpa hominum.

Accedit Synodus memorata Cariſiaca adversùs *Gotheſ-*

Gotheſchalcum celebrata. *Deus omnipotens omnes homines ſine exceptione vult ſalvos fieri, licet non omnes ſalventur. Quòd autem quidam ſalvantur, ſalvantis eſt donum: quòd autem quidam pereunt, pereuntium eſt meritum.*

3. *Chriſtus tantùm pro electorum ſalute mortuus eſt, non autem pro redemptione omnium hominum.*

D. Thomas. Lect. 2. in cap. 2. Prioris epiſt. ad Timoth. *Chriſtus eſt propitiatio pro peccatis noſtris; pro aliquibus* (electis nimirum) *efficaciter, ſed pro omnibus ſufficienter; quia pretium Sanguinis ejus eſt ſufficiens ad ſalutem* omnium. Nullus hìc omninò excipitur, non reprobus, nòn infidelis, non Scytha, non Barbarus.

Confirmatur hæc veritas ex verbis illis Apoſtoli 2. ad Corinth. 5. *Si unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus.* Itaque tam generaliter mortuus eſt Chriſtus pro omnibus, quàm omnes mortui ſunt in Adamo, omnes autem omnino, & ſinguli mortui ſunt in Adamo, igitur & Chriſtus pro omnibus, & ſingulis prorſus hominibus mortuus eſt.

Hiſce adſtipulatur citatum Concilium. *Sicut nullus homo eſt, fuit, vel erit, cujus natura in Chriſto aſſumpta non fuerit, ita nullus eſt, fuit, vel erit homo, pro quo Chriſtus paſſus non fuerit, licet non omnes paſſionis ejus myſterio redimantur...* ob culpam ſuam.

Sanè *Gotheſcalchus* fuit Prodromus harum propoſitionum *Janſenii* 5. & *Queſnellii*. *Chriſtus pro omnibus omnino hominibus mortuus non eſt, aut Sanguinem fudit*, Janſeniana 5. *Jeſus Chriſtus ſe morti tradidit ad liberandum pro ſemper ſuo ſanguine primogenitos, id eſt, electos, de manu Angeli exterminatores*. Quiſnelliana propoſitio 32. Vide citatum Opuſculum noſtrum pag. 57. & 203.

Spiritus Sanctus non procedit à Patre, & Filio.

D. Thomas q. 10. de potentia. art. 4. *Ioan.* 16. *ex perſona Filii de Spiritu Sancto dicitur, ille me clarificabit, quia de meo accipiet. Quid autem de Filio acceperit Spiritus Sanctus, ipſemet Filius ſubjunxit dicens. Omnia, quæcunque habet Pater, mea ſunt, propterea dixi,* *Error Photii.*

quia

quia de meo accipiet, quaſi diceret, quia eadem eſt eſſentia Patris, & mea, non poteſt Spiritus Sanctus eſſe de eſſentia Patris, quin ſit de mea eſſentia. Sicut igitur Spiritus Sanctus habet eſſentiam à Patre, ita etiam habet illam à Filio.

Confirmatur hoc ex 1. p. q. 36. art. 2. ad 1. Ubi dicitur. *Regulariter id, quod de Patre dicitur, oportet intelligi de Filio* (excepto eo, in quo relativè opponuntur, ſeu quòd *hic ſit Pater, & ille Filius*) cum igitur Pater ſit Principium Spiritus Sancti, illud debet pariter convenire Filio. *Quantùm enim ad hoc, quod eſt eſſe principium Spiritus Sancti, non opponuntur Pater, & Filius*: proinde Spiritus Sanctus non ſolùm procedit a Patre, ſed etiam à Filio.

Aſſertioni quoque Catholicæ ſuffragatur illud ad Rom. 8. *Si quis Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus*. Et ad Galat. 4. *Miſit Deus Spiritum Filii ſui in corda veſtra*: non poteſt autem Spiritus Sanctus dici Spiritus Filii, niſi quia eſt à Filio: unde & ſimili modo dictus eſt Spiritus Patris Matth. 10. *Spiritus Patris, qui loquitur in vobis*, quia ſcilicet eſt à Patre. Accedunt & alia præclara loca tum Joan. 14. *Paraclitus Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo*, tum 15. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis*. Quæ verba expendens Athanaſius in epiſtola ad Serapionem ſic diſcurrit. *Hic eſt ordo naturæ divinæ, ut qui à nullo eſt, à nullo mittatur, & qui eſt ab alio, in nomine ſuo non veniat, ſed in nomine illius, à quo exiſtit. Ita igitur Spiritus Sanctus, qui à ſe non eſt, à ſe venire non debuit, ſed in nomine illius, à quo eſt: quemadmodum de eo dicit Filius, Paraclitus Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo. Patet ergo, quòd ex hoc, quòd Spiritus Sanctus mittitur à Filio, ſequatur, quòd à Filio exiſtat æternaliter, & ab eo habeat, quòd ſit Deus*. Ita D.T. Opuſc. 1. (quod militat adverſùs errores Græcorum) cap. 32.

Unde rurſus Athanaſius præfulgidum Grecæ Eccleſiæ ornamentum in famoſo dicit Symbolo. *Spiritus Sanctus à Patre, &* Filio *non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens*. Huic adde Epiphanium *ſermone de Incarnatione verbi. Pater*, inquit, *ſemper erat, & Filius*

lius erat ſemper, & Spiritus Sanctus à Patre & Filio erat ſemper. S. D. ibidem.

Binæ etiam *D. Thomæ* rationes hanc fidei veritatem ſtabiliunt, quarum prima eſt. *Si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, nullo modo poſſet ab eo perſonaliter diſtingui*: certum verò eſt, quòd diſtinguatur, alioquin enim non forent tres divinæ Perſonę. Quod autem non poſſet diſtingui à Filio, probatur. Diſtinctiò realis in perſonis oritur ex oppoſitione relativa juxta illud celebre Theologorum proloquium, *omnia in divinis ſunt unum, niſi ubi obviat relationis oppoſitio*; hæc verò oppoſitio relativa fundatur in Origine unius perſonæ ab alia, adeòque ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio, non diſtingueretur ab eo.

Altera eſt hæc. *Filius procedit per modum intellectus, ut verbum, Spiritus Sanctus autem per modum voluntatis, ut amor. Neceſſe eſt autem, quòd amor à verbo procedat. Non enim aliquid amamus, niſi ſecundùm quod conceptione mentis apprehendimus. Undè & ſecundùm hoc manifeſtum eſt, quòd Spiritus Sanctus procedit à Filio.* 1. p. loco hìc prææallegato.

Obiiciebat Photius id, quod hodiedùm Græci Schiſmatici objectare non deſinunt. *In determinatione Concilii Conſtantinopolitani* 1. (quod celebratum eſt adversùs Macedonium, negantem Spiritum Sanctum eſſe Deum) *non habetur, quòd Spiritus Sanctus procedat à Filio, ſed ſolùm quòd procedat à* Patre; *legitur enim in ſymbolo iſtius Synodi, credimus in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem ex Patre procedentem, cum Patre, & Filio adorandum, & conglorificandum. Nullo ergo modo debuit addi in Symbolo fidei, quod Spiritus Sanctus procedat à Filio* *Objecť.*

Objectioni quam pro Græcis format Angelicus, ſic reſpondet loco præcitato da potentia ad 13. *Dicendum eſt, quòd proceſſio Spiritus Sancti à Filio implicitè in ſymbolo Conſtantinopolitano continetur, in quantùm continetur ibi, quòd procedit à Patre. Quia quod de Patre intelligitur, oportet & de Filio intelligi, quæcumque enim habet Pater*, (Jon. 16.) *mea ſunt*: unde *in nullo differunt, niſi quòd hic eſt Filius, & ille Pater.* *Reſp.*

ter. Sed propter inſurgentes errores eorum, qui Spiritum Sanctum à Filio eſſe negabant, conveniens fuit, ut id in ſymbolo poneretur; non quaſi aliquid additum, ſed explicitè interpretatum, quod implicitè continebatur; ſicut ſi inſurgeret Hæreſis, quæ negaret, Spiritum Sanctum eſſe factorem Cœli, & terræ, oporteret hoc explicitè poni, cum in prædicto ſymbolo hoc non dicatur niſi de Patre. Luſtra Aquinatem & integro illo articulo, & prelaudato Opuſculo 1. Certè utrobique tum prolatis in favorem fidei Grecis Patribus, tum copioſis ſibi propoſitis, ſolutiſque argumentis hanc, quantùm homini licet, materiam exhaurit.

SÆCULUM DECIMUM.

Nullà hoc ſæculo fuerunt Hæreſes per ſingularem Dei providentiam. Hoc ſæculo etiam non fuit continuatum ſchiſma Græcorum.

HOc ſeculum nullà continet in fide Monſtra: ſingulari profectò Dei pro Eccleſia excubante providentia; quę arcebat ab illa hęreſes eo tempore, quo ob ſupremorum illius Moderatorum incuriam maximè in Eccleſiam inundare poterant.

Aliis tempeſtatibus, fluctuabat navis Petri per varias hęreſum Procellas; hoc ſeculo, dum perverſi Pontificum mores illam quaſſant; ſubſidunt horribiles errorum furię.

Sed nec ſchiſma Photii, hoc ſęculo, ut quibuſdam videtur, continuatum fuit, verùm cum ſuo Authore extinctum: quod breviter luſtremus. *Photio* exauthorato ſubrogatus fuit *Stephanus Leonis* ſapientis frater, hic cum Romano Pontifice communionem fovit, ut ex Appendice liquet Synodi octavę. Id & preſtitit ejus ſucceſſor *Antonius Cauleas*, ſub cujus Patriarchatu *Stylianus*, aliique fautores *Photii* ad ſummum Pontificem pro abſolutione, & diſpenſatione lapſorum ſcripſere, agnoſcentes *ſe ab Apoſtolica ſede regi, & gubernari debere*. Sub *Nicolao Myſtico* Eccleſia Conſtantinopolitana turbata eſt ob quartas *Leonis* Imperatoris nuptias, quas ille approbare noluit. Imperatorē ob

cas

eas etiam à communione removens. Hinc tamen non eſt interrupta utriuſque unio Eccleſiæ, ſed magis potiùs roborata. Romanus enim Pontifex *Ioannes nonus* ab Imperatore appellatus, Legatos miſit Conſtantinopolim, qui ſedis Apoſtolicæ Authoritate nuptias ipſius confirmarunt. Poſt varios deinde Patriarchas, ſedem tenuit *Nicolaus Chryſoberges*. Sub eo, dum Synodus quædam circa res varias haberetur circa annum 980. jam ſunt aliqua ſchiſmatis renovandi ſemina, dum à ſeditioſis *Photii* memoria æquè, ac *Ignatii*, & aliorum Patriarcharum Orthodoxorum ſolemni acclamatione impunè celebrata eſt. Nonnullis deinde Patriarchis interpoſitis, *Euſtathius* ſedi Conſtantinopolitanæ admotus eſt, Eo ſuadénte, Baſilius Auguſtus miſſis Romam Legatis, à *Ioanne* 19. Pontifice Maximo petiit, ut titulum *Univerſalis*, & *Oecumenici* Patriarchæ, vellet Antiſtiti Conſtantinopolitano concedere. Sed repulſam tulerunt Legati: ſtetit tamen unio ad annum uſque milleſimum quinquageſimum tertium, quo *Michael Cerularius* Patriarcha indole turbulentiſſimus venenum diù occultatum adverſus Eccleſiam Romanam effudit ſcripta ad *Ioannem Tranenſem* in Apulia Antiſtitem epiſtola, quæ ab Humberto Silvæ-candidæ Epiſcopo Latinitate donata, ad *Leonem nonum* Pontificem Maximum delata eſt. Aliam quoque anno ſequenti ad Petrum Antiochenum Patriarcham dedit, fœdis in Eccleſiam latinam calumniis, & accuſationibus refertam. Hæc verò accuſationum ſunt capita: quæ ſanè accuſationes in Latinos vibratæ ſunt ipſi Græcorum Errores.

Schiſma renovatur anno 1053 ſub Michaele Cerulario.

Errores Græcorum.

1. *Latini malè Symbolo addiderunt particulam* Filioque, *& malè de Spiritu Sancto ſentiunt.*
2. *Sacramentum Euchariſtiæ non poteſt confici in pane Azymo. Damnandi ſunt iſti Azymitæ Romani.*
3. *Beatitudo non datur juſtis ante extremum diem judicii, ut Latini volunt.*
4. *Romanus Pontifex non eſt ſummus, ac univerſalis Eccleſiæ Paſtor, & Caput.*

Leo IX. Michaelis Patriarchæ & inſultus in Romanam Eccleſiam procaciſſimos. & Errores prolixa,

Leonis noni

Epiſtola contra ſchiſmaticos, erudita, & yehementi epiſtola redarguit. Ea *Leo* pacem illi offert, Eccleſiæ unitatem impenſè commendat, ſediſque Apoſtolicæ firmitatem, robur, & Authoritatem oſtendit. Michael ſive juſſu Imperatoris *Conſtantini Monomachi*, ſive etiam minis civium erga Romanam Eccleſiam propenſiorum, ad eundem Pontificem conciliatrices pacis literas ſcripſit. Pontifex unitatis Eccleſiarum ſtudioſiſſimus Legatos pro pace concilianda miſit Conſtantinopolim, qui honorificentiſſimè ab Imperatore excepti ſunt. *Nicetas Pectoratus* ſtudita diſcordiæ fautor, & machinator ſcelerum, librum adverſus Romanam Eccleſiam à ſe editum coram Legatis igni tradidit, (id approbante Imperatore) omneſque errare profeſſus eſt, qui Romanæ Eccleſiæ Primatum negarent, vel qui ejus fidem oppugnarent. Cum Pontificiis Michael Patriarcha Decretis parere nollet, colloquiumque Legatorum declinaret, quin etiam templa, ad ſacra peragenda civibus interdixiſſet, ideò crebriùs admonitus, nec reſipiſcens in magna *Sanctæ Sophiæ* Eccleſia coram effuſiſſimo populo una cum ſuis aſſeclis Anathemate a Legatis ictus eſt. His peractis, illi Michaelis Patriarchę inſidiis per Imperatorem liberati, in Italiam remearunt. Patriarcha Schiſmaticos Excommunicationem in ipſos Legatos Apoſtolicos retorquere, nomenque Romani Pontificis è Dyptichis, ſeu Canone delere auſus eſt. Datis deinde literis ad *Petrum Antiochenum*, alioſque Patriarchas mendaciis, ac calumniis ſcatentibus, eos a Romanæ communione Eccleſiæ conatus eſt avellere. Petrus Antiochenus (quid alii Patriarchæ egerint, incertum eſt) *Michaeli Cerulario* reſpondit; & multas illius objectiones tanquam leves, futileſque refutavit: non ita tamen, ut in quibuſdam, Latinos etiam non carperet.

Michael Cerularius, cum ſuis aſſeclis excommunicatur.

Ita ſenſim Schiſma (proh dolor!) in Orientalem irrepſit Eccleſiam. Illud per aliquot continuatum ſæcula altiores ſemper egit radices, uſque ad annum milleſimum quadringenteſimum trigeſimum nonum, qua de re inferiùs.

Refellamus modò Græcorum errores.

Juxta ordinem temporis, illos ſibi vendicabat

ſæcu-

ſæculum *undecimum*; ſed eos huic potiùs ſæculo reſervavimus, quod tota rei œconomia ſit connexa cum *Photio* Authore Schiſmatis, cujus recens eſt memoria. *Ob connexionem doctrinæ Photii hoc ſæculo tractantur errores Græcorum.*

Refelluntur Errores Græcorum.

1. *Latini malè Symbolo addiderunt particulam* Filioque, *& malè de Spiritu Sancto ſentiunt.*

Vide errorem *Photii* ſæculo 9.

2. *Sacramentum Euchariſtiæ non poteſt confici in pane azymo.*

D. Thomas 3. p. q. 74. art. 4. *Circa materiam hujus Sacramenti duo poſſunt conſiderari, ſcilicet quid ſit neceſſarium, & quid conveniens. Neceſſarium quidem eſt, ut ſit panis triticeus, ſine quo non perficitur Sacramentum: non eſt autem de neceſſitate Sacramenti, quod ſit azymus, vel fermentatus, quia* in unoquoque confici poteſt... *tamen conſuetudo in pane azymo celebrandi* (quæ in Latina obſervatur Eccleſia) *rationabilior eſt*; præcipue *propter inſtitutionem Chriſti, qui hoc Sacramentum inſtituit prima die azymorum, ut habetur Matth. 26. Marci 14. & Lucæ 22. qua die nihil fermentatum in domibus Judæorum eſſe poterat; ut habetur Exod. 12. Habet tamen aliquam rationem conſuetudo Græcorum. offerentium panem fermentatum, ex eo, quod Verbum Patris indutum eſt carne, ſicut fermentum miſcetur farinæ.* Sed deſinant Græci Romanam laceſſere conſuetudinem, *& unuſquiſque ſervet ritum ſuæ Eccleſiæ in hujus Sacramenti celebratione.*

3. *Beatitudo non datur juſtis ante extremum diem judicii.*

D. Thomas in ſupplemento q. 69. art. 2. *Dicitur 2. ad Corinth. 2: ſcimus, quoniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, quòd ædificationem ex Deo habemus domum non manufactam, conſervatam in Cœlis. Igitur, carne diſſoluta, anima habet manſionem, quæ ei in Cœlis fuerat conſervata.*

Præterea *ad Philipp. 1. dicit Apoſtolus: cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto,* per hoc indicans, quòd Sancti

poſt diſſolutionem corporis ſint cum Chriſto: neque id quomodocumque (nam & hic in gratia degentes cum Chriſto ſunt) ſed modò Beatis propriò, de quo 1. ad Theſſal. 4. dicit, *& ſic ſemper cum Domino erimus.*

Ratio eſt, quia animas illas Sanctorum nihil impedit à Cœleſti gloria ſtatim conſequenda, Cœlem enim quod antea erat occluſum, per Chriſtum fuit apertum. Unde *ſicut corpus per levitatem ſtatim fertur in locum ſuum, niſi prohibeatur*: *ita anima* ſtatim, *ſoluto vinculo carnis.. ad Cœlos evolat, niſi impediatur aliquo reatu, quo oporteat evolationem differri, ut priùs anima purgetur.*

Perperam hîc allegatur à quibuſdam *Joannes XXII.* quaſi mandaſſet, ut hæc de cœleſti gloria *ad diem judicii dilata* ab omnibus teneretur ſententia. Sanè & ipſemet Thomam Aquinatem in Album Sanctorum retulit, ac in Bulla Canonizationis ejus animam *Cœlum poſſidere* aſſeruit, & decreverat (quidquid fit, an ut Doctor particularis in opinionem præfatam inclinarit (definiré è Cathedra, Sanctorum animas poſt mortem *ſtatim* frui viſione Beatifica; ſed morte præventus hoc efficere non potuit.

Id ejus præſtitit ſucceſſor *Benedictus XI.* Decretali edita, quæ determinat, *animæ Sanctorum nihil habentes expurgabile*, ſtatim *ut decedunt, ante diem judicii faciem Dei cernere.*

4. *Romanus Pontifex non eſt ſummus, ac univerſalis Eccleſiæ Paſtor, & Caput.*

D. Thomas percelebri Opuſculo 1. contra errores Græcorum. *Chriſti Vicarius Romanæ Eccleſiæ Pontifex in totam Eccleſiam* Chriſti *univerſalem Prælationem obtinet. Legitur enim in Chalcedonenſi Concilio, quod tota Synodus acclamavit Leoni Papæ; Leo ſanctiſſimus*, Caput univerſalis Eccleſiæ, *Petri Apoſtoli præditus dignitate, per multos annos vivat. Et Chryſoſtomus ſcribens in Ioan. Homil.* 85. *Chriſtus*, ait, *Iacobum localiter in loco terminat*, *Petrum autem* totius orbis ordinat Magiſtrum, & Doctorem. *Item ſupra Actus Apoſtolorum, Petrus à Filio ſuper omnes, qui Filii ſunt, poteſta-*

poteſtatem accepit, non ut Moyſes in gente una; ſed in univerſo orbe. *Hoc etiam* trahitur ex authoritate ſacræ ſcripturæ. *Non Petro* non limitatè ad unam Civitatem, vel Regnum, ſed *indiſtinctè* per mundum univerſum *oves ſuas, Chriſtus commiſit, dicens paſce oves meas. Ioan.* 21. Cumque Romanus Pontifex ſit Petri ſucceſſor, invictè ſequitur, eum eſſe ſummum totius Eccleſiæ Paſtorem, Caput. Moderatorem.

Hiſce favet eodem Opuſ. *Beatus Cyrillus Patriarcha Alexandrinus in libro Theſaurorum. Ut membra*, inquit, *maneamus in Capite noſtro, Apoſtolico throno Romanorum Pontificum, à quo noſtrum eſt quærere, quid credere, & quid tenere debeamus ... nulli alii, quam Petro, quod ſuum eſt; plenum, ſed ipſi* ſoli *dedit ... illi omnes jure divino caput inclinat, & Primates mundi tanquam ipſi Domino Jeſu obediunt. Item* * *Maximus in Epiſtola Orientalibus directa dicit. Omnes fines Orbis, qui Dominum ſincerè receperunt, & ubique terrarum Catholici veram fidem confitentes, in Eccleſiam Romanorum tanquam in Solem reſpiciunt, & ex ipſa lumen Catholicæ, & Apoſtolicæ fidei recipiunt, nec immeritò. Nam Petrus legitur primò perfectam fidem eſſe confeſſus Domino revelante, cum dixit Matth.* 16. *tu es Chriſtus Filius Dei vivi. Unde & idem Dominus dicit. Ego per te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua.*

* *Sæculi 7. ſcriptor egregius.*

Patet etiam, quod ipſe Patriarchis, (adeoque & Conſtantinopolitano, qui ſibi titulum *Univerſalis* Patriarchæ arrogabat) Prælatus exiſtat, *ex hoc quòd Cyrillus dicit, quòd ipſius, ſcilicet Apoſtolici Throni Romanorum Pontificum* ſolius *eſt reprebendere, corrigere, ſtatuere, ſolvere, diſponere, & loco illius ligare, qui ipſum* (Thronum) *ædificavit. Et Chryſ. ſuper Actus Apoſtolorum dicit, quod Petrus eſt vertex ſanctiſſimus Beati Apoſtolici Throni, Paſtor Bonus. Item etiam hoc patet ex Authoritate Domini dicentis Lucæ* 22. *tu aliquando converſus confirma fratres tuos.*

Prætereo torrentem Latinorum Pâtrum eadem certatim, & fusè affirmantium: ſolos Græcos ad Græcos, convincendos produxiſſe ſuffecerit.

Porrò quantum ad *Purgatorium*; in hoc differunt

Græci à Latinis, quod illi non admittant in eo (ut Latini) pœnam ignis, ſeu ſenſus, ſed tantùm pęnam damni, dicentes animas illic detineri ut in carcere perobſcuro, donec æternæ claritatis lumen aſpiciant.

Unio Eccleſiæ Græcæ cum latina in Concilio Florentino ſub Eugenio 4. anno 1439.

Tandem Schiſma per tot protractum ſæcula ſub *Eugenio 4.* Pontifice Maximo in Concilio Florentino anno 1439. miſerante Numine, cum erroribus profligatum eſt, utriuſque Eccleſiæ unio tot antea votis expetita coram Pontifice, Græcorum Imperatore *Joanne Palęologo*, omnibus Patriarchis, & Epiſcopis, conſertiſſimoque populo ſolemniſſimè promulgata, cunctis præ ingenti gaudio in lacrymas erumpentibus. En modò Decretum unionis.

Decretum unionis

Eugenius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

„ Lætentur Cœli, & exultet terra: ſublatus eſt enim
„ de medio paries; qui Occidentalem, Orientalemque
„ dividebat Eccleſiam: & pax, atque concordia re-
„ diit, illo Angulari lapide Chriſto, qui fecit utraque
„ unum, vinculo fortiſſimo charitatis, & pacis utrum-
„ que jungente parietem, & perpetuæ unitatis fœdere
„ copulante, ac continente poſt longam mœroris nebu-
„ lam, & diſſidii diuturni atram, ingentemque caligi-
„ nem, ſerenum omnibus *unionis* optatæ jubar illuxit.
„ Gaudeat & Mater Eccleſia, quæ Filios ſuos hacte-
„ nus ab invicem diſſidentes jam videt in unitatem,
„ pacemque rediiſſe: & quæ antea in eorum ſeparatio-
„ ne amariſſimè flebat; ex ipſorum modò mirâ con-
„ cordia cum ineffabili gaudio omnipotenti Deo gra-
„ tias referat. Cuncti gratulentur Fideles ubique per
„ Orbem, & qui Chriſtiano cenſentur nomine Matri
„ Catholicæ Eccleſiæ collætentur. Ecce enim Occi-
„ dentales, Orientaleſque Patres, poſt longiſſimum
„ diſſenſionis atque diſcordiæ tempus, ſe maris, &
„ terræ periculis exponentes, omnibuſque ſuperatis
„ laboribus, ad hoc ſacrum Oecumenicum Concilium
„ deſiderio ſacratiſſimæ *unionis*, & antiquæ charitatis
„ rein-

„ reintegrandæ gratia, læti, alacreſque convenerunt, „ & intentione ſua nequaquam fruſtrati ſunt. Poſt longam enim, laborioſamque indaginem, tandem Spiritus Sancti Clementia ipſam optatiſſimam, ſanctiſſimamque *unionem* conſecuti ſunt. Quis igitur dignas „ omnipotentis Dei beneficiis gratias referre ſufficiat? „ quis tantæ divinæ miſerationis divitias non obſtupeſcat? cujus vel ferreum pectus tanta ſupernæ pietatis magnitudo non molliat? ſunt iſta prorſus divina „ opera, non humanæ fragilitatis inventa, atque ideò „ eximia cum veneratione ſuſcipienda, & divinis laudibus proſequenda. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio, Chriſte, fons miſericordiarum, qui „ tantum boni Sponſæ tuæ Catholicæ Eccleſiæ contuliſti, atque in generatione noſtra tuæ pietatis miracula demonſtraſti, ut enarrent omnes mirabilia tua. „ Magnum ſiquidem, divinumque munus nobis Deus „ largitus eſt: oculis videmus, quod ante Nos multi, „ cum valdè cupierint, aſpicere nequiverunt.

Sequuntur deinde deffinitiones Concilii Græcorum erroribus oppoſitæ.

Diffinitiones, Græcorum Erroribus oppoſita.

1. *Diffinimus, explicationem verborum illorum* Filioque *veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc neceſſitate, licitè, & rationabiliter Symbolo fuiſſe appoſitam.*

2. *Item in azymo, ſive fermentato pane triticeo Corpus Chriſti veraciter confici, Sacerdoteſque in alterutro ipſum Domini corpus conficere debere, unumquemque ſcilicet juxta ſuæ Eccleſiæ, ſive Occidentalis, ſive Orientalis conſuetudinem.*

3. *Diffinimus .. illorum animas, qui poſt Baptiſma ſuſceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quæ poſt contractam peccati maculam, in ſuis corporibus, vel eiſdem exutæ corporibus, ſunt purgatæ, in* Cœlum mox recipi, *& intueri clare ipſum Deum trinum, & unum, ſicut eſt, pro meritorum tamen diverſitate alium alio perfectiùs.*

4. *Item diffinimus, Sanctam Apoſtolicam ſedem, & Romanum Pontificem* in univerſum Orbem tenere Primatum, *& ipſum Pontificem Romanum ſucceſſorem eſſe*

Beati Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ Caput, & omnium Chriſtianorum Patrem, & Doctorem exiſtere, & ipſi in Beato Petro paſcendi, regendi, & gubernandi univerſalem Eccleſiam à Domino noſtro Jeſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe.

Græci redeunt ad vomitum.

Sed non diù ſtetit tot deſideriis, votis, ſuſpiriis, viribus, laboribus, precibus, periculis inſtaurata *unio*. Græci reverſi ſunt ad vomitum. Gemit nunc infelix Natio in pœnam ſchiſmatis, errorum, inconſtantiæ, & diſcordiæ ſub immaniſſimo Turcarum jugo.

Miſera modò facies Eccl. Græcæ

Florentiſſima olim Eccleſia, quæ *Athanaſios*, *Joannes Chryſoſtomos*, *Gregorios Nazianzienos*, *Nyſſenos*, *Baſilios*, innumeroſque alios protulit, nunc proſtrata jacet: ſanctimoniæ ſucceſſit impietas, virtuti vitium, literaturæ ignorantia, celeberrimo olim Athenæo Theatrum deſidiæ. Verbo: Græcia Sanctorum, Doctorum, Bellatorum, Muſarum, Scientiarum Genitrix, in horribilem, deplorandamque degeneravit Barbariem.

Cæterùm *Alphonſus à Caſtro* cum pluribus aliis, Græcorum erroribus hos ſequentes ſuperaddit.

Alii Græcorum errores.

1. *In Sacrificio Miſſæ aqua minimè vino miſcenda eſt.*

2. *Per adulterium ſolvitur Matrimonium etiam conſummatum.*

3. *Non eſt peccatum dare aliquid ad uſuram.*

4. *Non eſt neceſſaria rei furtò ablatæ reſtitutio, ut quis vitam poſſit conſequi æternam.*

Narrat porrò citatus *Alphonſus*, uſurarios oleo ſimplici ungi à Sacerdote, nulla quidem iis impoſita obligatione reſtituendi extorta per uſuram, ſed eos obſtringi ad aliquam pecuniæ portionem ſibi Sacerdoti tantùm diſtribuendam, atque ita abſolvi: quod ſanè, ſi fiat, turpe, vile, injuſtum, & impium eſt.

Refellamus modò errores more ſolito per *D. Thomam*.

1. *In Sacrificio Miſſæ aqua minimè vino miſcenda eſt.*

Vide errorem 1. *Armenorum* ſæculo 7.

2. *Per*

2. *Per adulterium ſolvitur matrimonium etiam conſummatum.*

D. Thomas in ſupplemento. q. 62. a. 6. *Dicitur 1. ad Corinth. 7. præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem à viro non diſcedere, quod ſi diſceſſerit* (ob adulterium mariti) *manere innuptam.* Et Marci. 10. *Quecumque dimiſerit uxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper* (id eſt) contra *eam: & ſi uxor dimiſerit virum ſuum, & alii nupſerit, mæchatur.*

Nec obſtat illud Matth. 19. *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*, ergo qui eam dimittit ob fornicationem, & aliam ducit, non mœchatur. **Object.**

Reſpondetur enim, quòd exceptio illa: *niſi ob fornicationem*, ſeu adulterium, tantùm referatur ad verba iſta, *qui dimiſerit uxorem*; ita ut ob fornicationem tantùm non expectato etiam Eccleſiæ judicio, uxor à marito quoad *Thorum* poſſit dimitti, aliàs ipſum matrimonii vinculum etiam in caſu adulterii omninò eſt indiſſolubile. Atque hæc eſt concors Theologorum ſententia. **Reſp.**

3. *Non eſt peccatum dare aliquid ad uſuram.*

D. Thomas 2. 2. q. 78. a. 1. *Dicitur Exodi 22. ſi pecuniam mutuam dederis populo, qui habitat tecum, non urgebis eum quaſi exactor, nec uſuris opprimes.* Et Pſal. 14. poſt illud: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo?* ſubjungitur; *qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram.*

Id ex novo etiam liquet Teſtamento Lucæ 6. *Mutuum date, nihil indè ſperantes*, per *mutuum date*, innuitur *conſilium*, per illud *nihil inde ſperantes*; id eſt nihil ulrra ſortem accipientes, *præceptum*, juxta communem explanationem Patrum.

Ratio verò, cur nihil poſſit accipi ultra ſortem, quod fit in uſura, hæc eſt. Quia per hoc *venditur id, quod non eſt, per quod manifeſtè inæqualitas conſtituitur, quæ juſtitiæ repugnat. Ad cujus evidentiam ſciendum eſt, quod quædam res ſunt, quarum uſus eſt ipſarum rerum conſumptio, ſicut vinum conſumimus eo utendo ad potum, triticum conſumimus eo utendo ad cibum. Unde*

in

In talibus non debet ſeorſim computari uſus vel à re ipſa, ſed cuicumque conceditur uſus, ex hoc ipſo conceditur res... proprius autem, & principalis pecuniæ uſus eſt ipſius conſumptio, ſive diſtractio; ſecundùm quod in commutationes expenditur. Et propter hoc ſecundùm ſe eſt illicitum pro uſu *pecunia mutuata accipere pretium, quod dicitur uſura.*

4. *Non eſt neceſſaria rei furto ablata reſtitutio, ut quis vitam poſſit conſequi æternam.*

D.ˢ Thomas 2. 2. q. 62. art. 2. *Auguſtinus dicit in epiſtola 54. ad Maced. ſi res aliena, propter quam peccatum eſt, reddi poſſit, & non redditur, pœnitentia non agitur, ſed ſimulatur. Si autem veraciter agitur*, non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.

Sed & Scriptura Sacra id exprimit Ezech. 33. *Impius vita vivet, ſi egerit pœnitentiam, & pignus* reſtituerit, *rapinamque reddiderit.*

Suffragatur ratio, *quia reſtitutio eſt actus juſtitiæ commutativæ, quæ in quadam æqualitate conſiſtit, & ideo reſtituere importat redditionem illius rei, quæ injuſtè ablata eſt. Sic enim per iteratam ejus exhibitionem æqualitas reparatur.. cùm ergo conſervare juſtitiam ſit de neceſſitate ſalutis, conſequens eſt, quòd reſtituere id, quod injuſtè ablatum eſt alicui*, ſit de neceſſitate ſalutis.

ERRONES SÆCULI UNDECIMI.

Heribertus & Liſoius. PRima, quæ hoc ſæculo exorta eſt hæreſis, fuit recentior Manichæiſmi propago: hæc diutiùs occultè germinata, in perditionis ſegetem malè pullulans, propè urbem Aureli anenſem in Gallia plures in ſuæ cæcitatis præcipitavit laqueum. Ab Itala quadam muliere invecta non ſolùm Idiotas, & rudiores, verùm etiam *Heribertum* Eccleſiæ S. Petri Aureliis Scholaſticum, & *Liſoium* ibidem Sanctæ Crucis Canonicum viros tum Religionis, tum ſapientiæ opinione celebres veneno ſuo infecit.

Erro-

Errorum capita hæc erant.

1. Negabant *Scripturas Sacras;* illas reiicientes velut figmenta carnalium hominum, ſolamque legem in cordibus ſcriptam ſe admittere gloriantes.

2. Inficiabantur *Incarnationem Chriſti* cum *Saturnino*, aliiſque antiquis Hæreticis.

3. Ajebant, *mundum non à Deo*, *ſed ex ſeipſo conditum eſſe fortuito*.

Iſtis erroribus has execrandas addebant ſpurcitias. Nocturnos agebant conventus, in quibus ſinguli lucernas tenentes nomina Dæmonum, Litaniæ inſtar, recitabant, donec Dæmonem ſub cujuſdam forma beſtiolæ conſpicerent. Tum extinctis lucernis, promiſcuam exercebant libidinem, nulla conſanguinitatis, voti, aut vinculi cujuſdam habita ratione. Ex fœdo concubitu compaginatus infans, octava die (horreſco referens) cremabatur. Cineres ſtudiosè colligebantur, & religione ſervabantur non minori, quam Chriſti corpus diſtribuendum moribundis fidelibus in viaticum aſſervat Eccleſia: ex iis porro qui vel tantillum prælibarant, ita roborabantur in hæreſi, ut ex ipſa vix unquam poſſent eluctari.

Heribertus, & *Liſoius* in Aurelianenſi Synodo interrogati, an memorata tenerent dogmata: reſponderunt ſe illa tenere, nec ab iis eſſe amovendos. Cum verò illa *Guarinus* Antiſtes Bellovacenſis diſcutiens, & ad myſterium Incarnationis perveniens, iſtis inter alia objiceret: *Chriſtum naſci voluiſſe de Virgine, quia potuit, & pro noſtra ſalute pati in Humanitate:* replicarunt Epiſcopo: *nos neque interfuimus, neque hæc vera eſſe credere poſſumus. Hæc eis narrare potes, qui credunt figmenta carnalium hominum* (Scripturas) *Scripta in membranis animalium: nobis autem, qui legem ſcriptam habemus in interiori homine à Spiritu Sancto, incaſſum ſuperflua, & à divinitate devia profers: idcircò verbis finem impone, & de nobis, quidquid velis, facito. Jam Regem noſtrum in Cœleſtibus regnantem videmus, qui ad immortales Triumphos dextera ſua nos ſublevat.* Diù, ſed fruſtra laborarunt Epiſcopi, ut eos è denſis errorum tenebris eruerent. Tandē Sacris veſtibus juxta Ordines

ſuos

ſuos induti, moxque iiſdem ad execrationem ſpoliati, exauctorati, ex Eccleſia pulſi, & ſæculari brachio traditi ſunt. Dum extra muros civitatis cremandi ducerentur, rabida adacti dementia in accenſum ſponte rogum proſilierunt, ex temporali igne in perpetuum irruentes.

Berengarius. Berengarius natione Gallus, Patria Turonenſis fuit. Adoleſcens ad ſcholam Carnotenſem tunc celebrem miſſus, & *Fulberti*, qui poſteà Eccleſiæ illi præfuit, viri ſanctiſſimi, & doctiſſimi diſciplinæ conſignatus eſt; Elatus ingenii levitate, ipſius Magiſtri ſenſum non adeò curabat, condiſcipulorum pro nihilo reputabat: novis verò verborum interpretationibus ſingularis ſcientiæ laudem ſibi arrogare, & cujuſdam excellentiæ applauſum venari, qualitercumque poterat, affectabat. Sæpe adoleſcentem Præceptor quaſi futurorum præſagus hortabatur, ne à via regia, hoc eſt, à fide Apoſtolica, & SS. Patrum doctrina aliquando deflecteret.

Variis deinde officiis perfunctus; tandem Andegavenſis Eccleſiæ Archidiaconus creatus eſt. Tum demum hanc novam ex inquieto cerebro enixus eſt hæreſim, quæ negat *realem corporis, & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia præſentiam*. Quamvis autem in initio hæreſeos nihil Corporis, & Sanguinis Domini, Sacramento ineſſe contenderit, ſed *umbras* tantùm, & *figuras*, in progreſſu tamen, Eccleſiæ rationibus convictus dixit, in Euchariſtia Corpus Domini *verè*, ſed *impanatum* contineri, *Tranſubſtantiationem* inficiens. Atque ita per primum dogma *Calvino*, per hoc alterum, *Luthero* præcinuit.

Berengarii hæreſis in Galliis ſæpè proſcripta, ad Apoſtolicam tandem ſedem delata, primùm ſub *Leone IX.* in Concilio Romano, deinde in Vercellenſi (Urbs eſt in ſubalpinis) ſub eodem Pontifice anno 1053. damnata eſt. E vita deinde migravit *Leo IX.* quem defunctum Hæreſiarcha Berengarius ut refert *Guitmundus*, convitiis laceravit, eum inter alia, Concilium vanitatis coegiſſe eructans. Petulcam ejus linguam compreſſurus *Victor II.* Leonis ſucceſſor Synodum

dum Turonenſem celebrari juſſit anno 1055. cui per Legatos, maximè per celeberrimum *Hildebrandum*, qui poſteà fuit Gregorius VII. præſedit. Data eſt ibi *Berengario* cauſæ ſuæ defendendæ optio, quam tamen defendere reformidans, communem Eccleſiæ fidem confeſſus eſt, & præſtito juramento, ab ea nunquam ſe receſſurum ſpopondit. At Hæreſiarcha ſacramenti immemor, & violator, in errores relapſus eſt. Unde virus ne ſerperet, *Nicolaus II.* Romæ Concilium ex centum tredecim Epiſcopis anno 1059. convocat. Ibi ejus ſententia à Patribus audita, perpenſa, & confixa fuit. Ipſe *Berengarius* Sanctæ Synodo ſuos concedens libros perverſum dogma continentes, eos in medio ſacri Concilii propalam igni devovit, jurans ſe fidem à Patribus præſentibus traditam inviolabiliter ſervaturum. Auctoritate Sanctæ Synodi *Umberto* Epiſcopo Cardinali commiſſa provincia eſt, ut verę fidei formulam ederet, eamque Berengario prælegeret. Acquieſcens Berengarius eam accepit, legit, ſe ita credere jurejurando firmavit, & manu propria profeſſioni fidei ſubſcripſit. Hęc autem profeſſio ad hanc formam redacta eſt. ***Ego Berengarius indignus Diaconus S. Mauritii Andegavenſis cognoſcens veram, Catholicam, & Apoſtolicam fidem, anathematizo omnem hæreſim, præcipuè eam, de qua hactenus infamatus ſum, quæ aſtruere conatur, panem & vinum, quæ in Altari ponuntur poſt conſecrationem non eſſe verum Corpus & Sanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti &c.*** Hanc formulam *Nicolaus* ad reparationem ſcandali per omnem Italiam, Galliam, & Germaniam promulgari juſſit.

Poſt tam ſolemne juramentum, verſatilis, & arundini vento agitatę ſimilis Berengarius virulenta de novo ſcripta adversùs fidem Catholicam auſus eſt ſpargere, quę contrariis, iiſque nervoſiſſimis ſcriptis *Lanfrancus*, *Guitmundus* Epiſcopus Averſanus, & *Algerus* pręclara Ordinis Benedictini ornamenta refutarunt. Ut extremum malo remedium afferret, *Gregorius VII.* Romę Concilium anno 1709. contra Berengarii toties lapſi impietatem indixit. In eo firmata eſt veritas Catholica: convictus iterum Berengarius, ab

ab ea Sede, quæ more Dei non vult mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur, & vivat, veniam impetravit, & in hunc modum juravit. *Ego Berengarius corde credo, & ore confiteor, panem, & vinum, quæ ponuntur in Altari per myſterium Sacræ orationis, & verba noſtri Redemptoris, ſubſtantialiter converti in veram, & propriam, ac vivificatricem carnem, & Sanguinem Jeſu Chriſti Domini noſtri, & poſt conſecrationem eſſe verum Chriſti Corpus, quod natum eſt de Virgine, & quod pro ſalute mundi oblatum in Cruce pependit, & quod ſedet ad dexteram Patris: & verum Chriſti Sanguinem, qui de latere ejus effuſus eſt, non tantùm per ſignum, & virtutem Sacramenti, ſed in proprietate naturæ, & veritate ſubſtantiæ, ſicut in hoc brevi continetur, & ego legi, & vos intelligitis. Sic credo, nec contra hanc fidem ulterius docebo. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.*

„ Tunc Dominus Papa (ajunt acta Concilii) præ-
„ cepit Berengario ex Authoritate Dei Omnipoten-
„ tis, & Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli,
„ ut de Corpore, & Sanguine Domini nunquam
„ ulteriùs cum aliquo diſputare, vel aliquem docere
„ præſumeret, excepta cauſa reducendi ad fidem hanc
„ eos, qui per ejus doctrinam ab ea receſſerant.

Ut autem viri hujus, alterius ſanè *Prothei* inſtabilitatem figeret, fideique conſtantiam tentaret, Berengarium abſoluto Concilio, ſecum per aliquod tempus paterna benignitate ſummus Pontifex detinuit. Explorata illius per miſerantem Dei gratiam, in fide firmitate, eum ad proprios tandem lares perbenevolè remiſit.

Tandem nonagenarius in profeſſione, & unione Catholica, ut & communior, & nobiliorum Authorum eſt ſententia, *Berengarius* die Epiphaniæ obiit anno 1088. Narrat *Guilielmus Malmesburienſis* Ordinis ſancti Benedicti in Anglia ſæculo 12. Religioſus & Bibliothecarius, *Berengarium* morientem producto gemitu dixiſſe. *Hodiè in die Apparitionis ſuæ apparebit mihi Dominus meus Jeſus Chriſtus propter pœnitentiam, ut ſpero, ad gloriam, vel propter alios, ut timeo, ad pœnam.*

Se-

Sectarii, quem ſequuntur *errantem*, ſequantur *pœnitentem*.

Simoniaca labes non ſolùm hoc ſæculo viguit, ſed & plures ſibi adſcivit Scriptores, qui Simoniam à peccato eximere ſtuduerunt. Unde ſuſtinebant, *licitum eſſe vendere beneficia Eccleſiaſtica, ut Prælaturas*, *Canonicatus* &c. ***Simoniaci.***

Dum hos probi omnes Catholici reprimere conantur, nonnulli ingenti ardore, ſed non ſecundùm ſcientiam in Epiſcopos Simoniacos inflammati, aſſeruerùnt, *ordinatos ab eis, non eſſe recipiendos, ſed iterum ordinandos*. ***Reordinantes.***

Sed & alia hoc ſæculum monſtra peperit. Quò me, quò rapiunt ferrea iſta tempora? plures Clerici (dicti ſunt *Novi Nicolaitæ* ob effuſam in fœminas libidinem) plures, inquam, ut velum aliquod infami (hæc flens commemoro) concubinatui obtenderent, contenderunt, *licitum eſſe Clericis in Sacris ordinibus conſtitutis, ducere uxores*. ***Novi Nicolaitæ.***

Incredibile dictu eſt, quot labores pro Eccleſia hac tempeſtate devorarit *S. Petrus Damiani*, Religioſus, Cardinalis, & Epiſcopus Oſtienſis. Ut alter Joannes Baptiſta, *vox clamantis in deſerto*, ab eremo (quam amore ſolitudinis incolebat) calami, ut tubæ Dei, ubique clangore perſonans, pios Clericos excitavit ad pugnam, improboſque vel colla ſubiicere Eccleſiaſticæ diſciplinæ coegit, vel eos fidelium oculis ſubducens, enorme ſtitit ſcandalum.

Petrus Damiani iiſdem compeſcuit temporibus hæreſim *inceſtuoſorum*. Docebant illi, *licitum eſſe conjugium in quarto gradu conſanguinitatis*. Ravennæ potiſſimùm error iſte efferbuit, in multos, quos nullus æternæ damnationis metus à talibus arcere potuit connubiis, deplorandam exercens tyrannidem. ***Inceſtuoſi.***

Eidem *Petro* tunc dimicandum fuit adverſùs novam aliam emergentem quorumdam Hæreſim, tradentium, *licitè Epiſcopatus à Principibus laicis ſine ſimoniæ crimine emi poſſe, dummodò conſecratio gratis acciperetur. Sic enim non dignitatem emi Epiſcopalem, ſed poſſeſſionem prædiorum, quæ venalia ſunt*. Scilicet jam pude- ***Tudechinus, & Joannes Venetus ſimoniaci Palliati.***

pudebat *Simoniacos* (de quibus hìc ſtatim) antea nudos, *ſine pallio* incedere. Hujus *palliata* ſeminatores Simoniæ fuerunt *Tuderchinus* quidam natione barbarus, & *Ioannes* patria Venetus.

Wecilo. Wecilo, quem *Henricus III.* Imperator ex fugitivo Clerico, poſt obitum *Sigefridi*, in Moguntinum Archiepiſcopatum in remunerationem cauſæ ab eo adverſus *Gregorium VII.* defenſæ intruſerat, * in Synodo *Quintilineburgenſi* declaratus eſt Hæreſiarcha; quòd teneret, *ſæculares ſuis rebus ſpoliatos*, *Eccleſiaſtico non ſubjacere judicio*, *nec excommunicari poſſe pro ſuis exceſſibus*, quòdque contenderet, *excommunicatos ſine reconciliatione recipi poſſe*.

* *Quintilinibur-gum vulgò Quedlin-bourg. Abbatia olim celebris in Diœceſi Halberſtatenſi in Saxonia* Roſcelinus.

Roſcelinus Patria Compendienſis (Compeigne) in Gallia, famoſi *Petri Abailardi* Præceptor, in Hæreſim circa myſterium Sanctæ Trinitatis impegit, *Sabellianum* renovans errorem. In Concilio Sueſſionenſi damnatus errorem coram Synodo ejuravit, sed in eundem relapſus eſt, cui ſictè, & ex metu mortis renunciarat.

Refelluntur Errores Sæculi Undecimi.

1. *Non dantur Scriptura Sacra.*

Errores Heribeeti & Liſoii. D. Thomas 1. 2. q. 98. art. 2. *Chriſtus dicit Luca* 24. *oportet impleri omnia, qua ſcripta ſunt in lege & in Pſalmis, & in Prophetis de me. Tunc aperuit illis ſenſum, ut intelligerent* Scripturas. Hæc certè non intelliguntur, niſi de *Scripturis Sacris*, ut nec illud Joan. 5. ubi Chriſtus dicebat, *ſcrutamini* Scripturas. Non de alia quoque quàm de *Scriptura Sacra* ſermo eſt, dum dicitur, quòd Chriſtus à morte redivivus duobus Diſcipulis euntibus in Caſtellum Emaus *interpretabatur in* omnibus Scripturis, *qua de ipſo erant*. An de alia etiam, quam de *Scriptura divina* Petrus Actorum 1. dixit, *oportet impleri* Scripturam, *quam prædixit Spiritus Sanctus per os David de Iuda*? dantur ergo Scripturæ Sacræ.

Cæterùm, quare oporteat eſſe Scripturas Sacras, hæc, inter alias, poteſt reddi ratio. Juxta enim ſuavem,

vem, & communem divinæ providentiæ modum; doctrina revelata non benè poteſt tota in perpetuum ſervari, & ad abſentes (maximè ad poſteros) tranſfundi ſine ſcripto. Quamvis enim quædam documenta etiam ſupernaturalia poſſint viva Traditione, & vocali magiſterio traduci, & conſervari, non tamen poſſunt omnia, eo quod nonnulla ſint multùm difficilia: & hominum corruptio, quæ ſucceſſu temporis multùm invaluit reddat illos ad ea retinenda, & fideliter tranſmittenda ineptiores: unde & citatæ quæſtionis art. 6. docetur, quare oportuerit dari legem ſcriptam: *in remedium ſcilicet humanæ ignorantiæ*. Accedit, quod *omnis Scriptura* (2. ad Timoth. 3.) *divinitùs inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia*. Cur illa nos igitur Deus privet?

Sed & Scripturas Sacras extare, affirmant Concilia Carthaginenſe tertium, Laodicenum, Florentinum, Tridentinum, & perpetuus Eccleſiæ uſus, firmiſſimaque ipſius Traditio.

2. *Mundus non à Deo, ſed ex ſeipſo fortuitò conditus eſt.*

D. Thomas. 1. p. q. 65. art. 3. *Dicitur Gen.* 1. *in principio creavit* Deus Cœlum, & Terram.

Adſtipulatur Auguſtinus libro 10. confeſſ. *Mundus*, inquit, *iſte ordinatiſſima ſua mutabilitate, & mobilitate, & viſibilium omnium pulcherrima ſpecie, & factum ſe eſſe, & non niſi à* Deo *ineffabiliter pulchro fieri ſe potuiſſe tacitè proclamat*. Deinde; ſi mundus ille corporeus tanta partium multitudine, & varietate, tamque apta diſpoſitione ſpectabilis, fortuitò ex ſeipſo conditus ſit, cur non etiam, ut ait *Tullius* lib. 2. de natura Deorum, annales *Ennii*, & *Homeri* poemata ex *fortuito* characterum concurſu reſultarunt? cur non ſunt elegantiſſimæ tabulæ ex *fortuito* colorum in eas delapſu formatæ? unde Triſmegiſtus in Pœmandro cap. 5. *Cum ſtatuam abſque fabro, & pictore fieri nullus aſſerere audeat: miram hujus mundi conſtitutionem ſine* conditore *profluxiſſe putabimus*? en, qui vel Gentiles *Heriberti*, & *Liſoii* ora conſtringant.

Errores Berengarii. Sectarii

1. *Corpus, & Sanguis Chriſti non ſunt in Sacramento Euchariſtiæ verè, & realiter, ſed tantum in figura.*

D. Thomas 3. p. q. 79. art. 1. *Dominus dicit Joan. 6. Panis, quem ego dabo, Caro mea eſt pro mundi vita:* Matth. verò 26. hoc Sacramentum inſtituens, & adimplens id, quod loco iſto Joannis promiſerat, *accipiens Jeſus Panem, accipite*, inquit Diſcipulis, *& comedite:* Hoc eſt Corpus meum. Non ait: Hoc eſt *ſignum, figura* Corporis mei. Sumens etiam calicem, *bibite*, inquit, *ex hoc omnes;* Hic eſt enim Sanguis meus *novi Teſtamenti* &c. Non dixit, hic eſt *ſignum*, ſeu *figura* Sanguinis mei. Præſertim cum verba, quibus conditur Teſtamentum (ut *hiſce* Chriſtus condidit) debeat eſſe clara, perſpicua, plana, ab omnibus tropis, figuris, ambiguitatibus remotiſſima: adeoque citata ponderoſiſſima verba, *Hoc eſt Corpus meum, hic eſt Sanguis meus*, in ſenſu proprio, & naturali intelligenda ſunt, nec dari poſſent, quæ præſentiam realem Corporis, & Sanguinis Chriſti, in hoc Sacramento luculentiùs exprimerent.

Sectarii

Cæterùm conveniens etiam fuit, ut verum Chriſti Corpus, & Sanguis in hoc Sacramento contineretur. *Primò quidem* (inquit Angelicus q. 75. art. 1.) *ob perfectionem novæ legis. Sacrificia enim veteris legis verum ſacrificium paſſionis Chriſti continebant ſolùm in figura, ſecundùm illud Hebr.* 10. *umbram habens lex futurorum bonorum, non ipſam rerum imaginem, & ideò oportebat, ut aliquid plus haberet Sacrificium novæ legis à Chriſto inſtitutum, ut ſcilicet contineret ipſum Chriſtum paſſum, non ſolùm in ſignificatione, vel figura, ſed etiam* in rei veritate. *Et ideò hoc Sacramentum, quod ipſum Chriſtum realiter continet, eſt perfectivum aliorum Sacramentorum, in quibus virtus Chriſti participatur. Secundò hoc competit perfectioni fidei, quæ ſicut eſt de Divinitate Chriſti, ita eſt de ejus Humanitate ſecundùm illud Joann.* 14. *creditis in Deum, & in me credite. Et quia fides eſt inviſibilium, ideò, & in hoc Sacramento Chriſtus carnem ſuam nobis exhibet inviſibili modò. Quæ quidam non attendentes poſuerunt Corpus, & Sanguinem Chriſti non eſſe in Sacramento, niſi ſicut*

cut in ſigno, quod eſt tanquam Hæreticum abjiciendum, utpote verbis Chriſti (hic præcitatis) *contrarium. Unde & Berengarius, qui primus hujus erroris Auctor fuerat, poſteà coactus eſt ſuum errorem revocare, & veritatem fidei confiteri.* Ille tamen proceſſu temporis, in errorem lapſus eſt ſequentem.

2. *In hoc Sacramento Corpus Domini verè, ſed impanatum continetur*, ſeu, *cum Chriſti corpore etiam eſt ſubſtantia panis.*

D. Thomas 3. p. q. 75. art. 2. *Hæc poſitio contrariatur formæ hujus Sacramenti, in qua dicitur, Hoc eſt Corpus meum.* Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22. *quod non eſſet verum, ſi ſubſtantia Panis ibi remaneret. Nunquam enim ſubſtantia Panis eſt Corpus Chriſti, ſed potiùs eſſet dicendum*, hic eſt Corpus meum.. *unde hæc poſitio vitanda eſt tanquam hæretica.* *Sectarii.*

Licitum eſt vendere beneficia Eccleſiaſtica, ut Prælaturas, Canonicatus &c.

D. Thomas 2. 2. q. 100. art. 4. *Habere beneficia Eccleſiaſtica, dicitur ſpiritualibus annexum: quia non competit niſi habenti beneficium clericale. Unde hujuſmodi nullo modo poſſunt eſſe ſinè ſpiritualibus.* Et propter hoc ea nullo modo vendere licet: quia eis venditis, intelliguntur etiam ſpiritualia venditioni ſubiici. Id quod nullo pacto licet, cum repugnet illis verbis Chriſti Matth. 10. *gratis accepiſtis, gratis date.* Vide errorem primum *Simonis Magi* (cujus hi preſſere veſtigia) ſæculo 1. *Error Simoniacorum.*

Ordinati à Simoniacis ſunt reordinandi.

D. Thomas in ſupplem. q. 38. art. 2. *Omnis poteſtas, quæ datur cum aliqua conſecratione, tolli non poteſt, ſicut nec ipſa conſecratio annullari... unde, cum Epiſcopalis poteſtas* etiam per Simoniam impetrata, *cum quadam conſecratione detur, oportet, quod perpetua maneat.* Si perpetuò maneat, ergò Epiſcopus Simoniace promotus poteſt validè ordinare, adeòque à tali ordinati non ſunt reordinandi. *Error Reordinantium.*

Huic rationi conformis eſt praxis Eccleſiæ, quæ nunquam Ordines à Simoniacis collatos reiteravit.

error Novorum Nicolaitarum. *Licet Clericis in ſacris Ordinibus conſtitutis ducere uxores.*

D. Thomas in ſupplem. q.53. art.3. *Ordo Sacer.... impedit matrimonium per conſtitutionem Eccleſiæ.. ex vi Ordinis, & ulteriùs ex voto continentiæ, quod eſt Ordinibus Sacris annexum, quod etiamſi quis verbo tenùs non emittat, ex hoc ipſo tamen, quod Ordinem ſuſcipit, intelligitur emiſiſſe; ita ut etiam Ordo ſacer impediat matrimonii uſum,* illudque etiam dirimat contractum. Fundatur autem illa conſtitutio Eccleſiæ *in quadam congruentia, quia in Sacris Ordinibus conſtituti Sacra vaſa, & Sacramenta tractant, & ideò decens eſt, ut munditiam corporalem per continentiam ſervent.*

Sanè lex antiqua præcipiebat Sacerdotibus, qui *ſecundùm vices* ſacra tractabant, ne eo tempore *appropinquarent uxoribus*: & Apoſtolus 1. ad Corinth. 7. vult conjugatos abſtinere ad tempus ab uſu conjugali, *ut vacent orationi*. A novæ igitur legis Presbytero, cui ſemper pro populo ſacrificia Deo offerre, ſemperque orare incumbit, continentia ſervanda eſt perpetua. Ita diſcurrit Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum, & Ambroſius lib. 1. Offic. capit. ulti. Paulus etiam 1. ad Timotheum 4. monet eum, *ut exemplum ſit fidelium... in caſtitate*: & cap. 5. *te ipſum*, inquit, *caſtum cuſtodi*. Non metuebat Apoſtolus Timotheo, quem Epiſcopum crearat, ab adulteriis. Sed cum juvenis eſſet, & innuptus, hortabatur eum ad colendam caſtitatem, utique virginalem.

Sectarii

Unde liquet, jam inde ab Apoſtolorum temporibus Clerum fuiſſe obſtrictum cælibatui. Illud apertè declarat, obligationemque hanc reiterat Concilium ſecundum Carthaginenſe canone 2. *Ut quod Apoſtoli decreverunt, & ipſa ſervavit antiquitas, nos quoque cuſtodiamus, omnibus placuit, ut Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi, pudicitiæ coſtodes ab uxoribus ſe abſtineant.*

Idque locum habuit tam apud *Græcos*, quam Latinos. Prima Synodus Nicæna (celebeata in Græcia) Canone 3. interdicit Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, ne ſecum habeant ullam mulierem, *præter Matrem, Sororem, Aviam, Amitam, vel Materteram*.

Cui

Cui legi nullus erat locus, ſi poterant ducere uxores: nam Epiſcoporum, & Presbyterorum, (imo nec laicorum) uxores, nullæ ex hoc genere mulierum, quæ iſto Canone prohibebantur, ob propinquitatem ſanguinis eſſe poterant. Et quamvis eo Canone non exprimantur Subdiaconi, comprehenduntur tamen. Sub nomine enim Diaconorum, tanquam generali, ſæpe apud Veteres continentur etiam Subdiaconi, tanquam Diaconi inferiores. Deinde Concilium Romanum ſub eodem Pontifice, ſub quo Nicænum fuerat, ſcilicet Sylveſtro, habitum, expreſſo nomine Subdiaconorum Can. 8. evidenter ſtatuit, *nullum Subdiaconorum ad nuptias tranſire poſſe*.

Hæc communis continentiæ praxis obſervata paſſim fuit à Clericis uſque ad ſæculum 7. quo Græci illam cœperunt (Eccleſia diſſimulante) exuere. Quamvis autem hoc in *Græcis* Roma toleret, id tamen nec *hiſce Nicolaitis* favet, nec *modernis Sectariis*, apud quos juxta *Authorum ſuorum* exempla tum Preſbyteri, tum etiam Religioſi ſolemniter profeſſi ab Eccleſia noſtra transfugæ uxores ducunt. Sane hoc averſantur Græci, vel *ſchiſmatici*. Retinent illi ad Sacros Ordines promoti ductas ante ordinationem conjuges, in Ordinibus verò ſacris *jam conſtitutis*, multò minus Religioſis profeſſis, Matrimonium inire non licet.

Licitum eſt conjugium in quarto gradu conſanguinitatis. *Error Inceſtuoſorum.*

D. Thomas in ſupplem. q. 54. art. 4. *Dominus dixit Diſcipulis* Luc. 10. *qui vos audit, me audit: ergo præceptum Eccleſiæ habet firmitatem, ſicut præceptum Dei, ſed Eccleſia prohibet matrimonium.. uſque ad quartum gradum conſanguinitatis*: itaque non eſt licitum in præfato gradu matrimonium.

Convenienter autem illa prohibitio (olim in Eccleſia extendebatur iſta uſque ad ſeptimum) *facta eſt uſque ad quartum gradum, tum quia homines uſque ad quartam generationem vivere conſueverant: tum quia in qualibet generatione fit nova mixtio ſanguinis, cujus identitas facit conſanguinitatem, cum ſanguine alieno: cumque*

elementa ſint quatuor, in ſingulis generationbus evaneſcit ſanguinis identitas quantùm ad aliquod elementum, ita ut poſt quartam, primus ſanguis quaſi in totum abſorbeatur: unde *convenienter poſt* quartam generationem (non ante) poteſt reiterari carnalis conjunctio.

Error Simoniacorum Palliatorum.

Licitè Epiſcopatus à Principibus laicis ſine Simonia crimine emi poſſunt, dummodò conſecratio gratis accipiatur, ſic enim non dignitas emitur Epiſcopalis, ſed poſſeſſio prædiorum quæ venalia ſunt.

D. Thomas 2. 2. q. 100. art. 4. *Beneficia Eccleſiaſtica* (quoad temporalia, ut ſunt prædia, reditus, & quævis alia) *nullo modo vendere*, proinde nec emere *licet*, *quia eis* (temporalibus) venditis, vel emptis, intelliguntur etiam ſpiritualia; ipſi ſcilicet *Epiſcopatus* venditioni, vel emptioni ſubiici. Reiiciatur enorme illud Pallium, quo hæc aſſertio Simoniam velabat.

Huic errori affinis eſt hæc Propoſitio Damnata. *Non eſt contra juſtitiam, beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, ſed pro emolumento temporali.* Alex. 22. Utinam aliquando omnis palliata, larvata, fucata Simonia ex Eccleſia eradicetur. Vide Opuſculum noſtrum *in propoſitiones damnatas* pag. 112.

Errores Wicleſis.

1. *Sæculares ſuis rebus ſpoliati Eccleſiaſtico non ſubjacent judicio, nec excommunicari poſſunt pro ſuis exceſſibus.*

D. Thomas 2. 2. 185. art. 2. *Dicitur Ioan, 21. Petre, paſce oves meas*; oves autem etiam lanis orbatæ oves eſſe non deſinunt, proinde ſæculares, qui omnes ſunt oves Eccleſiæ, *rebus ſuis ſpoliati*, Eccleſiaſtico quoque ſubjacent regimini & judicio; adeòque & excommunicari poſſunt pro ſuis exceſſibus.

2. *Excommunicati ſine reconciliatione recipi poſſunt.*

D. Thomas in ſuppl, q. 24. art. 1. *Excommunicatus non debet abſolvi, niſi ab eo, qui excommunicavit*. ille autem non abſolvit, ſeu recipit excommunicatum ſine recōciliatione, tum ut ille pareat Eccleſiæ, tum

tum ut datum ſcandalum tollatur. Hæc ſanè aſſertio quantùm Eccleſiaſticam poteſtatem, authoritatem, diſciplinam, ſubordinationem enervabat!

ERRONES SÆCULI DUODECIMI.

Circa initium hujus ſæculi *Durandus de VValdach* Germanus, cum ſocio quodam Hæreſes non paucas ſeminavit, quarum hæc præcipua fuit. *Matrimonium nihil aliud eſt, quàm fornicatio palliata.* *Durandus de VValdach.*

Sub Alexio Comneno Græcorum Imperatore apprimè Catholicò detecta eſt *Bongomilorum* Hæreſis. Sectæ illius Author fuit *Baſilius* profeſſione Medicus; execrandus certè Medicus, qui, dum corporibus medebatur, mactabat animas. *Bongomili.*

Varios inter illius errores, hi potiſſimùm eminent.

1. *In divinis* (cum *Sabellio*) *non datur Trinitas.*

2. *Michael Archangelus* (de quo ineptiſſima fabulabatur) *fuit Incarnatus.*

3. *Baptiſmus ab Eccleſia adhiberi ſolitus non eſt Chriſti, ſed Joannis Baptiſtæ, Bongomilorum verò, eſt Baptiſmus Chriſti ob Spiritum Sanctum in ipſis reſidentem.*

Sacris etiam imaginibus (imitatus *Iconoclaſtas*) præſertim Cruci Baſilius bellum indixit. illius impietatem repreſſurus Cæſar, eum cum pluribus aliis in carcerem compingi jubet. Inde cum aſſeclis ad ignem rapitur. Cum autem inter eos nonnulli forent, quorum hæreſis non ita explorata videbatur, prudens Imperator Pyras duas parari juſſit, quarum uni Crux ſupereminebat, optionemque dedit, ut captivi omnes, quàm vellent, Pyram eligerent: *Bongomili* Pyram Cruce carentem elegerunt; Catholici rogum Cruce inſignem. Atque ita innocentes à fontibus diſcreti, & dimiſſi ſunt, illi verò cum ſuo Duce igni immolati.

Tanchelinus homo perditiſſimus hæreſi infecit Antverpiam, celebrem in Brabantia Civitatem, nuper princeps totius orbis Emporium. Illa in Urbe, cum eo, *Tanchelinus.*

ut præeſſet plebi, adveniſſet, nec vita, nec moribus cives ſibi commiſſos fovit. Paſtor fuit ovium, ſed (ò tempora Civitatis noſtræ, dilectiſſimæ Patriæ miſerrima!) diriſſimo lupo truculentior. In Gregem enim ita apparatu magnifico, veſtibus deauratis, lautiſſimis extructis conviviis, verborum lenociniis, blanditiis, aliiſque vitiorum irritamentis deſæviit; ut omnium ſentina flagitiorum cives involverit. Adeò Antverpienſium faſcinarat animos; ut qua corpus ſuum laverat, plures aquam biberent; alii verò lotiones Reliquiarum loco reconderet. Cum filias in conſpectu matrum, ſponſas maritis videntibus conſtupraret, opus id eſſe ſpirituale aſſerebat, miſeriſque perſuadebat Ganeo ſpurciſſimus. Ad hoc debellandum impuritatis monſtrum, S. Archi-Præſul *Norbertus* Præmonſtratenſium, ob caſtigatiſſimos mores, & ſtrictiſſimam Regularis vitæ obſervantiam cum antiquis Patribus conferendorum Conditor, cum electis Fratribus venit Antuerpiam: *venit*, *vidit*, *vicit* Tanchelinum, civeſque moribus, & fidei reſtituit olim ab Apoſtolis noſtris *Amando*, *Eligio*, *VVilebrordo* Majoribus noſtris inſertæ. Hoc ſcitè exprimitur per hæc verba Abbatiæ S. Michaelis Antverpiæ prefati Ordinis, ea parte, qua illa Schaldim reſpicit, inſcripta infrà lapideam Norberti imaginem.

Quod Amandus incboarat,
Quod Eligius plantarat,
VVillebrordus irrigarat
Tanchelinus devaſtarat,
Norbertus reſtituit.

Cęterùm hi ſunt palmares *Tanchelini* errores.

1. *Sacro-Sancti Corporis, & Sanguinis Chriſti perceptio nihil prodeſt ad ſalutem perpetuam.*

2. *Fornicatio, & adulterium ſunt opus beatitudinis meritorium.*

Petrobruſiani Non diſſimilis *Tanchelino* impietate fuit *Petrus de Bru-*

Bruis, qui Hæreſim ſuam in Provincia Arelatenſi, aliiſque contiguis in Gallia ſparſit.

Hæc ſunt præcipua illius dogmata.

1. Crux Chriſti (cum *Iconoclaſtis*, & *Bongomilis*) *non eſt colenda*.

2. *Baptiſmus nihil prodeſt parvulis ante intelligibilem ætatem*.

3. *Eccleſiæ omnes diruendæ ſunt: nulla enim Chriſtianis ſunt deputata, vel neceſſaria loca ſacra ad orandum*.

Hinc in templorum deſtructionem innumeraque ſacrilegia ſe Petrus cum aſſeclis effudit. Sed dignum impietate ſua finem conſecutus tandem eſt, in villa *S. Egidii* in Diœceſi Nemauſenſi vindici flammæ alligatus; *vindici*, inquam: inter alia enim crimina, ipſo die ſancto Paraſceves in inauditam ſacræ Redemptionis noſtræ contumeliam, magno ex ligneis Crucibus aggeri conſtructo, ignem univerſo ſpectante populo, immiſerat; ita divinam vel invitam provocans, irritans, laceſſens ultionem, & patientiam exſibilans.

Henricus patria Toloſanus, Religioſus Apoſtata, addidit *Petrobruſianæ* Hæreſi, *Deum irrideri cantibus Eccleſiaſticis: quia, qui ſolis piis affectibus delectatur, nec altis vocibus advocari, nec cantu poteſt mulceri*. *Henricus Petro-Bruſianus.*

Ad Henricianam luem extinguendam *Eugenius* 3. Pontifex Maximus legationem Apoſtolicam in Gallias commiſit *Alberico* Oſtienſi Epiſcopo, qui *S. Bernardum* legationis ſuæ comitem adſcivit. Hic verò ſui temporis Mathathias totum ſe laborantis defenſioni Eccleſiæ devovit. Ferventiſſimis concionibus, collationibus, miraculis innumeros ad fidem revocavit Hæreticos. Henricus fugiens, ac deliteſcens, tandem captus, Legatoque Apoſtolico conſignatus eſt: à quo carceri mancipatus eſt perpetuo, ne plures deinceps perverteret.

Petrus Abailardus ex Oppido quodam oriundus, quod in ingreſſu minoris Britanniæ poſitum, ab urbe Nannetica verſus Orientem octo circiter remotum milliaribus appellatur *Palatium*, ex piis parentibus *Berengario*, & *Lucia* natus eſt. Pater militiæ adſcriptus, & nihilominus *Petrus Abailardus.*

minùs in literarum ſtudium propenſus, filios ante literis inſtrui, quàm armis curabat. Hic profeſſionem Religioſam provecta jam ætate amplexus eſt, quem in ſacro propoſito æmulata eſt Lucia conjux. *Petrus Abailardus* expedito prę fratribus ingenio prędítus Marti renunciavit, ut ſe totum Minervę conſecraret. Dialecticę pręſertim incubuit, ejuſque artis magiſterio famoſiſſimum ſibi nomen peperit. Innumeri ad eum confluebant Diſcipuli, quos inter infelix ille *Arnaldus de Brixia*, de quo ſtatim infrà.

Sed & inter Diſcipulos nactus eſt Diſcipulam *Heloiſſam*, nobilem virginem; *Fulberti* Canonici inſignis Eccleſię Pariſienſis Neptem, forma pręſtantem, doctrina pręſtantiorem, toto Regno ob ſingulares dotes percelebrem. At doctrina ſe Viris ſecurè, non Fœminis communicát. Furtivis *Abailardi* amoribus ſuperſedeo. Heloiſſam ducit uxorem, quamvis ei matrimonium ob illius onera, quę egrè cum ſtudiis ſociari queunt, virili animo diſſuadentem.

Mutuo deinde conſenſu *Abailardus* in Abbatia *S. Dioniſii* propè Pariſios ſacrum ſuſcepit habitum: *Heloiſſa* verò benedictum ab Epiſcopo velum in monaſterio Argenteolenſi (Argentevil) etiam propè Pariſios, Oratorium deinde *Paracleti* ab *Abailardo* conſtructum rexit, ut prima Abbatiſſa, atque illic vitam ad omnem virtutis normam Religioſè inſtituit.

Porro Petrus ſemper immerſus ſtudiis; pluribus ſuos inſperſit libros erroribus. Illos *Cono* Pręneſtinus Epiſcopus, & Legatus in Concilio Sueſſionenſi juſta damnatione perſtrinxit. Sed ſuperbus ille ſpiritus ſententię Legati nullatenùs acquievit. Quinimo magis indè exaſperatus, magnum ratus eſt patrocinium ſuę cauſę acceſſurum, ſi *Bernardo Clarævallenſi* viro toto orbe celeberrimo ſuperior in diſputando evaderet. Victoriam ſibi haud fore difficilē tum proprii ingenii fiducia, tum argutiis Syllogiſticis, continuoque diſputandi uſu ſibi perſuaſit, cui nequaquam adverſarius, quem provocabat, erat aſſuetus. Illa ſpe fretus inſtitit apud *Joſelinum* Senonenſem Metropolitanum, (Civitas ea eſt ad fluvium Sequanam 20. leucis diſtans Pariſiis) ut

ut Synodum Prælatorum ſibi ſubjectorum indiceret, Bernardumque ad ſecum publicè diſputandum invitaret. Vir ſanctus diù reſtitit, ſed urgentibus Senonenſi, aliiſque Epiſcopis in arenam prodiit. Eò ſpectatores advenerunt Rex ipſe Ludovicus VIII. aliique Principes viri: Concilio interfuerunt Metropolitani Senonenſis, & Rhemenſis, plures Epiſcopi, ac Abbates, accitique inſigniores Theologi. Ubi ad rem ventum eſt, *Bernardus* ea dogmata de ſcriptis *Abailardi* protulit, quæ planè eſſe hæretica demonſtrare nitebatur. *Abailardus* verò inops animi, nón expectata diſcuſſione rei, ante omne preſentis Synodi judicium, neque vel mutire auſus, unicè provocavit ad ſummi Pontificis judicium: Concilio confuſione obrutus ſe ſubduxit, erupit, evaſit, quamvis *Bernardus* fugientem comiter retinere conaretur. Non poterat *Abailardus* reſiſtere ſapientiæ, & Spiritui Dei in Bernardo emicanti, ipſeque ſuis confeſſus eſt, ſibi ea hora memoriam excidiſſe, mentem caligaſſe, ſenſumque interiorem defeciſſe. Evaſio tamen ejus non impedivit, quin Synodus illius propoſitiones palam lectas examinarit, & condemnarit. Per Cathedram Apoſtolicam, ſub *Innocentio II.* confirmata eſt Concilii Senonenſis ſententia; Abailardus quoque Anathemate obtritus; mandatumque fuit Patribus, ut in Monaſterio arctæ cuſtodiæ includeretur pœnitentiam reliqua vita peracturus, & ut illius libri, quicumque reperiri poſſent, comburerentur.

Abailardus dum Romam versùs ante vaticana hæc fulmina, variis ideis irretitus, & vanam præſertim proſecuturus appellationem iter intendit, *Cluniacum* divertit. Illic ſe totum, repentè victrice Dei gratia motus, arbitrio Abbatis *Petri Venerabilis* dedit, illius opera omnes ſuos errores ejuravit, *S. Bernardum* impensè coluit, perfectèque pœnitens in profundo ſui deſpectu, vitæque auſteritate ſancto demum fine quievit. Eundem, poſtquam obiit, *Petrus Venerabilis* impensè laudavit ſcripta ad Abbatiſſam *Heloiſſam* epiſtola, de viri quondam ſui ſalute admodùm ſollicitam.

Hi ſunt principes, qui de *Abailardo* celebrantur, errores.

1. *Deus*

1. *Deus non videtur per eſſentiam à Beatis.*

2. *In Chriſto non fuit Spiritus timoris Domini.*

3. *Timor Domini caſtus non eſt futurus in Beatis.*

4. *Nihil eſt credendum, quod excedit virtutem noſtri intellectus.*

5. *Non dantur peccata ignorantiæ.*

6. *Judæi, utpotè Chriſtum ignorantes, eum crucifigendo non peccarunt.*

7. *Per liberum arbitrium ſine adjuvante Dei gratia benè poſſumus & velle, & agere.*

Arnaldus de Brixia. Arnaldus natione Italus, patria *Brixienſis*, ibidem Clericus, in Galliis Abailardi Auditor fuit. Vir quidem erat naturę non hebetis, plus tamen verborum profluvio, quàm ſententiarum pondere copioſus, ſingularitatis amator, novitatis cupidus, atque hinc ad fabricandas pronus hęreſes, & ſchiſmata. E Gallia reverſus, in ipſamet urbe Roma exeruit hęreſim, atque illic omnia ſusdeque vertit.

Docebat, *Clerico illicitum eſſe poſſidere bona temporalia, & hæc ad ſolos Laicos pertinere.*

Damnatus eſt in Synodo Oecumenica Lateranenſi ſub *Innocentio II.*

Arnaldus ex Italia fugiens in ignobili quodam oppidulo Germanię Doctoris officium aſſumpſit, & perniciosum ibi dogma aliquo tempore divulgavit.

Sic vero de *Arnaldo* S. Bernardus epiſt. 196. *Arnaldus de Brixia, cujus converſatio mel, & doctrina venenum, cui caput columbæ, cauda ſcorpionis eſt, quem Brixia evomuit, Roma exhorruit, Francia repulit, Germania abominatur, Italia non vult recipere, omnia perturbat.*

Sub *Eugenio* 3. olim S. Bernardi diſcipulo, licèt proſcriptus in urbem irrepſit. Cum eſſet fax ſeditionis paulò ante motę adversùs Pontificęm, illa magis, magiſque, Arnaldo pręſente, exarſit. Ut Romanis adularetur, inſtaurandum contendit eſſe Capitolium, renovandam dignitatemSenatoriam,excutiendumque jugum, ſibi Orbis olim debellatoribus nunc perperam à Pontificibus impoſitum; irent illi,ſolaque forent Eccleſiaſtica juriſdictione contenti. In tantum verò ſeditioſę hujus

hujus doctrinæ malum cœpit invaleſcere, ut plebs furibunda non ſolùm Cardinalium Palatia uno impetu diruerit, ſed & plures ſauciarit.

Novas denique Turbas cum moliretur *Arnaldus*, juſſu Imperatoris *Frederici I.* captus,& à *Petro* urbis præfecto ad rogum damnatus eſt, ejuſque cineres in Tyberim projecti ſunt, ut *Ottho Friſingenſis*, & *Guntherus* celebres Authores referunt;

Ne ſtolidæ plebis, quem fecerat, improbus error
Martyris oſſa novo, cinereſque foveret honore.

Talem finem nactus eſt Urbis, & Orbis perturbator.

Gilbertus Porretanus Pictavienſis Epiſcopus,cum ab Adoleſcentia in diverſis Galliæ locis Philoſophiam magna ſui nominis celebritate tradidiſſet; ut ante conſueverat ſubtiliter de quæſtionibus Philoſophicis diſputare, ita & cœpit ad dignitatem evectus Pontificalem, multa de rebus divinis præter communem Eccleſiæ morem proferre. Contigit verò, ut in ſermone quodam ad Clericos de fide *SS. Trinitatis* differens nonnulla diceret, quæ Catholicæ doctrinæ refragari videbantur. Quapropter ab *Arnaldo*, & *Calone* Archidiaconis ſuis ad Romani Pontificis tribunal vocatus eſt. Illi *Eugenio 3.* Senis ſupplicarunt, ut cauſæ, in qua de fide agebatur, cognitionem ſuſciperet. Is, cum in Gallias tenderet, examen controverſiæ, donec illam ipſemet in Galliis diſcuteret, diſtulit. Archi-diaconi verò Bernardum ClaræVallenſem incredibili Catholicæ fidei ardore flagrantem convenientes, ab eo obtinuerunt, ut errorum *à Gilberto Porretano* aſſertorum condemnationem urgeret. Primò negotium illud agitatum eſt in Synodo *Pariſienſi* præſente *Eugenio 3.* deinde in *Rhemenſi* eodem præſide Pontifice Maximo. Illic ſuis damnatis aſſertionibus cum magna animi ſubmiſſione ſubſcripſit, & Archi-diaconis, qui eum accuſarant, in gratiam receptis; ad ſuam honorificè Eccleſiam remiſſus eſt.

Gilbertus Porretanus.

Illius porro errores, hi fuerunt.

1. *Deus non eſt Deitas.*
2. *Relationes in Divinis ſunt aſſiſtentes, ſive extrinſecùs*

ſecùs affixæ , & ita non ſunt realiter idem quod ſua eſſentia .

3. *Nullus* B*aptizatur*, *niſi ſalvandus*.

Eon. Eon , ſive Eudo de *ſtella* ex Britannia oriundus , homo planè illiteratus,dæmonum tamen præſtigiis nudam ſibi plebeculam copulans in eadem Rhemenſi Synodo Pontifici Eugenio oblatus eſt . Malignorum ludificatione ſpirituum ita dementatus erat, ut cum ipſe diceretur *Eon*, ſe eſſe crederet eum , qui in Exorciſmis Eccleſiaſticis dicitur *venturus judicare vivos & mortuos* , *& ſæculum per ignem* , ita planè fatuus , ut *Eon* , & *eum* neſciret diſtinguere : ſed & ſtupenda prorſus cæcitate ſe crederet , & jactitaret dominatorem , ac judicem vivorum , & mortuorum .

Juſſu *Eugenii* miſſus eſt in carcerem , ubi paulò poſt extinctus eſt .

Apoſtolici. *Eugenii* temporibus alii ex inferis proruperunt Hæretici . Ii, cum certo carerent Authore , à quo denominari poſſent , ſe ipſos *Apoſtolicos* ambitiosè nuncupabant .

Sectarii. Se *Apoſtolorum* ſucceſſores eſſe dictitabant : id quod & *Sectariis* familiare eſt : cum tamen illi exorti ſæculo 16. ſuam ab Apoſtolis ad ſeipſos ſine ulla interruptione ſucceſſionem in lucem proferre nequeant .

Continentiæ voto ſe obſtringentes invehebantur *in nuptias* : illas docebant *eſſe illicitas* : & tamen mulieribus indivulsè adhærebant .

Si morum luſtres corticem , apparebant integerrimi . *Videas* , inquit *Bernardus* ſerm. *66.* in Cantica , *Apoſtolicos in teſtimonium ſuæ fidei frequentare Eccleſias* , *honorare Presbyteros* , *Confeſſiones facere* , *Sacramentis communicare . . . pallent inſuper ora jejuniis* . *Panem nemo comedit otioſus* . *Omnis operatur manibus* , *ut vitam ſuſtentet* . Sed quidquid id eſt , neceſſe erat , ut fœminarum contubernium virtutes demoliretur , & quid lateret in illis continentiæ , proderet . Vide eos in refutatione erroris à *S. Bernardo* egregiè exagitatos .

Porro *Apoſtolicorum* pertinacia etiam in ſuppliciis ſeſe diſtinguebat . Duo iſtius ſectæ profeſſores prope Coloniam , cum per triduum admoniti, reſipiſcere nollent ,

lent, rapti à populo nimio ardore permoto, ac in ignem projecti, non ſolùm patienti, ſed & alacri animo inundantes in ſe flammas exceperunt. Adeò vel Dæmon ſibi vendicat Martyres.

Sectę *VValdenſium* Author eſt Petrus *VValdo*, quam hac occaſione fabricavit. Cum civis quidam Lugdunenſis inter pręcipuos, in plurium conſpectu ſubito expiraſſet; *Petrus VValdo* mortis imagine perculſus ingentem pecunię vim pauperibus diſtribuit. Hęc beneficentia maximam egenorum multitudinem ejus lateri agglutinavit. Sed dum curat corpora, benignitate prępoſtera perdit animas. Cum enim foret aliquantulùm literatus, novi Teſtamenti textum docuit eos vulgariter, variaque effudit dogmata à doctrina Eccleſię aliena. Hanc ob temeritatem à Pręlatis Eccleſiaſticis reprehenſus, eorum correptionem ſprevit, perſuadens Diſcipulis, Clerum, quòd moribus eſſet diſſolutioribus, tum ſanctę ipſorum vitę, tum doctrinę invidere. Cum verò Anathemate à Romano eſſent confixi Pontifice, illum contempſerunt, abnegarunt, ejurarunt. Hinc & miſerrima rerum facies, & errorum profluxit colluvies. Pręcipuos hic ſubnectimus. *VValdenſes.*

1. *Eccleſia Romana defecit ſub Sylveſtro Papa; unde Eccleſia Romana eſt modò omnium ſentina vitiorum.*

2. *Hinc non eſt obediendum Prælatis Eccleſiaſticis, ſed tantùm Deo.*

3. *Duo ſunt ſolummodò Sacramenta, Baptiſmus, & Euchariſtia.*

4. *Sacerdos amittit poteſtatem conſecrandi, ſi peccatum mortale commiſerit.*

5. *Laici poſſunt conficere Euchariſtiam non quidem prolatione verborum, quæ in Cœna Chriſtus inſtituit, ſed recitatione orationis Dominicæ.*

6. *Papa non habet poteſtatem concedendi Indulgentias.*

7. *Jejunium nullius eſt meriti apud Deum.*

8. *Chriſtianis interdictum eſt juramentum, ita ut eis nunquam jurare liceat.*

9. *Fruſtra tempus teritur in cantibus Eccleſiaſticis.*

10. Re-

10. *Rejiciendæ ſunt omnes Cerimoniæ in Eccleſia Romana adhiberi ſolitæ*.

Illorum Miniſtri appellabantur *Barbæ*, unde & hodiedùm *Waldenſes*, ſeu Waldenſium reliquiæ (vulgò *les Vaudois*) nuncupantur *les Barbets*. Degunt in vallibus *Sabaudiæ*, & *Pedemontii*. De eorum fraternitate *Sectarii* gloriantur.

Porro Waldenſes dicti etiam ſunt *Patareni*, *Cathari*, *Pauperes de Lugduno*: ſed de his, præſertim *Catharis* ſæculo ſequenti.

Damnati fuerunt *Waldenſes* 1. ſub *Alexandro* 3. in Concilio Generali Lateranenſi 3. anno 1179. canone 27. deinde etiam unà *cum Albigenſibus* (de quibus eodem ſæculo) in œcumenico Lateranenſi 4. ſub *Innocentio* anno 1225. item à *Gregorio* 9. in Conſtitutione edita 1236. quæ inſerta eſt libro 5. Decretalium tit. 7. *de Hæreticis* cap. *excommunicamus*. Conſtitutionis hæc ſunt verba. *Excommunicamus*, & *Anathematizamus univerſos Hæreticos*, *Catharos*, *Patarenos*, *Pauperes de Lugduno*, *Albigenſes*, &c.

Refelluntur Errores Sæculi duodecimi.

Error Durandi de Waldach. *Matrimonium eſt fornicatio palliata*.

D. Thomas. In ſuppl. q. 41. art. 3. *Dicitur* 1. *ad Corinth.* 7. *ſi nupſerit virgo*, *non peccavit*: fornicatio autem peccatum eſt. Matrimonium igitur non eſt fornicatio palliata.

1. *Michael Archangelus ſuit Incarnatus*.

Errores Bongomilorum. D. Thomas 3. p. q. 16. art. 2. *Dicitur Rom.* 1. *ex quibus eſt* Chriſtus ſecundum carnem, *qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula*.

Et Joan. 1. *Et Verbum Caro Factum eſt*.

Item 1. Joan. 4. *Omnis Spiritus*, *qui confitetur*, *Jeſum* Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt. Quænam ſit vel umbra mentionis in Sacris Literis de Incarnatione Michaelis Archangeli? unde apage horribilem illam adversùs Chriſtum blaſphemiam.

2. *Baptiſmus ab Eccleſia adhiberi ſolitus*, *non eſt* Chri-

Chriſti, ſed Joannis Baptiſtæ, Bongomilorum verò eſt Baptiſmus Chriſti ob Spiritum Sanctum in ipſis reſidentem.

D. Thomas 3. p. q. 38. art. 5. & 6. Ceſſavit Baptiſmus Joannis.. *qui tantùm Baptizavit in aqua.... Baptiſmus autem Chriſti non ſolùm fit in aqua, ſed etiam in Spiritu Sancto: ſecundùm illud Joan. 8. niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non poteſt introire in regnum Dei. Unde illi, qui tantum baptizati erant Baptiſmo Joannis... erant iteratò totaliter baptizandi in aqua & Spiritu.* Baptiſmus autem Chriſti non reiteratur. Proinde Baptiſmus ab Eccleſia adhiberi ſolitus, qui etiam iterabilis non eſt, non Joannis, ſed *Chriſti* Baptiſmus eſt. Quod verò Baptiſmus *Bongomilorum* ſit Baptiſmus Chriſti ob Spiritum Sanctum in ipſis reſidentem, commentum eſt, quòd refutatione non indiget.

1. *Sacro-Sancti Corporis, & Sanguinis Chriſti perceptio nihil prodeſt ad ſalutem perpetuam.* *Errores Tanchelini.*

D. Thomas 3. p. q. 79. art. 2. *Dicitur Joan. 6. ſi quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum, ſed vita æterna eſt vita gloriæ, ergo effectus hujus Sacramenti eſt adeptio gloriæ.*

Deinde; *Chriſtus per ſuam paſſionem in hoc Sacramento maximè repræſentatam, aperuit nobis aditum* vitæ æternæ: *ſecundùm illud Hebr. 9. novi Teſtamenti Mediator eſt, ut morte intercedente, qui vocati ſunt, accipiant repromiſſionem æternæ hæreditatis. Unde & in forma hujus Sacramenti dicitur: Hic eſt Calix Sanguinis mei novi, & æterni Teſtamenti.* Itaque Sacro-Sancti Corporis, & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti perceptio (ſi requiſita adſit diſpoſitio) prodeſt ad ſalutem perpetuam.

2. *Fornicatio, & adulterium ſunt opus beatitudinis meritorium.*

D. Thomas in ſuppl. q. 99. art. 5. *Dicitur 1. ad Corinth. 6.* Neque fornicarii, neque adulteri regnum Dei poſſidebunt.

1. *Baptiſmus nihil prodeſt parvulis ante intelligibilem ætatem.* *Errores Petri de Bruis.*

D. Thomas. 3. p. quæſt. 68. art. 9. *Dominus dicit*

O *Joan.*

Joan. 3. *quod niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Unde neceſſarium fuit parvulos Baptizari, *ut ſicut per Adam damnationem incurrerunt naſcendo, ita per Chriſtum ſalutem conſequantur renaſcendo.*

At pueri, inquiebat Petrus, ante intelligibilem ætatem non credunt actu proprio, *ſine fide autem impoſſibile eſt placere Deo.* Ad Hebr. 10.

Sanè *ad aliena verba ſalvantur, qui ad factum alienum vulnerantur,* inquit Auguſtinus ſerm. 14. de verbis Apoſtoli cap. 11. hinc *puer, cum Baptizatur, non per ſeipſum, ſed per alios* (ſcilicet ſuſceptores ſuos) *credit.* Hic ad 3. Vide errorem *Anabaptiſtarum* ſæculo 16.

2. *Eccleſiæ omnes diruendæ ſunt, nulla enim ſunt deputata, vel neceſſaria loca ad orandum.*

D. Thomas 2. 2. q. 84. art. 3. in corp. *Dicitur Lucæ* 19. *domus mea, domus orationis vocabitur.* Ad 2. verò; *determinatus locus,* inquit S. Doctor, *eligitur ad orandum: non propter Deum, quaſi loco concludatur, ſed propter ipſos orantes. Et hoc triplici ratione. Primò propter loci conſecrationem, ex qua ſpiritualem devotionem concipiunt orantes, ut magis exaudiantur. Secundò propter Sacra myſteria, & alia ſanctitatis ſigna, quæ ibi continentur. Tertiò propter concurſum multorum orantium, ex quo fit oratio magis exaudibilis, ſecundùm illud Matth.* 18. *ubi ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* An ergo Eccleſiæ diruendæ ſunt?

Error Henrici Petrobruſiani.

Deus irridetur cantibus Eccleſiaſticis: quia qui ſolis piis affectibus delectatur, nec altis vocibus advocari, nec cantu poteſt mulceri.

D. Thomas 2. 2. q. 91. art. 1. *In Pſalm.* 62. *Dicitur, labiis exultationis laudabit os meum.* Et Pſalm. 49. Sacrificium laudis honorificabit me. Non igitur per cantum Eccleſiaſticum Deus irridetur, ſed honoratur.

In divinas autem laudes (ut inane ipſius argumentum elidatur) *cantus aſſumuntur, ut animi magis provocentur ad devotionem. Unde Auguſtinus dicit libr.* 10. *confeſſionum cap.* 33. *adducor cantandi conſuetudinem approbare*

probare in Eccleſia, ut per oblectamenta aurium, animus in affectum pietatis aſſurgat. art. 2. Affectus autem pietatis Deum mulcet, unde Deus tum altis vocibus advocari, tum cantu poteſt mulceri.

1. *Deus non videtur per eſſentiam à Beatis.* *Errores Petri Abailardi.*

D. Thomas. 1. p. q. 12. art. 1. *Dicitur* 1. *Joan.* 3. *videbimus eum ſicuti eſt*. Et 1. ad Corinth. 13. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem* facie ad faciem. Deinde, Matth. 18. *Angeli eorum in Cœlis ſemper vident faciem Patris mei, qui in Cœlis eſt.*

Ratio etiam ſuffragatur: *cum enim ultima hominis beatitudo in altiſſima ejus operatione conſiſtat, quæ eſt operatio intellectus, ſi nunquam eſſentiam Dei videre poteſt intellectus creatus, vel nunquam beatitudinem obtinebit, vel in alio ejus beatitudo conſiſtet, quàm in Deo. Quod eſt alienum à fide: in ipſo enim eſt ultima perfectio rationalis creaturæ.* Si verò intellectus nunquam beatitudinem obtinere poſſit; *remanebit inane deſiderium naturæ, quæ (cum inſit ei naturale deſiderium cognoſcendi cauſam, dum intuetur effectum) pertingere non valebit ad primam cauſam*, quæ eſt Deus.

2. *In Chriſto non fuit Spiritus timoris Domini.*

D. Thomas 3. p. q. 7. art. 6. *Dicitur Iſai.* 11. Replebit eum Spiritus timoris Domini.

Spiritus autem Domini non eſt timor ſervilis, ſed reverentialis, divinam ſcilicet reſpiciens eminentiam, qui ſanè fuit in Chriſto. *Animà* enim *illius quodam affectu reverentiæ movebatur in Deum à Spiritu Sancto acta. Unde Hebr.* 5. *Dicitur, quòd in omnibus exauditus eſt pro ſua reverentia.*

3. *Timor Domini caſtus non eſt futurus in Beatis.*

D. Thomas 2. 2. quæſt. 19. art. 11. *Dicitur in Pſalmo* 18. *timor Domini ſanctus permanens in ſæculum ſæculi.*

Nec obeſt, quod Beati non timeant ſeparari à Deo per culpam. *Timor* enim caſtus *ſeu filialis habet duos actus*, (1. 2. q. 67. art. 4. ad 2.) *ſcilicet timere ſeparationem à Deo, & revereri Deum: quantùm* ad priorem *actum, ille non manet in Beatis, quantùm* verò

ad hunc actum manet. Beati enim divinam reverentur Majeſtatem, ac illi ſe penitus ſubſternunt.

In hunc ſenſum interpretatur Gregorius 16. moralium verba illa Job. 26. *Columnæ Cœli contremiſcunt, & pavent ad nutum ejus*. Sic etiam accipitur timor Lucæ 7. *Accepit autem omnes timor*, id eſt reverentia Majeſtatis Chriſti relucentis in miraculis, & *magnificabant Deum*. Dicitur etiam Matth. 9. *videntes turba* ſtupenda Chriſti opera *timebant, & glorificabant Deum*.

4. *Nihil eſt credendum, quod excedit virtutem noſtri intellectus.*

D. Thomas 2. 2. q. 2. art. 3. *Dicitur Hebr. 11. ſine fide impoſſibile eſt placere Deo; eſt autem fides* (ibidem) *ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum* non apparentium. Apparerent autem res fidei, ſi humana poſſent ratione inveſtigari; proindeque falſum eſt, nihil eſſe credendum, quod excedit virturem noſtri intellectus; ſed debemus *captivare intellectum in obſequium fidei* 2. ad Corinth. 10.

Accedunt verba Apoſtoli 1. ad Corinth. 2. *Sermo meus & prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione Spiritus, & virtutis, ut fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei*. Si non ſint credenda (ut vult Abailardus) niſi ea quæ intellectu ſeu ratione percipi poſſunt; tunc noſtra fides ex humana pendebit ſapientia: cum tamen Paulus diſertè dicat, fidem noſtram non eſſe in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei. Denique, fides tunc erit *humana*, non *divina*.

5. *Non dantur peccata ignorantiæ.*

D. Thomas 1. 2. q. 76. art. 2. *Nihil meretur pœnam niſi peccatum: ſed ignorantia meretur pœnam, ſecundùm illud 1. ad Corinth. 14. ſi quis ignorat, ignorabitur, ergo ignorantia eſt peccatum*, adeòque dantur peccata ignorantiæ.

Id etiam exprimit Pſalmus 24. *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine*. Deinde Iſaiæ 5. dicitur; *propterea captivus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam*. Item Oſeæ 4. *Populus non intelligens vapulabit*.

Deni-

Denique ad Hebræos 9. *Sacerdos veteris Teſtamenti offerebat ſanguinem pro ſua, & populi ignorantia.*

Ratio autem, cur ignorantia ſit peccatum, à priori hæc eſt. Quia *quicumque negligit facere id, quod tenetur facere, ille peccat, itaque & ignorantia eorum, quæ aliquis ſcire tenetur, eſt peccatum.*

6. *Judæi utpote Chriſtum ignorantes, eum crucifigendo non peccarunt.*

D. Thomas 3. p. q. 47. art. 5. ad 3. *Ignorantia affectata non excuſat à culpa, ſed magis videtur culpam aggravare: oſtendit enim hominem ſic vehementer affectum eſſe ad peccandum, quod vult ignorantiam incurrere, ne peccatum vitet.* Et ideo Judæi peccaverunt, *non ſolum hominis Chriſti, ſed etiam tanquam Dei crucifixores.*

7. *Per liberum arbitrium ſine adjuvante Dei gratia bene poſſumus & velle, & agere.*

Vide errorem 2. *Pelagii* ſæculo 5.

Clerico illicitum eſt poſſidere bona temporalia, & hæc ad ſolos laicos pertinent. **Error Arnaldi de Brixia.**

D. Thomas in ſupplem. q. 40. art. 3. *Jeremias fuit de ordine Sacerdotali ut patet Jerem. 1. ſed ipſe habuit poſſeſſionem bonorum temporalium, ut patet Jerem. 32. emi agrum; & appendi* (venditori) *argentum ſeptem ſtateres, & decem argenteos; poſſunt igitur Clerici habere bona temporalia*; proindeque hæc non pertinet ad ſolos Laicos.

Deinde, *terrenorum poſſeſſio non contrariatur divino cultui, ad quem Clerici deputantur, ſed nimia eorum ſollicitudo . . . unde Clerici, dum coronam accipiunt, non renuntiant rebus temporalibus.*

Imo, reponebat Arnaldus, Clerici, dum coronantur, dicunt, *Dominus pars hæreditatis meæ*: unde & Hieronymus dicit in epiſtola ad Nepotianum, *Dominus* in his temporalibus *pars fieri dedignatur*; Clerici proinde renuntiant temporalibus. **Object.**

At ſolutionem hìc accipe ad 1. *Dominus dedignatur, pars fieri eorum, qui res* mundi ita poſſident, *ut ponant finem ſuum in Deo, & in rebus mundi: non ta-* **Reſp.**

men dedignatur pars fieri eorum, qui res mundi ita poſſident, ut per eas à divino cultu non retrahantur. Deus igitur non culpat bonorum temporalium poſſeſſionem in Clericis, ſed exigit, ut cor eorum non ſit illis affixum.

Errores Gilberti Porretani.

1. *Deus non eſt Deitas.*

D. Thomas 1. p. q. 3. art. 3. *De Deo dicitur, quod eſt vita, & non ſolùm quod eſt vivens, ut patet Joan. 4. ego ſum via, veritas, & vita. Sicut autem ſe habet vita ad viventem, ita Deitas ad Deum, itaque* Deus eſt ipſa deitas.

2. *Relationes in Divinis ſunt aſſiſtentes, ſive extrinſecus affixæ, & ita non ſunt realiter idem, quod ſua eſſentia.*

D. Thomas. 1. p. qu. 28. art. 2. *Circa hoc dicitur Gilbertus Porretanus erraſſe.. dixit enim, quod relationes in Divinis ſint aſſiſtentes, ſive extrinſecus affixæ.. at errorem ſuum poſtmodum in Rhemenſi Concilio revocavit.*

Fuit autem in illum errorem inductus Gilbertus, ex eo, quod non benè relationes conſideraret. Reales enim relationes in creaturis habent duo: *Vnum in quantùm ſunt accidentia*, nimirum *inhærere ſubjecto, accidentis enim eſt ineſſe*. Alterum, quod relationi convenit, in quantum eſt relatio, eſt dicere reſpectum ad terminum extra ſe exiſtentem.

Si igitur conſiderentur relationes tantùm ſecundùm quod relationes ſunt, ſemoto eo, quod habent in quantum ſunt accidentia, *ſic inveniuntur eſſe aſſiſtentes*, extra ſe exiſtentes, *& quaſi extrinſecùs affixæ. Et hoc modo tantùm Gilbertus Porretanus conſideravit relationem*: & propterea dixit relationes in Divinis eſſe aſſiſtentes, ac ideò eas non eſſe idem quod eſt ſua eſſentia.

Sed hoc refellitur ex celebri illo Theologorum axiomate: *omnia ſunt unum in Divinis, niſi ubi obviat relationis oppoſitio*, relationes autem divinæ nullam habent oppoſitionem ad eſſentiam, proindeque ſunt unum, & idem cum Divina eſſentia, ſic non ſunt tantùm extrinſecùs aſſiſtentes.

Præfatum verò axioma fundamentum habet in ſacris Literis ſcilicet Joann. 16. ubi Chriſtus dicit: *Omnia, quæ-*

quæcumque habet Pater, mea ſunt. Et cap.17. *Mea omnia tua ſunt: & tua mea ſunt.* Illic enim ſignificatur, Filium habere omnia, quæcumqe competunt Patri, demptis iis, quæ pertinent ad Paternitatem, ſeu ad oppoſitionem relativam Patris ad Filium.

Si verò relationes ſpectentur ut accidentia, ſic *quidquid in rebus creatis habet eſſe accidentale; ſecundùm quod transfertur in Deum, habet eſſe ſubſtantiale, nihil enim eſt in Deo, ut accidens in ſubjecto: ſed quidquid eſt in Deo, eſt ejus eſſentia.. & ita patet,* quod in Deo non eſt aliud eſſe relationis, & eſſe eſſentiæ, ſed unum, & idem,

3. *Nullus Baptizatur niſi ſalvandus.*

D. Thomas 3. p. q. 69. art. 10. *Effectus Baptiſmi non eſt tollere* peccata futura. Multi igitur Baptizantur, qui æternum (proh dolor!) ob peccata poſt Baptiſmum commiſſa ſunt perituri.

Eonis, ſeu *Eudonis* inſania de ſe refellitur. *Eon.*

Nuptiæ ſunt illicitæ.

D. Thomas hìc ſupra ad errorem *Durandi de VValdach.* *Error Apoſtolicorum.*

Cum tamen *Apoſtolici* mulieribus cohabitarent, ſic illos obſervatores continentiæ, nuptiarumque condemnatores *S. Bernardus* exagitat ſermone 65. & 66. in *Cantica*. *Inter Apoſtolicos nemo eſt, qui fœmina careat. Interrogo unumquempiam horum: heus tu, bone vir, quænam hæc mulier, & unde hæc tibi? uxorne tua? non inquit, nam voto meo iſtud non convenit. Filia ergò? Non. Quid? num Soror, num Neptis, num aliquo ſaltem propinquitatis, vel affinitatis gradu attinens tibi? nullo prorſus. Et quomodò tuta tibi cum iſta continentia tua? Verùm quiſpiam* (proſequitur) *de illis ſucceſſoribus Apoſtolorum, qui mortuos ſuſcitabant, ſiniſtrum quiſpiam ſuſpicabitur? fac tu ſimiliter, Apoſtolice, ſuſcita mortuos. cum fœmina ſemper eſſe, & non cognoſcere fœminam, nonne plus eſt, quam mortuum ſuſcitare? quid? quod minus eſt, non potes, & quod majus eſt, vis credam tibi? ſcandalo mihi es, tolle ſcandali cauſam, ut te probes verum, ut jactitas, Evangelii æmulatorem... ſi non vis ſcandalizare Eccleſiam, ejice fœminam.*

Errores Waldenſium.

1. *Eccleſia Romana defecit ſub Sylveſtro Papa, unde Eccleſia Romana eſt modò ſentina vitiorum.*

D. Thomas Opuſculo 6. à nobis ſæpè allegato. *Aliqui dixerunt* (antea *Donatiſtæ* ſæculo 4. & modò *Waldenſes*) *quod Eccleſia debet durare uſque ad certum tempus. Sed hoc eſt falſum, quia Eccleſia durabit uſque ad finem ſæculi. Dicitur enim* Matth. ult. Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi. Nec itaque defecit Eccleſia ſub *Sylveſtro*, nec unquam deficiet.

Sint nonnulli in ea, fuerint, futuri ſint à Majorum virtute degeneres, eorum improbitas non eſt in *totam* refundenda Eccleſiam.

2. *Non eſt obediendum Prælatis, ſed tantùm Deo.*

D. Thomas 2. 2. q. 104. art. 1. *Præcipitur ad Hebr. ult. obedite Præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis.* Quod autem loquatur Apoſtolus de Prælatis Eccleſiaſticis, convincitur per id, quod in eodèm capite promiſerat. *Mementote Præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt verbum Dei.*

Deinde: Chriſtus loquens Diſcipulis ſuis, & in eis, omnibus Prælatis illorum ſucceſſoribus ait Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit.*

Object. At qui audiendi ſunt, inquiebant VValdenſes, quorum opera verbis non correſpondent?

Reſp. Luſtrent illi caput 23. Matthæi. *Super Cathedram Moyſi* verè, & cum legitima poteſtate *ſederunt Scribæ, & Phariſæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis*, ſervate, & facite, obedite illis; prædicantes audite, colite, veneremini: *ſecundùm opera verò eorum nolite facere.* Hæc in præſenti materia quibuſdam Prælatis illis, ſi Scribas, & Phariſæos imitentur, applicanda ſunt.

3. *Tantùm duo ſunt Sacramenta Baptiſmus, & Euchariſtia.*

Vide tum *Archonticos* ſæculo 2. tum *Sectarios* ſub finem operis.

4. *Sacerdos amittit poteſtatem conſecrandi, ſi peccatum mortale commiſerit.*

D. Tho-

D. Thomas 3. p. q. 82. art. 5. *Sacerdos conſecrat hoc Sacramentum non virtute propria, ſed ſicut miniſter Chriſti, in cujus perſona conſecrat hoc Sacramentum. Non autem ex hoc ipſo deſinit aliquis miniſter eſſe Chriſti, quod eſt malus: habet enim Dominus bonos, & malos miniſtros, ſeu ſervos. Unde Matth.* 24. *Dominus dicit. Quis, putas, eſt fidelis ſervus, & prudens &c. Et poſteà ſubdit, ſi autem dixerit malus ille ſervus in corde ſuo &c. Et Apoſtolus dicit* 1. *Corinth.* 4. *ſic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti: & tamen poſteà ſubdit, nihil mihi conſcius ſum: ſed non in hoc juſtificatus ſum. Erat ergo certus, ſe eſſe miniſtrum Chriſti: tamen non erat certus, ſe eſſe juſtum. Poteſt ergo aliquis eſſe miniſter Chriſti, etiamſi juſtus non ſit: & hoc ad excellentiam Chriſti pertinet; cui ſicut vero Deo ſerviunt non ſolùm bona, ſed etiam mala, quæ per ejus providentiam in ejus gloriam ordinantur. Unde manifeſtum eſt, quòd Sacerdotes, etiamſi non ſint juſti, ſed peccatores, poſſunt Euchariſtiam conſecrare.*

5. *Laici poſſunt conficere Euchariſtiam non quidem prolatione verborum, quæ in cœna Chriſtus inſtituit, ſed recitatione orationis Dominicæ.*

D. Thomas 3. p. q. 82. art. 1. ad 1. & 3. *Virtus conſecrativa*, ſeu confectiva Euchariſtiæ *conſiſtit in ipſis verbis* conſecrationis (quantùm hæc differunt ab oratione Dominica!) *ſicut virtus Baptiſmi conſiſtit in ipſis verbis. Conſiſtit & in poteſtate Sacerdoti tradita in ſua conſecratione & ordinatione; cum ei dicitur ab Epiſcopo, accipe poteſtatem offerendi in Eccleſia ſacrificium tam pro vivis, quàm pro mortuis. unde laicus non poteſt hoc Sacramentum conficere*, etiamſi vel verba conſecrationis proferret, multò minùs igitur proferendo verba orationis Dominicæ.

6. *Papa non habet poteſtatem concedendi Indulgentias.*

D. Thomas in ſuppl. q. 25. art. 1. *Habetur* 2. *ad Corinth.* 2. *nam & ego quod donavi* inceſtuoſo partem pœnæ, quam ſubire debebat, *ſi quid donavi propter vos in perſona Chriſti, id eſt, ac ſi Chriſtus donaſſet, inquit gloſſa. Si Paulus hoc potuit, ergo & Papa poteſt, qui*

non

non eſt minoris, ſed majoris *poteſtatis in Eccleſia, quàm Paulus fuit.*

Id etiam colligitur & ex Matth. 16. & Joan. 20. ubi Petro, ejuſque ſucceſſoribus (qui ſunt Romani Pontifices) poteſtas *ligandi*, *& ſolvendi*, item *peccata remittendi*, *& retinendi* eſt tradita. *Indulgentia* enim ad poteſtatem *ſolvendi*, item *remittendi* ſpectat.

7. *Jejunium nullius eſt meriti apud Deum.*

D. Thomas 2. 2. q. 147. art. 1. *Jejunium connumeratur aliis virtutum actibus* (adeòque operibus meritoriis) 2. *ad Corinth.* 6. *ubi Apoſtolus dicit*, *in jejuniis*, *in ſcientia*, *in caſtitate &c.* Et Tobiæ 12. dicitur: *bona eſt oratio cum jejunio*, *& Eleemoſyna.*

Hinc Anna Prophetiſſa Filia Phanuelis laudatur Lucæ 2. quòd *non diſcederet de Templo jejuniis*, *& obſecrationibus ſerviens die*, *ac nocte.*

Ratio autem, *cur jejunium ſit actus virtuoſus*, proindeque meritorius, hæc eſt, *quia illud per rationem ordinatur ad aliquod bonum honeſtum. Aſſumitur enim jejunium principaliter ad tria. Primò quidem ad concupiſcentias carnis reprimendas*, *unde Apoſtolus dicit in authoritate inducta* ad Corinth. *in jejuniis*, *in caſtitate: quia per jejunia caſtitas conſervatur dicente Hieronymo*, *ſine Cerere*, *& Baccho friget Venus. Secundò aſſumitur ad hoc*, *quod mens liberiùs elevetur ad ſublimia contemplanda. Unde dicitur Danielis* 10. *quòd ille poſt jejunium trium hebdomadarum*, *revelationem accepit à Deo. Tertiò ad ſatisfaciendum pro peccatis. Unde dicitur Joel.* 2. *Convertimini ad me in toto corde veſtro*, *in jejunio*, *& fletu*, *& planctu.*

8. *Chriſtianis interdictum eſt juramentum*, *ita ut nunquam illis jurare liceat.*

D. Thomas 2. 2. q. 89. art. 2. *Dicitur Deut.* 6. *Dominum Deum tuum timebis*, *& per nomen ejus jurabis.*

Sed ne ſolis Judæis juramentum permiſſum eſſe videatur, prohibitum verò Chriſtianis, en teſtimonium è novo Teſtamento depromptum. *Teſtis eſt mihi Deus*, inquit Apoſtolus 1. ad Rom. *quòd memoriam veſtri ſemper facio in orationibus meis.* Et 2. ad Corinth. 1. *Ego teſtem Deum invoco in animam meam.*

Lici-

Licitum autem, & honeſtum eſt juramentum tum ex fide, qua homines credunt, Deum habere infallibilem veritatem, & univerſalem omnium cognitionem, tum ad juſtificandum homines, & ad finiendum controverſias, ut dicitur ad Hebr. 6.

Licitum eſt, inquam, juramentum; dummodò tribus famoſis ſtipetur comitibus veritate, judicio, & juſtitia. *Iurabis in veritate, in judicio, & in juſtitia.* Hierem. 4.

Cæterùm quæcumque loca à *Waldenſibus* ex Evãgelio allegari ſolita tantùm probant, prohibitum eſſe à Chriſto abuſum juramenti, non verò ipſum juramentum.

9. *Fruſtra tempus teritur in cantibus Eccleſiaſticis.*

D. Thomas 1. p. q. 107. art. 4. *Iſaiæ 6. Dicitur, quòd duo Seraphim clamabant alter ad alterum; Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum, plena eſt omnis terra gloria ejus.* Ad quorum ſimilitudinem duo ſunt chori in Eccleſia, qui per vices alternas cantant, & tanquam duo Seraphim alter ad alterum clamant.

Deinde, Pſaltes Regius ait Pſal. 33. *Benedicam Domino in omni tempore, ſemper laus ejus in ore meo. Audiant manſueti, & lætentur .. magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in idipſum.* Et diſertiſſimè Pſal. 32. *Cantate Domino canticum novum, bene pſallite ei* in vociferatione. Ecce ne detorqueatur Scriptura, ut volebant *Waldenſes* ad orationem mentalem; clarè dicitur: *bene pſallite ei in vociferatione.*

10. *Reiiciendæ ſunt omnes Cæremoniæ in Eccleſia Romana adhiberi ſolitæ.*

D. Thomas 1. 2. q. 99. art. 3. *Ordinatur homo in Deum non ſolùm per interiores actus mentis (qui ſunt credere, ſperare, & amare,) ſed etiam per quædam exteriora opera,* quibus hominis tum attentio, tum reverentia erga ſupremam Majeſtatem, coram qua *Reges ſunt, tanquam non ſint* Iſa. 40. excitetur. *Talia* autem *opera externa .. vocantur Cæremoniæ*, ſeu Cæremonialia. Non ſunt igitur reiiciendæ Cæremoniæ in Eccleſia Romana adhiberi ſolitæ; cum ad dictum finem ordinentur.

APPEN-

APPENDIX AD SÆCULUM XII.

Marſilius Paduanus.

MArſilius Paduanus his aſſertionibus in Eccleſiam, & Eccleſiaſticas perſonas debacchatus eſt.

1. *Pontifex Romanus non eſt Chriſti in terris Vicarius, ille Cæſari in ſpiritualibus ſubiicitur*, imo *Imperator, ſede vacante, ſummo poteſt Pontifici ſuccedere*. Confuſio horribilis, quæ Cœlum terræ, ac ſpiritualia temporalibus non modò exæquat, verùm etiam ſubſternit.

2. *Epiſcopum inter, & Sacerdotem nihil eſt diſcriminis.*

3. *Eccleſiaſticis illicita eſt bonorum temporalium poſſeſſio.*

Prælusit Marſilius *Arnaldo de Brixia* pag. 213. *Waldenſibus* pag. 215. *Wicleffo* pag. 265. 273. *Ioanni Huſſo* pag. 295.

Quoad Propoſitionem 2. ſectatus eſt *Aerium* (ſæculo 4.) pag. 94.

Barulenſes.

Barulenſium hi ſunt errores.

1. *Animæ hominum ante mundi conſtitutionem creatæ ſunt, atque etiam tunc peccarunt.*

2. *Chriſtus aſſumpſit Corpus cœleſte, non verò humanam carnem ex utero Virginis.*

Conſpirant cum *Origene* (ſæculo 3.) pag. 56. & *Valentino* (ſæculo 2.) pag. 29.

Porrò (cur ingenuè non loquar?) non videntur *Barulenſes* extitiſſe in rerum natura, cum de iis vel coævi, vel ſubactioris judicii Scriptores nihil delibarint.

Ioachim Abbas.

Joachim Calaber Abbas Ord. S. Benedicti varias prædictiones venditans multarum fuit diſſeminator fabellarum.

In eo libro, quem ſcripſit adversùs *Petrum Lombardum* Magiſtrum ſententiarum: aſſeruit, *in Trinitatis Myſterio eſſentiam generare eſſentiam*: per hoc innuens, quamlibet Perſonam ſibi particularem vendicare eſſentiam: atque hinc fluebat, & renovabatur *Tritheiſmus*, cujus Author fuit *Ioannes Philoponus* ſæculo 6.

Vide paginam 135.

Pro-

Propoſitio iſta Joachimi damnata, ac hæretica pronunciata fuit à Concilio Generali Lateranenſi 4. ſub *Innocentio III.* an. 1215.

ERRONES

SÆCULI DECIMI-TERTII.

Albigenſes *VValdenſium*, maximè *Catharorum* ſunt progenies. Inter Waldenſes enim eminebant *Cathari*, id eſt *puri*, tales per ironiam dicti, Principiis imbuti Manichæorum: illa verò *Albigenſes* pro majori parte ſectabantur: porro *Albigenſes* appellati ſunt, quòd Albigenſium præſertim, totamque Toloſatum Provinciam ſuis infecerint erroribus. *Albigenſes.*

1. Primum Hæreſeos caput erat, quòd *duos* (more Manichæorum) conſtituerent Creatores, *inviſibilium* ſcilicet, quem vocabant *benignum Deum*, & *viſibilium*, quem *malignum Deum* nuncupabant. Novum Teſtamentum benigno Deo, vetus vero maligno attribuebant hoc omninò repudiantes. Authorem veteris Teſtamenti homicidam nominabant, tum quia Sodomitas, & Gomorrhæos incineravit, & aquis diluvii mundum delevit, tum quia Pharaonem, & Ægyptios mari obruit.

2. *Reſurrectionem carnis*, ſectantes errorem *Simonis Magi*, inficiabantur.

3. Comminiſcebantur, animas noſtras eſſe Spiritus illos Apoſtatas, qui ob ſuperbiam præcipites è Cœlo cecidere, unde reliquerunt corpora ſua in Aere: ipſas verò met animas, poſtquam finierint ſucceſſivam habitationem terreſtrium corporum, tamquam abſoluta pœnitentia, in priora corpora, quæ reliquerant, reverti debere.

Commentum illud affine erat errori ſexto *Simonis Magi* (ſæculo 1.) & tertio Origenis (ſæculo 3.)

4. *Sacrarum imaginum uſum*, ac *venerationem* cum *Iconoclaſtis* (ſæculo 8.) *Idololatriam eſſe* aſſerebant.

De-

Deformes pingebant Sanctorum imagines, ut earum intuitu ab imaginum cultu populus arceretur.

5. Dicebant, *Baptiſmum eſſe inutilem ad expianda peccata, proindèque undam Baptiſmatis non differre quoad virtutem ab aqua fluviali.*

6. *Beatam Mariam Genitricem*, proh nefas! *meretricem eſſe* effutiebant.

7. Docebant, *non peccare graviùs eum, qui cum Matre, vel Sorore concumbit, quàm qui cum alia.*

Fœdi & ſacrilegi Albigenſium mores. Sanè quod docebant, id opere complebant, in omne vitiorum, & libidinum genus effuſi. Quidam, ſcorto ſuper altare collocato, in ipſo ſacrificii loco veneri indulſerunt. O flagitium diris omnibus devovendum! aliis ſpurcitiarum portentis ſuperſedeo. Auſus eſt & Hæreticus aliquis eò uſque abominationis, & ſacrilegii prorumpere, ut in odium Chriſti, & confuſionem fidei juxta Altare Majoris Eccleſiæ *Toloſæ* ventrem purgarit, & palla Altaris immunditias deterſerit.

Cæterùm nonnulli ſunt errores illis attributi, quos negarunt eſſe ſuos, ut inter alios, *Indulgentias, quæ fiunt à ſummo Pontifice, non proficere, & à juſto Laico, ſibi confitentes poſſe abſolvi*. Unde videntur & *Indulgentias*, & *Confeſſionem* admiſiſſe *Sacramentalem*.

Albigenſes impugnant Ciſtercienſes, ac Didacus Oxomenſis Epiſcopus à potiſſimùm S. Dominicus. Spiritualibus, ac temporalibus armis adversùs Albigenſes Hæreticos, dimicatum eſt. Agmen ſpirituale inſtruxit *Arnaldus* Ciſtercienſis Abbas cum nonnullis ſuis Ordinis profeſſoribus. Acceſſit *Didacus* Oxomenſis in Hiſpania, Epiſcopus, infatigabilis Evangelii præcó, ac integritate vitæ illuſtris.

Sed Albigenſis Hæreſeos confutatio, & Hæreticorum converſio (ut eſt admirabilis Dei providentia ſuum cuilibet malo remedium deſtinantis) reſervata fuit S. Dominico. Hic miraculo inſigni Catholicæ veritatem fidei confirmavit, Deo eloquia caſta per ignem probante. Illud verbis refero *Petri de valle Cernaii* Ordinis Ciſtercienſis, coævi Authoris in ſua Albigenſium hiſtoria cap. 7. *Diſputaverant quadam die noſtri adversùs hæreticos. Unus autem de noſt is Dominicus nomine, vir totius ſanctitatis, qui Socius fuerat Epiſcopi Oxomen-*

menſis, auctoritates, quas in medium produxerat, redegit in ſcriptum, & cuidam hæretico tradidit ſchedulam illam, ut ſupra objectis deliberaret. Nocte igitur illa erant Hæretici congregati in una domo ſedentes ad ignem. Ille autem, cui vir Dei tradiderat ſchedulam, produxit eam in medium. Tunc dixerunt ſocii ſui, ut in medium ignem illam proiiceret, & aſſeruerunt, quòd, ſi combureretur, vera eſſet fides ſua, ſi verò incombuſta permaneret, fidem, quam prædicabant noſtri, veram eſſe faterentur. Quid plura? ſchedula in ignem proiicitur. Sed cum in medio igne aliquantulum moram feciſſet, incombuſta penitus ab igne reſilivit. Stupentibus, qui aderant, unus cæteris durior ait illis: proiiciatur in ignem iterum, & tunc experiemini pleniùs veritatem: proiicitur iterùm, iterum reſiliit incombuſta: quod videns ille durus, & tardus ad credendum, dixit iterum; tertia vice proiciatur, & tunc ſine dubio rei exitum cognoſcemus: projicitur tertio, nec tunc quidem comburitur, ſed integra ab igne reſilit, & illæſa. Hæretici autem viſis tot ſignis, nec tunc ad fidem voluerunt converti, ſed in ſua manentes malitia, diſtrictiſſimè ſibi invicem inhibuerunt, ne miraculum iſtud, per narrationem alicujus ad noſtrorum notitiam perveniret: ſed miles quidam, qui erat cum illis, qui aliquantulùm conſentiebat fidei noſtræ, noluit celare, quod viderat, ſed id pluribus enarravit. Factum eſt autem hoc apud Montem regalem, ſicut ab ore viri religioſiſſimi (ipſius S. Dominici *) audivi, qui ſchedulam Hæretico tradidit ſuperſcriptam.*

Libellus S. Dominici ter in ignem projectus, & illæſus.

Porrò S. Dominicus evertendis hæreticis ſeptem devovit annos, plurimis eorum per ferventiſſimas prædicationes ad Catholicam fidem adductis. Sed nullum efficaciùs remedium impietati Albigenſium opponi potuit, quàm ab eodem *Roſarii* Beatæ Virginis Deiparæ, (ipſa Cœlorum Regina, quæ cunctas interemit hæreſes hanc revelavit) inventa devotio. *S. Dominicum* illius Authorem fuiſſe *Leo* decimus, *S. Pius* quintus, *Gregorius* decimus-tertius, & *Sixtu* quintus Apoſtolicis diplomatibus profitentur.

Roſarium à S. Dominico inſtitutum efficaciſſimum adverſus hæreſes remedium.

Eſt autem *Roſarium* ſacra quedam formula predicandi Deum in honorem Beatę Marię, qua per quindecim ſalu-

ſalutationis Angelicæ decades, interjecta ſingulis oratione Dominica, quindecim præcipua Redemptionis humanæ myſteria piis meditationibus percenſentur.

Devotionem illam ut fortiſſimum inundanti Hæreſi repagulum *Dominicus* obiiciens cum incredibili animarum fructu & promulgavit ipſe, & alumnis ſuis ubique prædicandam hæreditario jure tradidit.

Prædicatio Roſarii ſæculo 18. etiam Belgio noſtro affulget

Prædicatio *Roſarii* in Italiam anteà, Hiſpanias, Gallias, Germaniam, Poloniam, Lithuaniam extenſa, ab aliquot annis noſtro quoque Belgio cum maximo populi applauſu, & ſingulari morum emendatione affulſit. Viget illa potiſſimum *Antuerpiæ* tota urbe, hora 5. matutina ad pulſum campanæ diebus ſingulis, etiam infremente Hyeme, per pluvias, grandines, totamque Aeris inclementiam ad Eccleſiam noſtram confluente.

Occaſione iſtius Hæreſis inſtitutus eſt Ordo Prædicatorum

Cæterùm occaſione iſtius Hæreſis, à S. Dominico novis additis ſociis, in Toloſana Provincia Ordo FF. Prędicatorum inſtitutus eſt, *Fulcone* Toloſatum Epiſcopo, & *Simone Montisfortis* comite faventibus anno 1215. approbatus verò anno ſequenti ab *Innocentio III.* Cœleſti oſtenſa viſione ruentis Baſilicæ Lateranenſis, quam *S. Dominicus* ſubjectis humeris ſuſtentabat. Ex eo innumera ſanctitatis, & doctrinæ exempla in Eccleſiam promanarunt. Sed hic ſufficiat breve Ordinis elogium, profectum à *Gregorio IX.* contentum literis Apoſtolicis, quibus fratres noſtros omnibus orbis Chriſtiani Prælatis commendavit ſexto idus Maii 1227.

Breve Ordinis elogium.

Quoniam abundavit iniquitas, & refriguit charitas plurimorum, ecce Ordinem dilectorum filiorum FF. Prædicatorum *Dominus ſuſcitavit, qui non quæ ſua, ſed quæ ſunt Chriſti, quærentes, tam ad profligandas* Hæreſes, *quam peſtes alias mortiferas extirpandas, ſe dedicarunt Evangelizationi verbi Dei in abjectione voluntaria paupertatis. Nos igitur eorum Sanctum propoſitum, & neceſſarium miniſterium favore benevolo proſequentes, univerſitati veſtræ ipſos affectuosè duximus commendandos.*

Suſcipitur & Sacra militia adverſus

Sed ad extirpandam Albigenſium Hæreſim, Sacram quoque militiam conſcribere oportuit. Dux Belli electus eſt præcitatus *Simon* Comes *Monfortius*. Poſt

urbes

urbes varias expugnatas, Heros ille Chriſtianus cum octingentis equitibus, & mille peditibus confeſſione priùs, ac Sacra communione munitis pugnam propè incredibilem circa oppidum * *Murellum* (Garumnæ illud incumbit) feliciter ſuſcepit, profligatis centum millibus Albigenſium. Et ne turbam inconditam credas, aut prælium tantum delibatum, ducebant Hæreticorum ordines *Petrus* Arragonum Rex, & *Raymundus* Comes Toloſanus, quorum ille in acie pugnans occubuit. *Albigenſes. Profligantur à comite Monfortio.* ** Muret propè Toloſam.*

Strenuo Catholicæ fidei propugnatore *Monfortio* in obſidione Toloſana ictu lapidis interfecto, ſacrum bellum à *Ludovico* 8. Sancti Ludovici Patre anno 1226. inſtauratum, & ab ejus Filio terminatum eſt anno 1228. quo Comes *Raymundus* junior (pater fertur extinctus in hæreſi) ejuratis erroribus, Lutetiæ Pariſiorum Filiam ſuam unicam *Joannam Alphonſo* S. Regis fratri cum Toloſani comitatus dote in matrimonio locavit. *Terminatur bellum à S. Ludovico.*

Almaricus literarum ſcientia in univerſitate Pariſienſi non ignobilis, Patria Carnotenſis, hos ſparſit errores. *Almaricus.*

1. *Si Adam permanſiſſet in juſtitia, non ſolùm non fuiſſet generatio per coitum, ſed nec ulla ſexuum differentia.*

2. *Nullus eſt infernus, ſed ille, qui habet peccatum mortale, habet in ſe infernum, ſcilicet vermem conſcientiæ.*

Ad abjurandos errores à Sacra facultate compulſus; ore retractavit, corde retinuit, ac fovit hæreſim. Pręę dolore deinde, ac indignatione, in morbum lapſus obiit. Damnata eſt potiſſimum Almarici hæreſis ſub *Innocentio* 3. in Concilio Generali Lateranenſi 4. cap. 11. hiſce verbis. *Reprobamus, & damnamus perverſiſſimum dogma impii Almarici, cujus mentem ſic Pater mendacii excæcavit, ut ejus doctrina non tam hæretica cenſenda ſit, quam inſana.*

David de Dinando, ſeu Dinantius Almarici Diſcipulus ſtultiſſimè aſſeruit; *Deum eſſe materiam primam.* *David de Dinando.*

Guilielmus de Sancto Amore.

Guilielmus de *Sancto Amore* ita nuncupatus à natalis ſoli Oppido (*ſaint Amour*) in Comitatu Burgundiæ ſito, in Sacra facultate Pariſienſi Doctor Theologus, graviſſimas adversùs recentes FF. Prædicatorum, & Minorum Ordines in Academia Pariſienſi procellas concitavit, Magiſtris *Odone de Duaco*, & *Chriſtiano* Canonico Bellovacenſi, aliiſque ſibi adſcitis. Scriptis & concionibus in viros Religioſos invectus eſt, illoſque etiam ex Academiæ gremio expelli curavit. Tempeſtas potiſſimùm incubuit in duo fulgentiſſima Univerſitatis, & Eccleſiæ lumina SS. *Thomam Aquinatem*, & *Bonaventuram*. Hi dum publicè docerent, per *Guilielmum*, ejus aſſeclas, ac Diſcipulos à ſeditionum fautoribus in Sanctiſſimos Profeſſores ſubornatos, cum ingenti contumelia è Scholis pulſi ſunt. Neque hìc ſtitit infremens invidia. *Guilielmus* virus ſuum evibravit in concione de Publicano, & Phariſæo, in libro *de periculis noviſſimorum temporum*, & in quæſtione, *de valido Mendicante*, in quibus hæ propoſitiones erroneæ ubique erant obviæ.

S. Thomas Aquinas, & Bonaventura docentes publicè è Scholis per Guilielmum eiiciuntur.

1. *Paupertas habitualis licita eſt, non autem actualis, id eſt, licita eſt animi promptitudo ad omnia pro Chriſto relinquenda, cum urget neceſſitas, hac tamen neceſſitate ſecluſa illicita eſt bonorum renunciatio, quæ fit ad ſerviendum Deo liberiùs.*

2. *Religioſi tenentur ad victum opere manuali ſibi comparandum.*

3. Unde, *illicitum eſt illis de Eleemoſynis vivere.*

4. *Religioſis committi non poteſt officium prædicandi & confeſſiones excipiendi. Per tales inſtant pericula noviſſimorum temporum univerſæ Eccleſiæ.*

5. *Non licet Religioſis docere.*

6. *Religioſi non poſſunt eſſe de Collegio Magiſtrorum ſæcularium*, ſeu *Religioſi non poſſunt ſæculares docere.*

Alexander 4. damnat librum Guiliel-

Ordinum mendicantium cauſam ſtrenuè ſuſcepit *Alexander IV.* Pontifex maximus, librumque *Guilielmi*, totius ſcandali, & errorum Seminarium, aliaque ſcripta feriit.

Authoritas Pontificia, viſque veritatis, quam *Angelicus*

gelicus in aureo planè Opuſculo *contra impugnantes Religionem*, & *Seraphicus* in libello *de paupertate Chriſti*, *&* *apologia pauperum*, invictiſſimè defenderunt, Magiſtros *Odonem de Duaco*, & *Chriſtianum* Canonicum Bellovacenſem ad ejurandos errores compulere: *Guilielmo* autem *de Sancto Amore*, in Religioſorum mendicantium impugnatione pertinaciori, Pontificia, Regiaque S. *Ludovici* Authoritate Regni Galliarum aditus, omniſque docendi, ac prædicandi facultas interdicta eſt. Strictiſſimè deinde præfatis Magiſtris injunctum fuit, ut Fratres Prædicatores, & Minores in ſocietatem Scholaſticam, & univerſitatem Pariſienſem reciperent, nominatim verò, ut Fratres Thomam de Aquino ex Ordine Prædicatorum, & Bonaventuram ex Ordine Minorum, (quos tamen inſigni affecerant injuria) ea, qua par erat, veneratione animi, ut Magiſtros proſequerentur.

mi de periculis noviſſimorum temporũ.

SS. Thomas & Bonaventura in Accademiam denuò recipiuntur.

Utroque Doctore cum Religioſis in Academiam, unde amoti fuerant, ſummo cum applauſu refuſo, poſt *Alexandri IV.* & *Urbani IV.* qui ipſi proximè ſucceſſit, obitum, Guilielmus *de Sancto Amore* Pariſios reverſus eſt. An FF. Mendicantibus perfectè reconciliatus fuerit, incertum eſt. Res iſta problema eſto. Malim tamen, cum dubia meliorem in partem interpretanda ſint, reſipiſcentiæ ipſius ſuffragari.

D. Thomas doctor Angelicus moritur anno 1274. nonis Martii.

Occidit hoc Sæculo, anno ſcilicet Chriſti 1274. nonis Martii Sol noſter Angelicus: attamen incomparabilis doctrinæ ſuæ radiis ſubſequentes hæreticorum tenebras fugare non deſiit.

Nonnulli tres errores (de quibus ſtatim) attribuunt *Petro Joannis*; qui fertur fuiſſe Diſcipulus *Joachimi Abbatis* ſub finem ſæculi 12. alii Petro Joanni *Olivi* inſignis cujuſdam Ordinis Profeſſori ex Oppido *Seignano* Diœceſis Bezierenſis (*Beziers*) in Gallia; qui vixit circa hæc tempora.

Petrus Joannis

Ut ut eſt, hi ſunt errores *Petro Ioannis* communiter adſcripti. Damnati ſunt in Concilio generali ſub Clemente V. anno 1311. ſuppreſſo Authoris nomine.

1. *Anima rationalis non eſt forma corporis humani.*

2. *Gratiæ, & virtutes non inſunduntur in Baptiſmo.*

3. *Chriſtus vixit, dum miles ejus latus lancea aperuit.*

Fratricelli. *Fratricellorum*, ſeu *Bizochorum* Dux fuit *Hermannus* quidam *Pongilupus*, Patria Ferrarienſis. Illius oſſa, poſtquam diu Orbem fucata pietatis ſpecie deluſerat, detectâ impietate, & hæreſi, poſt mortem exhumata, flammiſque tradita ſunt. In locis ſubterraneis *Fratricelli* infanda perpetrabant.

Præcipuum dogma illorum fuit, *nefas eſſe Chriſtiano gubernare rempublicam.*

Gerardus Segarellus. Gerardus Segarellus Patria Parmenſis, fuit Author *pſeudo-Apoſtolorum.*

Illi per Italiam, aliaſque mundi partes mendicando vagantes, & jactitantes, ſe imitari Apoſtolos, hos eructarunt errores.

1. *Non fuit licitum Apoſtolis aliquid ſervare in craſtinum, nec ulla eſt ſpes ſalutis aliquid in craſtinum ſervantibus.*

2. *Decimæ non debent dari Sacerdotibus Romanæ Eccleſiæ, quia non ſunt pauperes, ſicut Apoſtoli.*

3. *Perfectius eſt vivere ſine voto, quàm cum voto.*

4. *Eccleſia Romana dudum deſiit propter malitiam Prælatorum.* Effutiebant paſſim, omnes Romanæ Eccleſiæ Moderatores à tempore S. *Sylveſtri* fuiſſe & prævaricatores, & ſeductores dempto F. Petro *Murrhone*, qui nuper fuerat S. Pontifex *Cæleſtinus* 5.

Tandem *Segarellus* meritas per ignem pœnas luit.

Diſtinguuntur porrò *pſeudo-Apoſtolici ab Apoſtolicis* 3. & 12. ſæculi.

Refelluntur Errores Sæculi decimi-tertii.

Errores Albigenſium. 1. *Duo ſunt Creatores, ſeu Dii, inviſibilium ſcilicet qui eſt benignus Deus, & viſibilium, qui eſt malignus Deus.*

D. Thomas 1. p. quæſt. 11. art. 3. *Dicitur Deuter.* 6. *audi Iſrael, Dominus Deus tuus, Deus* unus eſt. Faceſſat verò horribilis blaſphemia de Deo homicida in vete-

veteri lege. An Deus homicida, an malignus eſt, quia juſtus, juſtitiamque in *Sodomitas*, *Pharaonem*, & mundum priùs peccatis immerſum, antequam aquis involveretur, exerens? vide errorem 1. Manichæorum ſæculo 3.

Omiſſis erroribus circa *reſurrectionem carnis*, *tranſmigrationem animæ in diverſa corpora*, *cultumque imaginum*, ad priora ſæcula expenſis, ad alios progredimur.

2. *Baptiſmus eſt inutilis ad expianda peccata, unde non differt quoad virtutem ab aqua fluviali.*

D. Thomas 3. p. q. 69. art. 1. *Dicitur Ezech. 36. effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris. Et Apoſtolus dicit Rom. 6. quicumque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius Baptizati ſumus: ac poſteà concludit, ita & vos exiſtimate, vos mortuos quidem eſſe peccato, viventes autem Deo in Chriſto Jeſu Domino noſtro. Ex quo patet, quod per Baptiſmum homo moritur vetuſtati peccati, & incipit vivere novitati vitæ. Omne autem peccatum ad priſtinam vetuſtatem pertinet. Vnde conſequens eſt, quòd omne peccatum per Baptiſmum tollatur.* Unde differt ab *aqua fluviali*.

3. *Beata Maria Dei Genitrix eſt meretrix.*

D. Thomas 3. p. q. 28. art. 1. & 3. *Dicitur Iſai.* 7. Ecce Virgo concipiet. Et Ezech. 44. *Porta hæc clauſa erit, & non aperietur, & vir non tranſibit per eam, quoniam Dominus Deus Iſrael ingreſſus eſt per eam.* Quæ quidem verba de intemerato Virginis pudore ſemper intellexit Eccleſia.

Sed non opus eſt, pluribus hanc teterrimam, quæ omnibus horrori eſt, blaſphemiam convellere.

4. *Non peccat graviùs, qui cum Matre, vel Sorore concumbit, quàm qui cum alia.*

D. Thomas 2. 2. q. 154. art. 9. Illud eſt majus peccatum in venereis, quod eſt *magis repugnans rationi*, commixtio autem cum Matre, vel Sorore magis repugnat rationi, quam commixtio cum alia; *cum Homo peculiarem debeat honorificentiam parentibus, & per conſequens aliis conſanguineis, qui de parentibus de propin-*

quo originem trahunt, in actibus autem venereis maximè conſiſtit quædam turpitudo honorificentiæ contraria.

Unde ſpecialiter *dicitur Lev.* 8. *Mater tua eſt, non revelabis turpitudinem ejus, turpitudinem Sororis tuæ non revelabis.* Quis ergo dubitet, peccare eum graviùs, qui cum *Matre*, vel *Sorore*, quam illum, qui cum alia concumbit.

Errores Almarici. 1. *Si Adam permanſiſſet in juſtitia, non ſolùm non fuiſſet generatio per coitum, ſed nec ulla ſexuum differentia.*

D. Thomas 1. p. q. 98. art. 2. *Geneſ.* 2. *Dicitur, quod mulier eſt facta in adjutorium viri. Sed non ad aliud, niſi ad generationem, quæ fit per coitum;.. itaque in ſtatu Innocentiæ fuiſſet generatio per coitum.*

Deformitas tamen *immoderatæ concupiſcentiæ* (quæ nunc eſt in coitu poſt peccatum) *in ſtatu Innocentiæ non fuiſſet. Tunc enim inferiores vires omnino fuiſſent ſubditæ rationi. Unde Auguſtinus dicit in Libr. 14. De Civit. Dei cap. 26. Abſit, ut ſuſpicemur, non potuiſſe prolem fieri ſine libidinis morbo.*

Ex dictis ruit altera pars, *ad generationem enim per coitum requiritur diſtinctio ſexuum.*

Sed præterea id conſtat ex eo, *quòd ante peccatum Deus maſculum, & fœminam creavit eos.* Geneſ. 1.

Diſſertiſſimè etiam Marci 10. Dicitur: *ab initio creaturæ* (igitur ante peccatum) *maſculum, & fœminam fecit eos Deus.*

2. *Nullus eſt infernus, ſed ille, qui habet peccatum mortale, habet in ſe infernum, ſcilicet vermem conſcientiæ.*

D. Thomas in ſupplemento q. 69. art. 2. *Dicitur Lucæ 16. Mortuus eſt autem & dives, & ſepultus eſt in inferno.* Eſt itaque infernus.

Gravis quidem, fateor, & hic, & in damnatis pœna eſt, propriæ accuſatio conſcientiæ, quæ peccatorem ſemper cruciat, exedit, corrodit: & de qua intelligitur à Patribus illud Iſai. ult. *Vermis eorum*, id eſt vermis conſcientiæ, *non morietur.* Sunt tamen & aliæ pœnæ acerbiſſimæ, quas hoc in ſæculo non experiuntur peccatores, ſcilicet *ignis, tenebræ, fumus Sulphureus,*

reus, quapropter dici nequit, peccatorem hic in ſeipſo propriè habere *infernum*, ita ut poſt hanc vitam infernus non detur.

De igne dicitur Iſai. ult. *ignis eorum non extinguetur*. Et Eccleſiaſtici 7. *Vindicta carnis impii ignis*. Item Judith. 16. *Dabit ignem in carnes eorum, ut urantur uſque in ſempiternum*.

De tenebris damnatorum teſtatur Jobus dicens illorum nomine cap. 30. *Præſtolabar lucem; & eruperunt tenebræ*. Et 38. clariſſimè: *Auferetur ab impiis lux*.

De fumo autem ſulphureo David loquitur Pſalmo 10. *Pluet ſuper peccatores laqueos: ignis, &* Sulphur *& Spiritus procellarum pars calicis eorum*. Et Apocal. 19. Dicitur, *Vivi miſſi ſunt hi duo in ſtagnum ignis ardentis Sulphure*.

Deus eſt materia prima.

D. Thomas 1. Contra Gentes. cap. 17. *Deus eſt actus purus, materia prima, potentia pura ... ex quo inſania Davidis de Dinando apertè confunditur, qui auſus eſt dicere, Deum eſſe idem, quod materia prima.* *Error Davidis de Dinando.*

1. *Paupertas habitualis licita eſt, non autem actualis.* *Errores Gulielmi de ſancto Amore.*

D. Thomas Opuſculo contra impugnantes Religionem (quod eſt Opuſculum 19.) cap. 5. paragr. 3. *Dicitur Matth. 19. ſi vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, ſed ille qui ſua vendit, & pauperibus tribuit, non ſolùm habitualem paupertatem eligit, ſed etiam actualem, ergo actualis paupertas ad Evangelicam perfectionem pertinet:* adeòque illa licita eſt, quin imo maximè laudabilis.

Id confirmatur eodem capite Matth. exemplo Petri, omnium Apoſtolorum nomine dicentis Domino; Ecce nos reliquimus omnia non habitu, ſed *actu*, non ſolùm affectu, ſed & *effectu*, *&* ſecuti ſimus te. Unde *Hieronymus dicit ad Hebidiam. Vis eſſe perfecta, & in primo ſtare faſtigio dignitatis? Fac quod fecerunt Apoſtoli, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & ſequere Salvatorem, & nudam, ſolamque Crucem nuda ſequaris, & ſola.*

Item Marci 10. ſuper illud, quam difficile, qui pecunias

habent in regnum Dei intrabunt, dicit gloſſa. Aliud eſt pecuniam habere, aliud amare. Multi habent, & non amant, & multi non habent, & amant. Item alii & habent, & amant: alii verò nec habere, nec amare ſe gaudent; qui tutiores ſunt, & quidem cum Apoſtolo dicere poſſunt: mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. Ergo actualis paupertas, & habitualis ſimul, præferenda eſt habituali paupertati.

Deinde 2. 2. q. 186. art. 3. ad 2. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli. 1. ad Timoth. 6. iſte autem affectus deponitur ab iis, qui voluntariam paupertatem ſequuntur.*

Et ad 4. *Voluntaria paupertas eſt efficax exercitium perveniendi ad perfectam charitatem, & ideò multùm valet ad Cœleſtem beatitudinem conſequendam... divitiæ autem habitæ per ſe quidem natæ ſunt perfectionem charitatis impedire. Unde Matth. 18. dicitur quod ſollicitudo ſæculi, & fallacia divitiarum ſuffocans verbum Dei.*

Denique ad 6. ait Angelicus ex D. Gregorii ſententia. *Qui ex rebus poſſeſſis ſubſidia egentibus miniſtrant.. & aliquid ſibi reſervant, Deo ſacrificium offerunt.. qui verò nihil ſibi reſervant* (ut fit in paupertatem profitentibus) *offerunt holocauſtum, quod eſt majus*, imo excellentiſſimum inter ſacrificia. Actualis proindè paupertas ſummoperè laudabilis eſt.

2. *Religioſi debent manibus laborare.*

D. Thomas Opuſculo citato cap. 4. parag. 3. *laborare manibus aut eſt conſilium, aut præceptum ... ſi conſilium eſt, nullus tenetur ad laborandum manibus, niſi qui ad hoc voto ſe obſtrinxit, ergo Religioſi, qui ex ſua regula non habent, quod debeant manibus laborare, ad laborem manuum non tenentur. Si autem eſt in præcepto, cum ad præcepta divina, & apoſtolica æqualiter teneantur Religioſi, & Sæculares, non magis ad laborem manuum tenentur Religioſi quam Sæculares. Ergo ſi licebat alicui ſine labore manuum vivere, quando erat in ſæculo, idem licebit, quando in Religione aliqua erit.*

Item illi, qui habent aliàs unde vivant, quam de labore manuum, non tenentur manibus operari: alioquin omnes di-

divites, & omnes Clerici, & Laici, qui non laborant, eſſent in ſtatu damnationis, quod eſt abſurdum: ſed aliqui Religioſi ſunt qui habent, unde aliàs vivant, quàm de labore manuum, quia habent poſſeſſiones, quæ ad eorum vitam ſuſtentandam à fidelibus collatæ ſunt; vel habent miniſterium prædicationis ſibi commiſſum, de quo vivere poſſunt 1. Corinth. 9. Dominus ordinavit his, qui Evangelium annuntiant de Evangelio vivere. Non igitur tenentur Religioſi laborare manibus.

Similiter aliqui Religioſi ſunt, qui Eccleſiæ deſerviunt in divino officio: & de hoc etiam licitè vivere poſſunt; unde dicitur 1. Corinth. 9. qui Altari deſerviunt, cum Altari participant.

Poſtremò; *opera miſericordiæ præferuntur corporalibus exercitiis 1. Timoth. 4. corporalis quidem exercitatio ad modicum utilis eſt, pietas autem ad omnia valet; ſed opera pietatis ſunt intermittenda, ut vacetur prædicationi, Act. 6. non eſt æquum nos derelinquere Verbum Dei, & miniſtrare menſis; & Lucæ 9. ſine, ut mortui ſepeliant mortuos ſuos, tu autem vade, & annuntia regnum Dei, ubi dicit gloſſa. Majus eſt animas mortuorum prædicando ſuſcitare, quàm corpus mortui terra abſcondere; ergo & illi, qui licitè prædicare poſſunt qualitercumque; debent laborem manuum propter prædicationem intermittere.*

3. *Illicitum eſt Religioſis de Eleemoſynis vivere.*

D. Thomas eodem Opuſculo cap. 6. par. 7. *Apoſtolus dicit 1. Corinth. 9. quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? ... ſi nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus? ſed eadem ſpiritualia, quæ prædicant Prælati, prædicant Religioſi ex eorum authoritate, ergo etiam ipſi poſſunt ab his, quibus prædicant, carnalia accipere, unde vivant.*

Item, Auguſtinus dicit in libro de opere Monach. ſi Evangeliſtæ ſunt, ſcilicet hi Religioſi, fateor habent poteſtatem ſcilicet vivendi de ſumptibus fidelium; ſed non ſoli Prælati ſunt Evangeliſtæ, ſed omnes, qui Evangelizare poſſunt, etiam Diacones, unde Epheſ. 4. Apoſtolus dicit; dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas; alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Do-

& Doctores; *diſtinguens Evangeliſtas à Paſtoribus*, *& Apoſtolis*, *per quos Prælati intelliguntur*; *ergò quicumque prædicant*, *ſive ſint Prælati*, ſive non, poſſunt de evangelio vivere.

Item, *inter omnes occupationes Eccleſiaſticas*, *dignior eſt occupatio eorum*, *qui verbum Dei annuntiant*, *unde ad hoc Chriſtus veniſſe ſe monſtrat Marci* 1. *ad hoc miſſus ſum* : *demonſtratur id etiam Iſai.* 61. *ad Evangelizandum pauperibus miſit me*. *Et ad hoc etiam Paulus miſſum ſe dicit* 1. *Corinth.* 1. *non enim miſit me Chriſtus Baptizare*, *ſed Evangelizare*: *ſed illi*, *qui occupationibus Eccleſiaſticis implicantur*, *non debent manibus laborare*, *ſed de rebus Eccleſiæ vivere*.. *ergo multò fortiùs illi*, *qui occupantur in prædicatione verbi Dei*, *poſſunt ſine labore manuum de Evangelio vivere*.

Denique; *ſanitas animæ præferenda eſt ſanitati corporis* : *ſed Medici dantes conſilium de ſalute corporis etſi nihil manibus operentur*, *poſſunt licitè accipere*, *unde vivant*, *ergo multò fortiùs illi*, *qui conſulunt ſaluti animarum*, *etiamſi manibus non laborent*.

At audire videor *Guilielmum de Sancto Amore* totis viribus urgentem, *Religioſis committi non poſſe* prædicandi *officium*, atque indè inferentem, omnia de ſe ruere, quæ hactenus pro Religioſis allata ſunt.

Hoc igitur refellendum eſt: ac ſimul ponitur *Guilielmi* aſſertio 4.

4. *Religioſis committi non poteſt officium prædicandi*, *& confeſſiones excipiendi*.

D. Thomas, Opuſculo præfato cap. 3. parag. 8. 9. 10. *Apoſtoli*, *quorum Epiſcopi ſunt ſucceſſores*, *per Civitates*, *& Caſtella Presbyteros ordinabant*, *qui continuò cum populis ſibi ſubjectis commorabantur*, *& tamen alios mittebant ad prædicandum*, *& ad alia exercitia*, *quæ pertinent ad ſalutem animarum* 2. *Corinth.* 12. *rogavi Titum*, *& miſi eum illo Fratrem*. *Ergo & alii*, *quam Presbyteri Parochiales poſſunt prædicare*, *& confeſſiones audire* ex commiſſione Epiſcoporum.

Item prædicare & confeſſiones audire ſunt juriſdictionis, *& Ordinis ſimul*: *ſed ea quæ ſunt hujuſmodi*, *poſſunt his committi*, *qui Ordinem habent*, *ergo Religioſis in Ordini-*

bus

bus conſtitutis committi poteſt officium prædicandi, & confeſſiones excipiendi.

Deinde 16. quæſt. 1. cap. *ſunt tamen nonnulli, dicit Bonifacius Papa: credimus à Sacerdotibus monachis ligandi, ſolvendique officium Deo operante, dignè adminiſtrari, ſi eos contigerit hoc miniſterio ſublimari. Et cap. pervenit. Ex authoritate hujus Decreti (quod Apoſtolico moderamine, & pietatis officio à nobis eſt conſtitutum) Sacerdotibus monachis liceat prædicare, communionem dare, pœnitentias imponere, atque peccata ſolvere.*

Præterea: *majus eſt, prædicationis officium ex propria authoritate aſſequi, quàm ex commiſſione alterius; ſed Religioſi poſſunt ad Prælationis gradus ſublimari, in quo eis competit & prædicare, & alia propria authoritate exequi, quæ ad ſalutem pertinent animarum; ergo multò magis debent idonei reputari, ut prædicationis officium, & alia hujuſmodi ex commiſſione Epiſcopi exequantur.*

Item, *ad illud, quod maximè competit perfectis, non redditur aliquis minùs idoneus ex hoc, quod in ſtatu perfectionis ſe ponit: ſed prædicationis officium competit maximè perfectis, quem ſtatum Religioſi aſſumunt... ergo Religioſi non redduntur minùs idonei ad exequendum prædicationis officium, quàm alii: proindèque hoc illis æquè, ac aliis, poteſt committi.*

Quinimò *ſaluti animarum expedit, etiam aliis, quàm Sacerdotibus Parochialibus prædicationem committi, & alia, quæ ad ſalutem pertinent animarum;* adeòque Religioſis præfatum poteſt committi officium. *Id oſtenditur primò per hoc, quod Dominus dicit Matth. 9. meſſis quidem multa, ubi gloſſa. Turba populorum ſuſcipiendo verbo, & ferendo fructui apta. Operarii autem pauci. Gloſſa: Prædicatores, ad congregandum electorum Eccleſiam. Rogate ergo Dominum meſſis, ut mittat operarios in meſſem ſuam. Ex quo patet, quod ſalubre eſt Eccleſiæ per multos prædicari Dei fidelibus, & maximè turba fidelium creſcente.*

Hoc idem poteſt oſtendi per multa exempla veteris Teſtamenti. David enim laudatur de hoc, quod cultum Dei ampliavit, viginti quatuor Sacerdotes conſtituendo, ut ma-

gis

gis poſſet populus expediri; *ut patet* 1. *Paralip.* 23. *&* 24. *Similiter patet de Ezechia* 2. *Paral.* 30. *pervenerunt curſores cum Epiſtolis ex Regis Imperio*, *& principum ejus in univerſum Iſrael*, *& Judam*, *juxta id*, *quod Rex juſſerat*, *prædicantes* : *Filii Iſrael revertimini ad Dominum Deum Abraham*, *& Iſaac*, *& Iſrael* : *ergo multo magis ſaluberrimè hoc fieri poteſt*, *ut aliis*, *quàm Sacerdotibus Parochialibus*, *prædicationis officium committatur*, *& alia quæ pertinent ad ſalutem animarum*. His adde *Gregorium in* 5. *homilia ſuper Ezechi. dicentem*. *Hi qui animarum cuſtodes ſunt*, *& paſcendi gregis onera ſuſceperunt*, *mutare loca minimè permittuntur*. *Hi autem*, *qui amore Domini in prædicatione diſcurrunt*, *rota ejus ignis ardens ſunt*, *quia cum ex ejus deſiderio per varia loca diſcurrunt*, *inde ipſi ardent*, *& alios intendunt*. *Ex quo patet*, *quod conveniens eſt*, *ut præter Rectores Eccleſiarum*, *qui reſident in ſuis Eccleſiis*, *aliis prædicationis officium committatur*, *qui per diverſa loca diſcurrant*.

Ad confeſſiones verò quod ſpectat; in illis audiendis *non minor neceſſitas apparet ob multitudinem plebis*, *quæ interdum uni Sacerdoti gubernanda committitur*, qui ſi toto tempore vitæ ſuæ nihil aliud ageret, vix omnium confeſſiones diligenter audire poſſet.

Hanc poſtremò *neceſſitatem oſtendit difficultas confitendi*. *Quidam enim*, *ut experimento inventum eſt*, *à confeſſionibus deſiſterent*, *niſi poſſent aliis*, *quàm ſuis Sacerdotibus confiteri* : *tum propter verecundiam*, *quia erubeſcunt confiteri illis peccata*, *cum quibus quotidie converſantur*, *tum propter multa alia*. *Undè piè Prælati iis condeſcendunt*, *ne omninò in deſperationem labantur de aliis Confeſſoribus illis providendo*. Unde *per Religioſos* certè non inſtant pericula *noviſſimorum temporum* univerſæ Eccleſiæ.

Ab hac propoſitione *Guilielmi de S. Amore* non multùm abhorret hæc quorumdam *Guilielmi* ſequacium per *Alexandrum VIII.* 1690. 7. Decembris damnata aſſertio. *Confeſſiones apud Religioſos facta pleraque vel ſacrilega ſunt*, *vel invalida*. Vide Opuſculum noſtrum in propoſ. damnatas pag. 148.

5. *Non*

5. *Non licet Religioſis docere.*

D. Thomas laudato Opuſculo; cap. 1. parag. 4. *Monachi poſſunt ſuſcipere docendi officium, quod oſtenditur exemplis Sanctorum qui in Religione viventes docuerunt: ſicut patet de Gregorio Nazlanzeno, qui cum Monachus eſſet, Conſtantinopolim eſt adductus, ut Sacram Scripturam ibi doceret: ut Eccleſiaſtica narrat hiſtoria. Hiero. etiam in prologo Bibliæ, licet Monachus eſſet, doctrinam Sacræ Scripturæ promittit Paulino Monacho, ſcilicet quòd eum docebit. De Auguſtino quoque legitur, quod poſtquam Monaſterium inſtituit, in quo cœpit vivere ſecundùm regulam ſub SS. Apoſtolis conſtitutam, ſcribebat libros, & docebat indoctos. Hoc etiam patet de aliis Eccleſiæ Doctoribus, ſcilicet Gregorio, Baſilio, Chryſoſtomo, & aliis multis,* qui Religioſi fuerunt, & præcipui Eccleſiæ Doctores.

Præterea; ridiculum eſt dicere, quòd ex hoc aliquis à doctrina repellatur, per quod magis quietus ad vacandum ſtudio, & doctrinæ redditur: ſicut ridiculum eſſet, quòd à currendo impediretur, qui impedientia curſum relinquit. Sed Religioſi per triplex votum reliquerunt illa, quibus animus maximè inquietatur, & à ſtudio removetur: *ergo eis maximè docere, & ſtudere competit.*

Item; *magis remota videtur à Religionis propoſito corporalis militia, quæ corporalibus armis exercetur, quàm militia ſpiritualis, quæ utitur armis ſpiritualibus, ſcilicet, Sacris documentis ad errorum impugnationem, de quibus dicitur* 2. *ad Corinth.* 10. *Arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia. Sed Religiones aliquæ providè inſtitutæ ſunt ad exequendam militiam corporalem in tutelam Eccleſiæ ab hoſtibus corporalibus, quamvis non deſint Eccleſiæ Principes ſæculares; qui ex officio Eccleſiam defendere debent: ergo & ſalubriter inſtitutæ ſunt aliquæ Religiones ad docendum, ut ſic per eorum doctrinam Eccleſia ab hoſtibus defendatur: quamvis etiam ſint alii, ad quos pertinet hoc modo Eccleſiam defenſare.*

Nec valet, quod dicunt, quod hoc poſſet fieri, quando neceſſitas immineret, quæ nunc non apparet, cum Magiſtrorum ſæcularium jam copia habeatur. **Object.**

Utilitas enim communis non ſolùm debet procurari, ut ſit

gis poſſet populus expediri ; ut patet 1. Paralip. 23. & 24. Similiter patet de Ezechia 2. Paral. 30. pervenerunt curſores cum Epiſtolis ex Regis Imperio, & principum ejus in univerſum Iſrael, & Judam, juxta id, quod Rex juſſerat, prædicantes : Filii Iſrael revertimini ad Dominum Deum Abraham, & Iſaac, & Iſrael : ergo multo magis ſaluberrimè hoc fieri poteſt, ut aliis, quàm Sacerdotibus Parochialibus, prædicationis officium committatur, & alia quæ pertinent ad ſalutem animarum. His adde *Gregorium in* 5. *homilia ſuper Ezechi. dicentem. Hi qui animarum cuſtodes ſunt, & paſcendi gregis onera ſuſceperunt, mutare loca minimè permittuntur. Hi autem, qui amore Domini in prædicatione diſcurrunt, rota ejus ignis ardens ſunt, quia cum ex ejus deſiderio per varia loca diſcurrunt, inde ipſi ardent, & alios incendunt. Ex quo patet, quod conveniens eſt, ut præter Rectores Eccleſiarum, qui reſident in ſuis Eccleſiis, aliis prædicationis officium committatur, qui per diverſa loca diſcurrant.*

Ad confeſſiones verò quod ſpectat; in illis audiendis *non minor neceſſitas apparet ob multitudinem plebis, quæ interdum uni Sacerdoti gubernanda committitur*, qui ſi toto tempore vitæ ſuæ nihil aliud ageret, vix omnium confeſſiones diligenter audire poſſet.

Hanc poſtremò *neceſſitatem oſtendit difficultas confitendi. Quidam enim, ut experimento inventum eſt, à confeſſionibus deſiſterent, niſi poſſent aliis, quàm ſuis Sacerdotibus confiteri : tum propter verecundiam, quia erubeſcunt confiteri illis peccata, cùm quibus quotidie converſantur, tum propter multa alia. Undè piè Prælati iis condeſcendunt, ne omninò in deſperationem labantur de aliis Confeſſoribus illis providendo.* Unde *per Religioſos* certè non inſtant pericula *noviſſimorum temporum* univerſæ Eccleſiæ.

Ab hac propoſitione *Guilielmi de S. Amore* non multùm abhorret hæc quorumdam *Guilielmi* ſequacium per *Alexandrum VIII.* 1690. 7. Decembris damnata aſſertio. *Confeſſiones apud Religioſos facta pleraque vel ſacrilegæ ſunt, vel invalidæ.* Vide Opuſculum noſtrum in propoſ. damnatas pag. 148.

5. *Non*

5. *Non licet Religioſis docere.*

D. Thomas laudato Opuſculo; cap. 1. parag. 4. *Monachi poſſunt ſuſcipere docendi officium, quod oſtenditur exemplis Sanctorum qui in Religione viventes docuerunt: ſicut patet de Gregorio Nazianzeno, qui cum Monachus eſſet, Conſtantinopolim eſt adductus, ut Sacram Scripturam ibi doceret: ut Eccleſiaſtica narrat hiſtoria. Hiero. etiam in prologo Bibliæ, licet Monachus eſſet, doctrinam Sacræ Scripturæ promittit Paulino Monacho, ſcilicet quòd eum docebit. De Auguſtino quoque legitur, quod poſtquam Monaſterium inſtituit, in quo cœpit vivere ſecundùm regulam ſub SS. Apoſtolis conſtitutam, ſcribebat libros, & docebat indoctos. Hoc etiam patet de aliis Eccleſiæ Doctoribus, ſcilicet Gregorio, Baſilio, Chryſoſtomo, & aliis multis, qui* Religioſi fuerunt, & præcipui Eccleſiæ Doctores.

Prætereà; ridiculum eſt dicere, quòd ex hoc aliquis à doctrina repellatur, per quod magis quietus ad vacandum ſtudio, & doctrinæ redditur: ſicut ridiculum eſſet, quòd à currendo impediretur, qui impedientia curſum relinquit. Sed Religioſi per triplex votum reliquerunt illa, quibus animus maximè inquietatur, & à ſtudio removetur: *ergo eis maximè docere, & ſtudere competit.*

Item; *magis remota videtur à Religionis propoſito corporalis militia, quæ corporalibus armis exercetur, quàm militia ſpiritualis, quæ utitur armis ſpiritualibus, ſcilicet, Sacris documentis ad errorum impugnationem, de quibus dicitur 2. ad Corinth. 10. Arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia. Sed Religiones aliquæ providè inſtitutæ ſunt ad exequendam militiam corporalem in tutelam Eccleſiæ ab hoſtibus corporalibus, quamvis non deſint Eccleſiæ Principes ſæculares, qui ex officio Eccleſiam defendere debent: ergo & ſalubriter inſtitutæ ſunt aliquæ Religiones ad docendum, ut ſic per eorum doctrinam Eccleſia ab hoſtibus defendatur: quamvis etiam ſint alii, ad quos pertinet hoc modo Eccleſiam defenſare.*

Nec valet, quod dicunt, quod hoc poſſet fieri, quando neceſſitas immineret, quæ nunc non apparet, cum Magiſtrorum ſæcularium jam copia habeatur. **Object.**

Utilitas enim communis non ſolùm debet procurari, ut

ſit

ſit quocumque modo, ſed ut ſit optimo modo, quo fieri poteſt, quantò autem Doctores magis multiplicantur, tantò utilitas communis, quæ ex doctrina provenit, magis creſcit, quia uni manifeſtatur, quod alteri nondum notum eſt; propter quod dicitur Sap. 6. Multitudo ſapientium ſanitas eſt Orbis Terrarum. Quo Zelo Moyſes ductus dixit Num. 11. quis tribuat, ut omnis populus prophetet? licèt igitur Religioſis docere.

Denique; *ejuſdem eſt verbo præſentes & ſcripto abſentes docere; ut habetur 2. ad Corinth. 10. quales ſumus per Epiſtolas abſentes, tales & præſentes in facto. Sed nullus dubitat, quin Religioſi poſſint docere abſentes ſcripto, cum omnia Armaria plena inveniantur operibus, ſive libris, quos Religioſi fecerunt ad Eccleſiæ inſtructionem, ergo & præſentes poſſunt verbo docere.*

6. *Religioſi non poſſunt eſſe de Collegio Magiſtrorum ſæcularium, ſeu Religioſi non poſſunt ſæculares docere.*

D. Thomas celebri Opuſculo cap. 2. parag. 4. *Hæc ſententia & damnoſa, & falſa eſt. Damnoſa quidem eſt, quia derogat Eccleſiaſticæ unitati, quæ conſiſtit ſecundùm Apoſtolum ad Rom. 12. in hoc, quod multi unum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra; ubi dicit gloſſa, qui habet gratiam docendi, eſt membrum alterius in exhibitione doctrinæ; ..derogat proindè Eccleſiaſticæ unitati, quicumque Religioſos impedit, ne quemquam docere poſſint, vel à quocumque addiſcere. Derogant etiam prædictæ charitati, quia in communicatione amicitia fundatur. Vir amicabilis ad ſocietatem magis amicus erit, quàm frater. Prov. 18. Unde qui prohibet ſæculares in ſtudio Religioſis communicare, vel è converſo, impedit charitatem: & ex hòc etiam diſſenſionis, & rixæ diſſeminat incentivum.*

Derogat hæc quoque ſententia profectui ſtudentium. In omnibus enim negotiis, quæ à pluribus exerceri poſſunt, plurium ſocietas multùm prodeſt. Unde Prov. 18. Frater, qui adjuvatur à Fratre, quaſi civitas firma. Eccleſiaſtes 4. melius eſt duos eſſe ſimul, quàm unum, habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ. Sed præcipuè in acquiſitione ſcientiæ, plerumque ſocietas multorum ſtudentium prodeſt, quia interdum alter ignorat, quod alius inve-

invenit, aut quod ei revelatur... quicumque ergo aliquod genus hominum à ſocietate ſtudentium ſegregat, manifeſtè commune ſtudium impedit. Et hoc præcipuè verum eſt de Religioſis; qui quantò ſunt à curis ſæcularibus abſoluti, tantò ad ſtudium inveniuntur magis idonei ſecundùm illud Eccleſiaſtici 38. qui minoratur actu, ſapientiam percipiet.

Eſt etiam eadem ſententia falſa; quia eſt contraria doctrinæ Apoſtolicæ, quæ falſa eſſe non poteſt. Dicitur enim 1. Petri 4. unuſquiſque ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei. Ubi gloſſa. Si quis habet ſcientiam loquendi, non ſibi, ſed Deo adſcribat. Timeat autem, ne præter voluntatem Dei, vel authoritatem Sanctarum Scripturarum, vel præter utilitatem Fratrem doceat, nec etiam quod docendum eſt, taceat. *Qui igitur dicit, quòd Religioſi, & ſæculares in alterutrum, donum ſcientiæ non communicent, manifeſtè authoritati Apoſtolicæ contradicit. Item ex ore ſapientis dicitur Eccleſiaſtici* 33. *reſpicite, quòd non mihi ſoli laboravi, ſed* omnibus *exquirentibus diſciplinam, quod ad Eccleſiaſticum doctorem pertinet, ut gloſſa ibidem dicit, qui non ſolùm ſibi, ſed aliis ſcribendo, & docendo proficit. Qui* omnes *dicit, nullum excipit; ergo tam Religioſi, quàm ſæculares Doctores omnibus communiter & ſæcularibus & Religioſis proficere debent docendo:*

Accedit, *quòd diverſa officia ſunt in Eccleſia, ſicut diverſa membra in corpore... ſicut autem oculi ſunt in corpore, ita Doctores ſunt in Eccleſia... in corpore autem humano ita eſt, quòd oculus omnibus membris providet indifferenter, & ſimiliter quodlibet aliud membrum alteri ſubſervit in ſuo officio* 1. Corinth. 12. *non poteſt autem dicere oculus manui, opera tua non indigeo, aut iterum caput pedibus, non eſtis mihi neceſſarii; ergo & quicumque ſumuntur ad officium doctrinæ, debent omnibus, cujuſcumque conditionis fuerint, docendo proficere,* & Religioſi ſæcularibus, & ſæculares Religioſis.

Errores Petri Joannis.

1. *Anima rationalis non eſt forma corporis.*

D. Thomas 2. p. q. 76. art. 1. *Illud, quo primò ali-*

aliquid vivit, & operatur, eſt forma ejus... anima autem eſt id, quo primùm vivimus, ſentimus, movemur, & intelligimus, unde anima rationalis, ſeu intellectiva eſt forma Corporis.

Hinc in Concilio Viennenſi ſub Clemente V. celebrato definitur. *Quòd, quiſquis deinceps aſſerere, defendere, ſeu tenere pertinaciter præſumpſerit, quòd anima rationalis, ſeu intellectiva, non ſit forma corporis per ſe, & eſſentialiter, is tanquam Hæreticus cenſendus ſit.*

2. *Gratia & virtutes non infunduntur in Baptiſmo.*

D. Thomas 3. p. q. 69. art. 6. *Quidam poſuerunt* (fuerunt igitur & alii prævіè hoc errore imbuti) poſuerunt, inquam, *quòd pueris in Baptiſmo non dantur gratia, & virtutes, ſed imprimitur eis character Chriſti, cujus virtute, cum ad perfectam ætatem venerint, conſequuntur & gratiam, & virtutes.*

Sed hoc patet eſſe falſum dupliciter. Primò quidem: quia pueri, ſicut & adulti in Baptiſmo efficiuntur membra Chriſti: unde neceſſe eſt, quòd à capite recipiant influxum gratiæ, & virtutis. Secundò, quia ſecundùm hoc pueri decedentes poſt Baptiſmum, non pervenirent ad vitam æternam: quia, ut dicitur Rom. 6. Gratia Dei eſt vita æterna. Et ita non profuiſſet eis ad ſalutem Baptizatos fuiſſe. Cauſa autem erroris fuit, quia neſcierunt diſtinguere inter habitum, & actum, & ſic videntes pueros inhabiles ad actus virtutum, crediderunt, eos poſt Baptiſmum nullatenus habere virtutem. Sed iſta impotentia operandi non accidit pueris ex defectu habituum, ſed ex impedimento corporali: ſicut etiam dormientes, quamvis habeant habitus virtutum, impediuntur tamen ab actibus propter ſomnum.

3. *Chriſtus vixit, dum miles ejus latus lancea aperuit.*

D. Thomas 3. p. q. 66. art. 4. ad 3. *Aqua fluens de latere Chriſti* lancea perforato.. fuit aqua egrediens de corpore mortuo, *ſicut & ſanguis.*

Chriſtum etiam tunc fuiſſe mortuum, disertè exprimit Scriptura Sacra Joan. 19. *Milites .. ad Jeſum cum veniſſent, ut viderunt, eum jam* mortuum, *non fregerunt ejus crura. Sed unus militum lancea latus*

ejus

ejus aperuit, & continuò exivit Sanguis, & aqua.

Nefas eſt Chriſtiano gubernare rempublicam.

D. Thomas 2. 2. q. 47. art. 10. *Dicitur 1. ad Corinth. 13. non quærens, quod ſibi utile ſit, ſed quod multis .... Unde bonum commune melius eſt, quàm bonum unius;* non eſt autem nefas Chriſtiano, quærere bonum commune, proindèque, nec gubernare rempublicam, cum gubernatio illius tendat ad bonum, & utilitatem communitatis. *Error Fratricellorum.*

Præterea: id, ad quod collimat intentio multitudinem gubernantis, eſt unitas, ſive pax, non eſt autem nefas, ſed ſummopere laudabile *Chriſtiano*, tum procurare, tum fovere pacem. *Beati pacifici, quoniam Filii Dei vocabuntur.* Matth. 5.

Sed nunnè & Conſtantini, Theodoſii, Ludovici, Henrici, aliique Imperii, & reip. Moderatores præſtantiſſimi, fuere *Chriſtiani?*

1. *Non fuit licitum Apoſtolis aliquid ſervare in craſtinum, nec ulla eſt ſpes ſalutis aliquid in craſtinum ſervantibus.* *Errores Gerardi Segarelli.*

D. Thomas 2. 2. q. 188. art. 7. ad 2. & in corp. *Per hoc, quod Dominus dicit Matth. 6. nolite ſolliciti eſſe in craſtinum* (quæ verba fuerunt fundamentum Segarelli) *non intelligitur, quod nihil reſervetur in futurum*, ſeu in craſtinum. *Nam & ipſe hoc Dominus docuit ſuo exemplo. Habebat enim loculos Judæ commiſſos, in quibus recondebantur ei oblata, ut habetur Joan. 12. in actibus etiam Apoſtolorum* (2. 2. q. 55. a. 7. ad 3.) *ſcriptum eſt, ea quæ ad victum ſunt neceſſaria, procurata eſſe in futurum propter imminentem famem* ab Agabo prædictam. *Dominus* autem *improbat* nimiam neceſſariorum ſollicitudinem: *ne quis* ſcilicet *propter iſta non militet Deo.*

Hinc de ſe corruit alia pars erroris. Eſt enim ſpes ſalutis Chriſtum, & Apoſtolos ſectantibus.

2. *Decima non debent dari Sacerdotibus Romanæ Eccleſiæ, non enim ſunt pauperes, ſicut Apoſtoli.*

D. Thomas 2. 2. q. 87. art. 3. *Dicitur Num. 18. Filiis Levi dedi omnes decimas Iſrael in poſſeſſione pro miniſterio, quo ſerviunt mihi in tabernaculo. Filiis autem*

Levi ſuccedunt Clerici in novo Teſtamento . Ergo illis decimæ debentur.

Hoc & confirmat Apoſtolus 1. ad Corinth. 9. *Si ſeminamus vobis ſpiritualia, magnum eſt, ſi nos carnalia*, id eſt, temporalia *veſtra metamus*?

At, inquiebat *Segarellus*, Clerici modò non ſunt pauperes ſicut Apoſtoli, habent, unde vivant, cur igitur eis debentur decimæ?

Profectò & plures ſunt Clerici, qui non habent, unde vivant, niſi *decimas*; & aliunde, etiamſi alii eſſent divites, deberentur tamen illis *decima*: *cum radix ſolutionis decimarum, ſit debitum, quo ſeminantibus ſpiritualia debentur carnalia* ſecundùm præfata verba Apoſtoli.

3. *Perfectius eſt vivere ſine voto, quàm cum voto.*

D. Thomas 2. 2. q. 88. art. 6. *Nobilioris virtutis eſt opus melius, & magis meritorium, unde actus inferioris virtutis eſt melior, & magis meritorius ex hoc, quod imperatur à ſuperiori virtute, ſicut actus fidei, vel ſpei melior eſt, ſi imperetur à charitate. Et ideò actus aliarum virtutum moralium, puta jejunare, quod eſt actus abſtinentia; & continere, quod eſt actus caſtitatis, ſunt meliora & magis meritoria*, ſi fiant ex voto, *quia ſic jam pertinet ad divinum cultum*, ſeu Religionem, cum votum ſit actus Religionis. Hinc dicitur Iſai. 19. *Colent eum in Hoſtiis, & muneribus, &* vota vovebunt *Domino: & ſolvent.*

Deinde: *ille, qui vovet aliquid, & facit, plùs ſe Deo ſubiicit, quàm ille, qui ſolùm facit. Subiicit enim ſe Deo non ſolùm quantùm ad actum, ſed etiam quantùm ad poteſtatem, quia de cæterò non poteſt aliud facere, ſicut plus daret homini, qui daret ei arborem cum fructibus, quàm qui daret ei fructus tantùm.*

4. *Eccleſia Romana dudum deſiit propter malitiam Prælatorum.*

D. Thomas Opuſc. 6. non ſemel citato. *Dicitur Matth. ult. Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſaculi.*

Non dixit Dominus; *vobiſcum ſum* eò uſque, dum ſancti erunt Prælati, *ſed ecce vobiſcum ſum* (licèt

non-

nonnullos præſciret à prædeceſſorum ſanctitate degeneraturos) omnibus diebus, uſque ad con ſummationem ſæculi.

Sed & omnino falſum eſt, omnes Romanæ Eccleſiæ Rectores à temporibus S. *Sylveſtri*, fuiſſe dempto *S. Cæleſtino V.* & prævaricatores, & ſeductores, ſeu vitæ improbæ.

Nunquid ſanè poſt *Sylveſtrum*, ſanctiſſimè Eccleſiam moderati ſunt, ipſiſque fidei hoſtibus laudem extorſerunt, ut alios prætercam, Leones magni, Gregorii, Innocentii?

Vide errorem 1. *Donaſtitarum* ſæculo 4. errorem 1. *VValdenſium* ſæculo 12. *Sectarios* ſub finem operis.

APPENDIX AD SÆCULUM XIII.

NOmulli *Albanenſes* interſerunt ſæculo 8. Verùm his obſtant *Baronius*, *Spondanus*, aliique nobiliores Hiſtorici, qui certè eorum neque *iſto* ſæculo, neque alibi meminere. Crediderim ego *Albanenſes* ſpectare ad *Albigenſes* tum ob propinquitatem nominis, tum ob conformitatem dogmatum: eadem enim fermè omnia quæ *Albanenſibus*, (ut eſt dogma v. g. *de duobus diis bono, & malo*) attribuuntur etiam *Albigenſibus*; proinde *Albanenſes* ad ſæculum 13. (quo vixere *Albigenſes*) videntur referendi.

ERRONES
SÆCULI DECIMI-QUARTI.

IMpia *Gerardi Segarelli* dogmata (de quo ſub calcem elapſi ſæculi) pluribus hominum millibus ſub hujus initium ſeculi afflavit *Dulcinus* Patria Novarienſis in Lombardia, *Segarelli* Diſcipulus. Cum numero peſtifera lues prævaleret, omniaque jura tum divina, tum humana peſſumdaret, ad illam extirpandam Cruce ſignati milites ſub *Clemente V.* directi ſunt. Dulcinus *Dulcinus & Margarita.*

una cum ſcorto *Margarita* etiam Itala captus, flammiſque *Vercellis* in Pedemontio devotus eſt.

Beguardi & Beguinæ.

Beguardi formam quandam vitæ Monaſticæ quoad habitum, & convictum, ac aliquam ſpeciem trium votorum præſe tulerunt: Illorum Anteſignani fuerunt *Jacobus Juſti*, & *Bononatus* Catalani.

Beguinæ Religioſam quoque vitam prætexuerunt. Harum fundatrix, vel præcipua propagatrix putatur fuiſſe *Margarita* Porretà, non ſcortum *Dulcini*, ſed ex Hannonia oriunda, quæ librum compoſuerat, in quo innumeros inter errores docuerat, *animam in amore Conditoris annihilatam, ſine ullo conſcientiæ morſu poſſe, & debere naturæ indulgere, quidquid illa appetit & deſiderat:* hic ipſiſſimus eſt error ſecundus *Beguardorum*, & *Beguinarum*, de quo ſtatim.

Horum inſtitutum penitus abolendum eſſe Sacra Synodus Oecumenica Viennenſis ſub *Clemente V.* decrevit: Cujus conſtitutionem quoad *Beguinas* eum poſt hęc nonnulli ad Sorores *de pænitentia* dictas extenderent, *Joannes* 22. *Clementis* ſucceſſor declaravit, nequaquam illas *ſub iſtis* comprehendi.

A famoſis Beguardis & Beguinis diſtinguuntur PP. Beguardi 3. Regulam S. Franciſci profeſſi, & Beguinæ præſertim Belgicæ.

Porrò a *Beguardis*, & *Beguinis* diſtinguuntur tum *PP. Beguardi*, qui tertiam S. Franciſci Regulam in hoc præſertim Belgio profeſſi benè de Eccleſia merentur, tum *Beguinæ*, quarum plurimæ in *Brabantia*, *Flandria*, Diœceſi *Leodienſi*, viciniſque provinciis ſine votis monaſticis cum ſingulari degunt morum, ac pudicitiæ integritate: ut meritò *caſtus Orbis* Germania noſtra inferior ab exteris nuncupetur. Ducunt illæ originem ſive à *S. Begga* Pipini Landenſis (quem primum Brabantiæ ducem appellant) filia, & *S. Geltrudis* Nivellenſis, quæ *Canonicas* nobiles Virgines fundavit, ſorore: quæ obiit anno 698. ſive *Lamberto Beguio* pio Sacerdote Leodienſi, qui anno 1170. floruit. De his vide eximium noſtrum *Bertrandum Loth* in *reſolutionibus Theologicis* quæſtione de *Beguinis Belgii* pagina 145.

Cæterùm famoſorum Beguardorum, & Beguinarum hi fuerunt errores.

1. *Homo in hac vita poteſt talem perfectionis gradum*

dum aſſequi, ut reddatur penitus impeccabilis, nec ampliùs in gratia proficere queat.

2. Jejunare non oportet hominem, nec orare, poſtquam gradum perfectionis hujuſmodi fuerit aſſecutus; quia tunc ſenſualitas eſt ita perfectè ſpiritui, & rationi ſubjecta, ut poſſit homo liberè corpori concedere, quidquid placet. *Error à Quietiſtis renovatus anno 1688.*

3. Illi, qui ſunt in prædicto gradu perfectionis, non ſunt humanæ ſubjecti obedientiæ, nec ad aliqua præcepta Eccleſiæ obligantur.

4. Homo poteſt ita finalem beatitudinem ſecundum omnem gradum perfectionis in præſenti aſſequi, ſicut eam in vita beata obtinebit.

5. Qualibet intellectualis natura in ſeipſa naturaliter eſt beata, nec anima indiget lumine gloriæ ad Deum videndum.

6. In actibus virtutum ſe exercere, eſt hominis imperfecti; quia anima perfecti dimittit à ſe virtutes. *Hos etiam Errores adoptarunt Quietiſtæ.*

7. Mulieris oſculum (cum ad hoc natura non inclinet) eſt mortale peccatum; actus autem carnalis (cum ad hoc natura inclinet) peccatum non eſt; maximè cum tentatur exercens.

8. In elevatione Corporis Chriſti non debet hujuſmodi perfectus homo ei reverentiam exhibere; foret enim imperfectio, ſi ab altitudine ſuæ contemplationis, ad cogitationem Euchariſtiæ, ſeu Humanitatis Chriſti deſcenderet.

Hæc ſecta potiſſimum per Germaniam graſſata eſt.

Joannes de Poliaco Doctor Pariſienſis, Joanne 22. moderante Eccleſiam, hunc periculoſum errorem de Sacramento pœnitentiæ cum in ſcholis, tum in prædicationibus evulgavit. *Aliquis confeſſus Fratribus, ſeu viris Religioſis, habentibus licentiam audiendi confeſſiones, tenetur eadem peccata iterum confiteri proprio Parocho, imo Pontifex non poteſt facere, ut Parochianus non teneatur (ſtante capite, omnis utriuſque Sexus) omnia ſua peccata ſemel in anno Parocho ſuo confiteri.* *Joannes de Poliaco.*

Hanc propoſitionem ipſe Joannes de Poliaco *Avenione* coram Joanne 22. publicè retractavit, & Pontifex authoritate Apoſtolica condemnavit ſeveriſſimè

inhibens, ne quis eam tenere, defendere, vel docere, aut in praxin redigere auderet. Juſſit etiam, ut Joannes diſſeminatum errorem ſolemni ſermone revocaret: quod & præſtitit. Pontifex quoque imperavit, ut ab Epiſcopis omnibus in Civitatibus,& Diœceſibus ſuis doctrina contraria convocato & Clero, & populo promulgaretur.

Vvaltherus Lolhardus. Vvaltherus Lolhardus fœdiſſimis per Germaniam, Auſtriam, & Bohemiam eructatis erroribus, ſectæ *Lolhardorum* nomen dedit. Varia inter commenta docuit, *Deum neſcire mala, quæ ſub terra fiunt*. Narratur de quadam hujus profeſſionis Puella, hanc, dum flammis eſſet tradenda, fortuitò interrogatam, num eſſet virgo, reſpondiſſe: *ſum virgo ſuper terram; non ſub terra*. Lolhardus ſectæ Princeps exuſtus fuit Coloniæ, anno 1321.

Ceccus Aſculanus. Ceccus ex urbe *Aſcoli* in Italia, dictus indè *Aſculanus*, Florentiæ Ducis Aſtrologus, Bononiæ tractatum edidit, in quo inter alias blaſphemias docebat, *Chriſtum ex neceſſitate Aſtrorum & pauperem natum eſſe, & turpem mortem obiiſſe*.

Flagellantes. *Flagellantium* ſecta *Peruſii* primùm, deinde *Romæ* circa annum 1274. exorta eſt. Pœnitentiæ, pietatiſque fervore accenſus populus, ab umbilico ſurſum nudis corporibus, catervatim per agros, & civitates, Presbyteris cum Crucibus, & vexillis præeuntibus, procedebat flagellis armatus. Lacrymis, & ſingultibus divinam implorans clementiam per 33. dies bis in die corpus ſuum ad Sanguinis effuſionem uſque caſtigabat. Siluerunt tunc temporis omnia muſica inſtrumenta, & cantilenæ amorem ſpirantes: ſolus lugubris pœnitentium cantus ubique & in villis, & urbibus reſonabat.

Singularis morum emendatio occaſione Flagellantium. Ad flebilem ejulatum corda etiam ferrea movebantur: obduratorum oculi pias ſolvebantur in lacrymas; quiſque inter ſe de morum emendatione egregia æmulatione concertabat. Diſſidentes, anteà flecti neſcii ad offenſorum genua corruebant: graviſſimæ condonabantur injuriæ: uſurarii & raptores male parta reſtituere feſtinabant: impuritatis delubra, in templa Spiritus Sancti erigebantur: opes ante præ avaritia in terræ viſce-

ſceribus abditæ in ſinus effundebantur pauperum, omnia ſanctitatis, & miſericordiæ paſſim opera exercebantur.

Sed hęc omnia tandem in ſuperſtitionem, imò in Hęreſim degenerarunt; docuerunt flagellantes, *neceſſarium eſſe ad ſalutem ſolum Baptiſmum Sanguinis per proprii corporis flagellationem*:

Flagellantes degenerant in Hereſim.

Iſti errori hos ſequentes addiderunt.

Licita eſt ſimulatio.

Licitum eſt perjurium.

Secta hæc in Hungaria, & Germania renovata eſt anno 1349. per *Clementem* verò ſextum exterminata.

Bertholdus de Rorbach Germanus *Herbipoli* evomuit, *Chriſtum præ doloris magnitudine de ſua ſalute in Cruce deſperaſſe*. Hanc blaſphemiam cum ejuraſſet; ad vomitum rediit, & *Spiræ* ultricibus flammis traditus eſt.

Bertholdus de Rorbach.

Bartholomæus Janovezius Majoricanus hos errores docuit.

Bartholomæus Janovezius.

1. *Antichriſtus die Pentecoſtes anni millesimi trecenteſimi ſexageſimi venturus eſt*. Adventum illum dicebat ſe metiri ex tot bellis, periculis, & erroribus, quibus huc uſque orbis quaſſatus erat.

2. *Adulti Chriſtiani, qui ſemel Antichriſti charactere inſigniti erunt, nunquam ampliùs ad fidem Chriſti redire poterunt*.

3. *Judæi, Saraceni, & Infideles omnes ab eodem Antichriſto ſeducti, eo extincto, ad Chriſtum convertentur*.

4. *Antichriſti tempore omnia Eccleſiæ Sacramenta, & incruentum Sacrificium ceſſabunt*.

Errores pœnitens publicè retractavit.

Turlupini in Galliis, & Allobrogibus præter *Beguardorum*, & *Beguinarum*, quorum ſectabantur Paradoxa, has evibrarunt inſanias.

Turlupini.

1. *Nihil debet pudere quemquam eorum, quæ à natura accepimus*. Hinc nudi pecudum more palam coibant.

2. *Voce non eſt orandum, ſed ſolùm corde*.

Secta cum Pariſiis, tum alibi partim igne deleta,

partim ſuæ turpitudinis horrore illicò extincta eſt.

Joannes VVicleff.

Joannes VVicleff natione Anglus, Doctor Theologus, Eccleſiæ de *Lutthlevvorth* Lincolnienſis Diœceſis Rector circa hujus ſæculi finem, in Anglia regnante *Eduardo III.* ingens in Eccleſia excitavit incendium. Homo fuit ingenii non mediocris, ſed honorum pruritu exæſtuans. Hinc, quòd Pontificis Decreto à præfectura Collegii Cantuarienſis *Oxonii*, quam præter jus, faſque invaſerat, cauſa cognita, fuiſſet abdicatus, implacabile adversùs Romanum Pontificem concepit odium. Quam deinde paſſus fuit, VVigorinenſis Epiſcopatus, quem deperibat, repulſa, majores novaturienti animo flammas admovit.

Porro temporis circumſtantias opportunam eſſe ſerendis erroribus occaſionem judicavit *VVicleffus*: Rex, Proceresque à Romano Pontifice ob quaſdam collationes beneficiorum, in quas nonnulli irrepſerant abuſus, erant ſubalienati: *Eduardi* Regis inclinata jam erat ętas: indè debilior emergebat Reip. gerendæ ratio, & major Miniſtrorum, ut fieri aſſolet, ambitio; partiumque ſtudium: hos inter eminebat *Joannes* Lancaſtriæ Dux, omnia fermè authoritate ſua adminiſtrans, & cujus favori ſe *VVicleffus* inſeruerat: accedebat *Gregorii XI.* vigilantiſſimi Pontificis, qui ſedem *Avenione Romam* refuderat, obitus, & Schiſma ſubſecutum, quod tanto tempore exagitavit Eccleſiam. Ipſi etiam authoritatem conciliavit quædam vitæ rigidioris ſpecies. Nudis enim pedibus *VVicleff* incedebat, pannis vilioribus amictus, ut incautos faciliùs ſeduceret. Populum & præcipuè Magnates potiſſimùm demereri ſtuduit per doctrinam, qua *Eccleſiaſticis non eſſe licitum habere poſſeſſiones* (ut infra patebit) aſſerebat.

Primum in *VVicleffum* quæſtio habita eſt Londini à *Simone Subdurienſi* Cantuarienſi Archi-præſule, ſed ob fautorum ſuorum potentiam impunè dimiſſus eſt, indicto ei in poſterum ſilentio. Hinc malum (cum crimen impunitum indomitam induat belluam) latiùs ſe diffudit: *Joannes Bellæus* ex Epiſcopi ſui carcere profugus *VVicleffo* ſe adjunxit, audacior magiſtro

Di-

Diſcipulus, civilis incentor Belli; conjurationiſque in primaria Cleri, & nobilitatis Anglicanæ capita: qua *Simon Subdurienſis* Archi-Epiſcopus, Primas Angliæ, & regni Cancellarius trucidatus eſt.

Guilielmus de Courtenay Simonis Subdurienſis ſucceſſor, Concilio *Londini* Epiſcoporum, & ſelectiorum Doctorum coacto, plures *Wicleffi* propoſitiones feriit anno 1382.

Wicleffi mors.

Anno 1384. moritur Hæreſiarcha *Lutth-levvorthii* in Diœceſi Lincolnienſi die *Sancto Sylveſtro* Pontifici maximo ſacra, Paralyſi ante biduum correptus, die ſcilicet *divi Thomæ* Cantuarienſis Archi-Epiſcopi, & Martyris memoria ſolemni, cum glorioſum ſanctiſſimi Antiſtitis nomen Satyrica Oratione proſcindere Panegyrici loco impiè decreviſſet.

Hæreſim cum Authore minimè extinctam, ſed immaniùs graſſantem ſequens Archi-Epiſcopus *Thomas Arundelius*, ſtrenuè aggreſſus eſt, ac Synodicis damnavit decretis anno 1396.

Academia Pragenſis illius errores proſcribit.

Altera ab eodem *Arundelio* Synodus adversùs *Wicleffi* hæreſim celebrata eſt *Oxonii* anno 1408.

Eodem anno Academia etiam *Pragenſis*, cum *Wicleffi* libri in Bohemiam à *Petro Payne* Anglo Wicleffiſta allati eſſent, jamque per illud regnum gliſceret Hæreſis, illius errores proſcripſit. Archi-Epiſcopus quoque Pragenſis, ipſius libros, ne lues ampliùs ſerperet, ignibus immolavit.

Omnia perturbantur illic per Ioannem Hus.

At *Joannes Hus* (de quo plura *ſæculo* 15.) qui librorum, errorumque *Wicleffi* ſuſceperat patrocinium, artibus ſuis, dolis, machinationibus, illitis veneno, concionibus rem totam in regione illa evertit, tantamque civibus erga hæretici libros venerationem impreſſit, ut eos non ſolùm domi ſtudiosè retinerent, verùm etiam *auro*, & *argento* codices peſtilentiſſimos exornarent.

Wicleffi Errores Solemniter in Concilio Conſtantienſi damnantur.

Anno denique 1415. ſacrum univerſale Concilium *Conſtantienſe* ſeſſione 8. articulos 45. *Ioannis Wicleffi* poſt accuratum examen, ſolemniter condemnavit, *plures* quidem, ut *notoriè hæreticos*, & *à SS. Patribus dudum reprobatos*, alios, ut *ſcandaloſos*, & *blaſphemos*, quoſ-

dam,

dam, ut *piarum aurium offenſivos*, nonnullos, ut *temerarios*, & *ſeditioſos*.

En ipſius articulos, cum prœmio Synodi ſeſſ. 8.
„ Fidem Catholicam, *ſine qua*, ut ait Apoſtolus
„ Hebr. 11. *impoſſibile eſt placere Deo*, à falſis ejuſdem
„ fidei cultoribus, imò perverſis impugnatoribus, &
„ per ſuperbam curioſitatem intendentibus plus ſapere,
„ quàm oportet, oppugnatam ſæpius, & contra illos,
„ per fideles Eccleſiæ milites ſpirituales oppoſito
„ ſcuto fidei defenſatam fuiſſe, Sanctorum Patrum
„ Scripturis, atque geſtis inſtruimur. Hæc quippe bellorum
„ genera in bellis carnalibus Iſraelitici populi
„ adversùs gentes idololatras præſignata fuerunt. In his
„ itaque ſpiritualibus bellis Sancta Eccleſia Catholica
„ in fidei veritate ſuperni luminis radiis illuſtrata, Domino
„ providente, & Sanctorum patrocinio opem
„ ferente ſemper immaculata permanens de erroris tenebris,
„ velut hoſtibus profugatis glorioſiſſimè
„ triumphavit. Noſtris verò temporibus vetus ille &
„ invidus hoſtis nova certamina (ut probati temporis
„ hujus manifeſti fiant) ſuſcitavit, quorum Dux &
„ Princeps extitit quondam *Joannes Wicleff* pſeudo-
„ Chriſtianus, qui dum viveret, adverſus religionem
„ Chriſtianam pertinaciter aſſeruit, & dogmatizavit
„ plures articulos, quorum 45. huic paginæ duximus
„ inſerendos.

1. ***Subſtantia panis materialis, & ſimiliter ſubſtantia vini materialis, remanent in Sacramento Altaris.***

2. ***Accidentia panis non manent ſine ſubjecto in eodem Sacramento.***

3. ***Chriſtus non eſt in eodem Sacramento identicè, & realiter in propria præſentia corporali.***

4. ***Si Epiſcopus, vel Sacerdos exiſtat in peccato mortali, non ordinat, non conſecrat, non conficit, non baptizat.***

5. ***Non eſt fundatum in Scriptura, quod Chriſtus Miſſam ordinaverit.***

6. ***Deus debet obedire diabolo.***

7. ***Si homo fuerit debitè contritus, omnis confeſſio exterior eſt ſuperflua, & inutilis.***

8. ***Si Papa ſit præſcitus, & malus, & per conſequens mem-***

membrum Diaboli, non habet poteſtatem ſuper fideles.

9. *Poſt Urbanum VI. non eſt aliquis recipiendus in Papam, ſed vivendum eſt more Græcorum ſub legibus propriis.*

10. *Contra Scripturam Sacram eſt, quod viri Eccleſiaſtici habeant poſſeſſiones.*

11. *Nullus Prælatus debet excommunicare aliquem, niſi prius eum ſciat excommunicatum à Deo, & qui aliter excommunicat, fit ex hoc Hæreticus, vel excommunicatus.*

12. *Prælatus excommunicans Clericum, qui appellavit ad Regem, vel ad Concilium Regni, eo ipſo traditor eſt Regis, & Regni.*

13. *Illi, qui dimittunt prædicare, ſive audire Verbum Dei propter excommunicationem hominum, ſunt excommunicati, & in Dei judicio traditores Chriſti habentur.*

14. *Licet alicui Diacono, vel Presbytero prædicare Verbum Dei, abſque auctoritate ſedis Apoſtolicæ, ſive Epiſcopi Catholici.*

15. *Nullus eſt Dominus civilis, nullus eſt Prælatus, nullus eſt Epiſcopus, dum eſt in peccato mortali.*

16. *Domini temporales poſſunt ad arbitrium ſuum auferre bona temporalia ab Eccleſia, poſſeſſionatis habitualiter delinquentibus, id eſt ex habitu, non ſolum actu delinquentibus.*

17. *Populares poſſunt ad ſuum libitum Dominos delinquentes corrigere.*

18. *Decimæ ſunt puræ Eleemoſynæ, & poſſunt Parochiani propter peccata ſuorum Prælatorum, ad libitum ſuum eas auferre.*

19. *Speciales orationes applicatæ uni perſonæ per Prælatos, vel Religioſos, non plus proſunt eidem, quam generales, cæteris paribus.*

20. *Conferens Eleemoſynam Fratribus, eſt excommunicatus eo facto.*

21. *Si aliquis ingreditur Religionem privatam qualemcumque, tam poſſeſſionatorum, quam mendicantium, redditur ineptior, & inhabilior ad obſervationem mandatorum Dei.*

22. *San-*

22. *Sancti inſtituendo Religiones privatas, ſic inſtituendo peccaverunt.*

23. *Religioſi viventes in Regionibus privatis non ſunt de religione Chriſtiana.*

24. *Fratres tenentur per labores manuum victum acquirere, & non per mendicitatem.*

25. *Omnes ſunt Simoniaci, qui ſe obligant orare pro aliis, eis in temporalibus ſubvenientibus.*

26. *Oratio praſciti nulli valet.*

27. *Omnia de neceſſitate abſoluta eveniunt.*

28. *Confirmatio juvenum, Clericorum ordinatio, locorum conſecratio, reſervantur Papæ, & Epiſcopis, propter cupiditatem lucri temporalis, & honoris.*

29. *Univerſitates, Studia, Collegia, Graduationes, & Magiſteria in eiſdem, ſunt vana gentilitate introducta, & tantùm proſunt Eccleſia, ſicut diabolus.*

30. *Excommunicatio Papæ, vel cujuſcumque Prælati, non eſt timenda, quia eſt cenſura Antichriſti.*

31. *Peccant fundantes Clauſtra, & ingredientes ſunt viri diabolici.*

32. *Ditare Clerum, eſt contra regulam Chriſti.*

33. *Sylveſter Papa, & Conſtantinus Imperator erraverunt Eccleſiam dotando.*

34. *Omnes de Ordine Mendicantium ſunt Heretici & dantes eis Eleemoſynam ſunt excommunicati.*

35. *Ingredientes Religionem, aut aliquem Ordinem, eo ipſo inhabiles ſunt ad obſervanda divina præcepta, & per conſequens ad perveniendum ad Regna Cœlorum, niſi apoſtataverint ab eiſdem.*

36. *Papa cum omnibus Clericis ſuis poſſeſſionem habentibus ſunt Heretici, eo quòd poſſeſſiones habent, & conſentientes eis, omnes videlicet Domini ſeculares, & cæteri Laici.*

37 *Eccleſia Romana eſt ſynagoga ſatanæ: nec Papa eſt proximus & immediatus Vicarius Chriſti.*

38. *Decretales Epiſtolæ ſunt Apocryphæ, & ſeducunt à fide Chriſti: & Clerici ſunt ſtulti, qui ſtudent eis.*

39. *Imperator, & Domini ſeculares ſunt ſeducti à diabolo, ut Eccleſiam dotarent bonis temporalibus.*

40. *Eli-*

40. *Electio Papæ à Cardinalibus, à diabolo eſt introducta.*

41. *Non eſt de neceſſitate ſalutis, credere Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter alias Eccleſias.*

42. *Fatuum eſt credere indulgentiis Papæ, & Epiſcoporum.*

43. *Juramenta illicita ſunt, quæ fiunt ad corroborandos contractus, & commercia civilia.*

44. *Auguſtinus, Benedictus, & Bernardus damnati ſunt, niſi pœnituerint de hoc, quod habuerunt poſſeſſiones, & inſtituerunt, & intraverunt Religiones, & ſic à Papa uſque ad ultimum Religioſum omnes ſunt hæretici.*

45. *Omnes Religiones indifferenter introductæ ſunt à diabolo.*

Nonnullis deinde interpoſitis, ſic proſequitur Concilium.

Iubet Synodus illius oſſa exhumari

Hæc Sancta Synodus declarat, & definit, *Ioannem* „ Wicleff notorium fuiſſe, & pertinacem Hæreticum.. „ decernitque, & ordinat corpus, & ejus oſſa (ſi ab aliis Fidelium corporibus diſcerni queant) exhumari: & procul ab Eccleſiæ ſepultura jactari, ſecundùm „ Canonicas, & legitimas ſanctiones.

Refelluntur Errores Sæculi decimi-quarti.

Errores Beguardorum, & Beguinarum.

1. *Homo in hac vita poteſt talem perfectionis gradum aſſequi, ut reddatur penitus impeccabilis, nec ampliùs in gratia proficere poſſit.*

D. Thomas 2. 2. q. 24. art. 11. *Charitas in hac vita poteſt amitti*, adeòque homo nequit in hac vita talem aſſequi perfectionis gradum, ut reddatur penitus impeccabilis.

Quod verò charitas illa poſſit amitti, patet ex multis Scripturæ locis. Dicitur Gal. 4. *Evacuati eſtis à Chriſto... à gratia excidiſtis.* Et Apoc. 2. *Habeo adverſum te, quod charitatem tuam primam reliquiſti.* Deinde Apoſtolus ait 1. ad Corinth. 10. *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat:* ſentiebat ergo, juſtum poſſe à juſtitia, ſeu à charitate excidere.

Suſ-

Suffragatur, & ratio. *Quia charitas via non replet potentialitatem ſubjecti, cum non ſemper actu feratur in Deum, unde poteſt aliquid occurrere, per quod charitas amittatur.*

Secunda pars refellitur tum ex Apocalypſis capite ultimo: *qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc*: tum ex 4. ad Epheſios. *Veritatem facientes in charitate, creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus.*

Ratio eſt, quia *ſi charitas via non poſſet augeri*, ſeu homo in illa proficere, *jam ceſſaret via progreſſus. Et ideò Apoſtolus charitatem, viam nominat dicens* 1. *ad Corinth.* 12. *adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro.* Ejuſdem quæſtionis art. 4.

Quoad propoſitiones *ſecundam*, *tertiam*, *ſextam*, videor mihi videre magnum illum Apoſtolum, illud ſanctitatis prodigium, vas electionis, raptum in tertium Cœlum, divinum illum Paulum dicentem, & ingeminantem 1. ad Corinth. 9. *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo: ne fortè, cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.* Ad Rom. etiam 8. *Si ſecundùm carnem*, ait, *vixeritis*, *moriemini*, *ſi autem ſpiritu facta carnis* mortificaveritis, *vivetis*. Itaque Paulus non concedebat corpori, quidquid concupiſcentiæ placebat.

An ille ab *humanâ* ſe *obedientia* an ab *Eccleſiæ præceptorum obſervatione* eximebat? an dimittebat à ſe *virtutes*? ſanè ſe in actibus virtutum exercere non *imperfecti*, ſed perfecti eſt hominis; & D. Thomas 2. 2. q. 189. art. 1. dudum docuit, quod per jejunium, *vigilias*, *& alia hujuſmodi*, (quæ ſpernebant Beguardi) *retrahatur homo à quibuſcumque peccatis* præſertim *luxuria*, quo Syſtema *Beguardorum*, uti, & *Quietiſtarum*, Duce *Michaele Molinos* anno 1688. unicè collimabat.

4. *Homo poteſt ita finalem beatitudinem ſecundùm omnem gradum perfectionis in præſenti aſſequi, ſicut eam in vita beata obtinebit.*

D. Thomas 1. 2. q. 5. art. 3. *Dicitur Iob.* 14. *Homo natus de muliere brevi vivens tempore repletur multis miſeriis: ſed beatitudo excludit miſeriam, homo igitur in hac vita non poteſt eſſe beatus*, ſeu finalem beati-

tudi-

tudinem ſecundùm omnem perfectionis gradum aſſequi, maximè cum *boni deſiderium in hac vita ſatiari non poſſit*, ſed tantùm in futura. *Satiabor cum apparuerit gloria tua*. Pſalmo 16. Aliis rationibus paſſim obviis ſuperſedeo.

5. *Quælibet intellectualis natura in ſeipſa naturaliter eſt beata, nec anima indiget lumine gloriæ ad Deum videndum.*

D. Thomas 1. p. q. 12. art. 4. *Dicitur Rom. 6. gratia Dei vita æterna*. Et cap. 3. *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius*. Si non per noſtra naturalia, ſed gratis juſtificamur, multò magis non per noſtra naturalia *beati* efficimur. Hinc dicitur Pſalm. 83. *gratiam, & gloriam dabit Dominus*. Unde apage paradoxum, quod natura intellectualis per ſeipſam naturaliter ſit beata.

2. Pars prædebellatur 1. p. q. 12. art. 4. & 5. *Dicitur Pſalmo 35. in lumine tuo videbimus lumen*.

Deinde: *omne, quod elevatur ad aliquid; quod excedit ſuam naturam, oportet, quod diſponatur aliqua diſpoſitione, quæ ſit ſupra ſuam naturam, viſio autem divinæ eſſentiæ excedit facultatem naturalem cujuslibet intellectus creati, unde oportet, quòd ex divina gratia ſuperceſcat ei virtus intelligendi*, & hoc augmentum virtutis intellectivæ vocatur lumen gloriæ.

7. *Mulieris oſculum (cum ad hoc natura non inclinet) eſt mortale peccatum: actus autem carnalis, (cum ad hoc natura inclinet) peccatum non eſt, maximè, cum tentatur exercens illum actum.*

D. Thomas 2. 2. q. 154. art. 2. *Fornicatio, cum ſit concubitus vagus, utpote præter Matrimonium exiſtens, eſt contra naturam prolis educandæ, & ideò eſt peccatum* mortale. Nonnè etiam à tanto jam tempore pronuntiavit Apoſtolus, fornicarii Regnum Dei non poſſidebunt?

At, inquiebant *Beguardi*, natura ad hoc inclinat. Id verum eſt: unde & Paulus carnis ſtimulis agitatus in hæc verba prorumpit ad Rom. 7. *Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Sentio aliam legem in membris meis repugnantem Legi mentis meæ, & *captivantem me in lege peccati, quæ eſt in*

mem-

membris meis. Sed an Paulus ſequitur carnis impetum? nonne illam caſtigat, & affligit; nonne reluctans ſibi corpus ſubſternit ſpiritui? Caſtigo, inquit, corpus meum, et in ſervitutem redigo:

Illud porro, quod *ad mulieris oſculum natura non inclinet*, omnino falſum eſt. Carnale enim oſculum, quid eſt aliud, quàm repræſentatio, præludium, & prægustatio carnalis actus? cumque ad illum natura inclinet, inclinat etiam *ad Oſculum*. Nonne certè natura, dum oſculum illud figitur, vel ſopita reſuſcitatur, provocatur, irritatur? unde & *mulieris* fugiat oſculum, qui ſuæ conſulit ſaluti.

8. *In Elevatione Corporis Christi non debet hujuſmodi homo perfectus ei reverentiam exhibere; foret enim imperfectio, ſi ab altitudine ſua contemplationis, ad cogitationem Euchariſtiæ, ſeu Humanitatis Chriſti deſcenderet.*

D Thomas 2. 2. q. 82. art. 3. ad 2. *Sicut mens humana indiget manuductione ad cognitionem divinorum: ita ad dilectionem ducitur per aliqua ſenſibilia nobis nota: inter quæ præcipuum eſt Humanitas Chriſti... & ideò quæ pertinent ad Humanitatem Chriſti* (qui præſertim in Euchariſtia amoris viſcera in homines effundit) illa profectò *maximè devotionem excitant*. Procul igitur impium abigatur commentum.

Error Ioannis de Poliaco. *Aliquis confeſſus Fratribus, ſeu viris Religioſis habentibus licentiam audiendi confeſſiones, tenetur eadem peccata iterum confiteri proprio Parocho: imò Pontifex non poteſt facere, ut Parochianus non teneatur (ſtante capite* Omnis utriuſque ſexus) *omnia ſua peccata ſemel in anno Parocho ſuo confiteri.*

D. Thomas in ſuppl. q. 8. art. 5. ad 1. & ad 4. *Iuriſdictionis poteſtas non eſt commiſſa alicui homini in favorem ſuum, ſed in utilitatem plebis, & honorem Dei. Et ideò ſi ſuperioribus Prælatis expedire videatur ad ſalutem plebis, & honorem Dei promovendum, quòd aliis, quæ ſunt juriſdictionis, committant, in nullo fit præjudicium inferioribus Prælatis, niſi illis, qui quærunt, quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti, & qui gregi præſunt, non ut eum paſcant, ſed ut ab eo paſcantur.. unde ſi quis alicui commiſſionem habenti confeſſus fuerit, cum ſint ſibi di-*

miſſa

miſſa peccata, & quoad Deum, & quoad Eccleſiam, non tenetur ea confiteri proprio Sacerdoti, quantumcumque petat.

Suffragatur Angelicus, & radicem propoſitionis evellit Opuſculo aureo contra impugnantes Religionem cap. 3. parag. 13. *Ad illud, quod obiicitur* (*à Guilielmo de S. Amore*, & modò *à Joanne de Pollaco*) *quod quilibet tenetur in anno ſemel confiteri proprio Sacerdoti; dicendum, quod Sacerdos proprius, non eſt* Parochialis, *ſed etiam Papa, vel Epiſcopus, ad quos etiam magis pertinet cura populi, quam ad Sacerdotem. Proprium enim hic non accipitur ſecundùm quòd dividitur contra commune, ſed ſecundùm quod dividitur contra alienum. Unde qui confeſſus eſt Epiſcopo ſuo, vel alicui habenti vicem ejus* (ut eſt Religioſus ab Ordinario approbatus) confeſſus eſt proprio Sacerdoti. Vide etiam ſupra *ſæculo* 13. errorem 4. præfati *Guilielmi*.

Error Lothardorum.

Peccata, quæ fiunt ſub terra, ſive in locis ſubterraneis, à Deo ignorantur.

D. Thomas 1. p. q. 14. art. 5. *Dicitur Hebr.* 4. *omnia nuda, & aperta ſunt oculis ejus*. Et Pſalm. 32. *qui intelligit omnia opera eorum*. Item Prov. 15. *in omni loco oculi Domini contemplantur bonos, & malos*. Unde *quo ibo à Spiritu tuo* (Pſal. 138.) *& quo à facie tua fugiam? ſi aſcendero in Cælum, tu illic es, ſi deſcendero in infernum*, in intima terræ penetralia, ſinus, viſcera, & tu illic *ades* omnia videns & perluſtrans. Non itaque Deus ignorat peccata, quæ in locis fiunt ſubterraneis.

Ratio autem eſt, quia Deus eſt communis omnium judex, proindèque & omnes & omnia cognoſcit, ſive bona, ſive mala, quæ fiunt ubicumque locorum, alioquin non poſſet omnibus retribuere ſecundùm merita.

Error Cecci Aſculani.

Chriſtus ex neceſſitate aſtrorum & pauper natus eſt, & turpem mortem obiit.

D. Thomas 3. p. q. 35. art. 7. ad 3. *Chriſtus pauperculam* elegit *Matrem, & pauperiorem Patriam*, ſcilicet Bethleem in qua *non erat* Matri *locus in diverſorio*; Lucæ 2. electio autem ſupponit libertatem. Et ad 1. *Chriſtus in civitate ignobili naſci* voluit, *& in civitate nobili pati opprobrium*.

R Dici-

Dicitur deinde Iſaiæ 53. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit*, & Joann. 10. *Ego pono animam meam, & iterum ſumo eam.. poteſtatem habeo ponendi eam*. Unde Chriſtus, & pauper natus eſt, & turpem mortem obiit liberè, non ex neceſſitate, multò minùs *ex neceſſitate illa aſtrorum*.

Denique, *ſi aſtra neceſſitarent, homo* (adeòque nec Chriſtus) *non eſſet liberi arbitrii, quod manifeſtè falſum eſt*. 1. p. q. 115. art. 4. Non ſolùm proinde blaſphema, & Theologiæ, ſed & Philoſophiæ morali adverſa fuit Cecci ſententia.

Errores Flagellantium.

1. *Neceſſarius eſt ad ſalutem ſolus Baptiſmus ſanguinis per proprii corporis flagellationem*.

D. Thomas 3. p. q. 66. art. 3. *Dominus dixit Joann. 3. niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto*, (de aqua, non de ſanguinea flagellatione fit mentio) *non poteſt introire in Regnum Dei*.

Tria quidem allegantur à Theologis Baptiſmata, nempe *fluminis*, ſeu aquæ, *flaminis*, ſive deſiderii; & *ſanguinis*, quorum duo poſteriora vicem prioris, dum conferri nequit Baptiſmus aquæ, ſupplent: ſed nullus unquam dixit, *ſolum* Baptiſmum *Sanguinis* eſſe neceſſarium ad ſalutem.

Deinde; Baptiſmus *ſanguinis* conſiſtit in eo, quod quis *patiatur* pro Chriſti nomine non in eo, quod quis *in ſe agat*, ſanguinem ſibi flagellationibus eliciens. Unde apage inſanum errorem.

2. *Licita eſt ſimulatio*.

D. Thomas 2. 2. q. 111. art. 1. *Opponitur veritati, quòd aliquis per aliqua ſigna factorum, vel rerum, aliquod ſignificet contrarium ejus, quod in eo eſt; quod propriè ſimulatio dicitur. Unde ſimulatio propriè eſt mendacium quoddam in exteriorum ſignis factorum conſiſtens. Non refert autem, utrum aliquis mentiatur verbo, vel quocumque alio facto. Unde cum omne mendacium ſit peccatum*, (*noli velle mentiri omne mendacium Eccleſiaſtici 7.*) *conſequens eſt etiam, quod omnis ſimulatio eſt peccatum*.

3. *Licitum eſt perjurium*.

D. Thomas 2. 2. q. 98. art. 3. *Dicitur Lev. 19. non perju-*

perjurabis in nomine meo. Vide errorem Priſcillianiſtarum ſæculo 4.

Chriſtus præ doloris magnitudine de ſua ſalute in Cruce deſperavit. ***Error Bertholdi de Rotbach.***

D. Thomas 3. p. q. 46. art. 6. *In aliis patientibus mitigatur triſtitia interior, & etiam dolor exterior per quandam derivationem, ſeu redundantiam conſolationis à ſuperioribus viribus ad inferiores: quod in Chriſto patiente non fuit; quia unicuique virium permiſit agere, quod eſt ſibi proprium.* Unde dolor Chriſti fuit maximus, ita ut etiam diceret Matth. 27. *Deus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* maximus, inquam, fuit dolor Chriſti; ſed non exceſſit Regulam rationis. Nonnè autem exceſſiſſet regulam rationis, ſi Chriſtus de ſua ſalute deſperaſſet? unde procul repellenda eſt enormis illa *Bertholdi* blaſphemia, quam *Calvinus* cum ſuorum etiam ſcandalo ſæculo 16. renovavit.

1. *Antichriſtus die Pentecoſtes anni milleſimi treceteſimi ſexageſimi venturus eſt.* ***Errores Bartholomæi Janovezii.***

D. Thomas in ſupplem. q. 88. art. 3. *Non poteſt determinari, quæ ſit illa quantitas periculorum*, bellorum, errorum (illa moverunt *Janovezium* ad hoc fingendum paradoxum) *quæ immediatè diem judicii præcedent, vel* Antichriſti adventum, *cùm etiam circa tempora primitivæ Eccleſiæ* bella, & *corruptiones errorum adeò abundarent, ut ab aliquibus tunc vicinus expectaretur, vel imminens Antichriſti adventus.*

Sanè *cognitio finis mundi*, ſeu Antichriſti adventus Soli Deo reſervatur, *& hanc rationem ipſe Dominus aſſignat Act. 1. Non eſt* (inquit) *veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate: ſeu quæ* ſoli *poteſtati ejus reſervata ſunt.* Unde de ſe Error corruit *Janovezii.* Vide etiam errorem *Thiotæ* ſæculo 9.

2. *Adulti Chriſtiani, qui ſemel Antichriſti charactere inſigniti erunt, nunquam ampliùs ad fidem Chriſti redire poterunt.*

D. Thomas 2. 2. q. 14. art. 3. *Per quodcumque peccatum non præcluditur via illud ſanandi miſericordiâ Dei. Unde de nullo peccatore deſperandum eſt in hac vita,*

conſiderata miſericordia, & omnipotentia Dei. Et 3. p. q. 86. art. 1. *dicere, quod aliquod peccatum ſit in hac vita, de quo quis pœnitere non poſſit, erroneum eſt. Primò quidem, quia per hoc tolleretur libertas arbitrii. Secundò, quia per hoc derogaretur virtuti gratiæ*, per quam moveri poteſt cor cujuſcumque peccatoris ad pœnitendum; *ſecundum illud Prov.* 21. *cor Regis in manu Dei, quocumque voluerit, flectet illud*. Proinde adulti Chriſtiani, qui ſemel charactere Antichriſti inſigniti erunt: imò illis pejores, ad fidem Chriſti, & virtutis exercitium redire poterunt.

3. *Judæi, Saraceni, & infideles* omnes *ab eodem Antichriſto ſeducti, eo extincto, ad Chriſtum convertentur*.

D. Thomas 3. p. q. 86. art. 1. *Liberum hominis viatoris arbitrium flexibile eſt ad bonum, & ad malum*. Hinc, licet plurimi ex allegatis, juxta communem ſententiam ſint convertendi, id tamen non ſequitur de *omnibus* propter flexibilitatem liberi arbitrii hominis in iiſdem etiam circumſtantiis conſtituti.

Porrò juvat hic audire eximium *Sylvium* in ſuppl. q. 73. art. 1. quæſito 4. commentantem in hæc verba ad Rom. 11. *Cum plenitudo gentium intraverit: tunc omnis Iſrael ſalvus fiet*. „ Quod dicit Apoſtolus „ *omnis Iſrael*, non eſt neceſſe ſic accipere, quaſi „ ex Iſraelitico populo circa extremi judicii tempo„ ra nullus ſit permanſurus in infidelitate, nam „ *omnem Iſraelem* vocat, ſicut dicit *plenitudinem* „ *gentium*, quamvis non ſignificet *omnes gentiles* ſine „ exceptione. Non enim tunc omnes omninò gen„ tiles, ſeu ſinguli gentilium convertentur.

4. *Antichriſti tempore omnia Eccleſiæ Sacramenta, & incruentum Sacrificium ceſſabunt*.

D. Thomas Opuſculo celebri 6. *Dicitur Matth. ult. Ecce ego vobiſcum ſum* (qui verò eſſem ſine Sacramentis & Sacrificio ?) *omnibus diebus uſque ad* conſummationem Sæculi: non igitur ad tempora tantùm Antichriſti.

Deinde: de Sacrificio Corporis Domini dicit Apoſtolus 1. ad Corinth. 11. *Quotieſcumque manducabitis*

-*Panem hunc & Calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat* ipſe Dominus judicaturus. Proinde illud non ceſſabit tempore Antichriſti.

At nonnè dicitur Danielis 8. *tulit*, ſeu auferet *juge Sacrificium*? *Object.*

„ Quoad literam, ut explicat eximius *Eſtius* commentans in caput illud, verba hæc referenda ſunt ad *juge Sacrificium Iudæorum*, ſeu *legis*, id eſt, ad Sacrificium, quod ſecundùm legem manè, & veſperi offerri debebat: quando ſcilicet Antiochus Epiphanes, de quo in libris Machabæorum, qui hìc intelligitur per *cornu modicum*, (verba ſunt Danielis præcedentia ly *tulit juge Sacrificium*) civitatem Jeroſolymorum vaſtavit, & templi deſolationem induxit. Ceſſavit enim tunc per tres annos, & ampliùs *juge Sacrificium*; conſtituto in templo Dei, Jovis Olympii ſimulacro, poſt quos Judas Machabæus templum repurgavit, ut eſt 1. Machab. 4. *Reſp.*

„ Sunt verò & nonnulli, proſequitur idem Author, qui verba hæc ad tempora *Antichriſti* referunt, quem dicunt moturum tàm gravem in Chriſtianos perſecutionem, ut etiam ab eis ſit ablaturus *juge Sacrificium Chriſtianorum*.

„ At contra eſt: quia Sacrificium Chriſtianorum non eſt, niſi Sacrificium Altaris: At verò illud duraturum eſt cum ipſa Eccleſia uſque ad finem ſæculi. Dictum eſt enim Matth. 28. *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi*. Et de Sacrificio Corporis Dominici expreſsè dicit Paulus 1. Corinth. 11. *Quotieſcumque manducabitis Panem hunc, & Calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat*. Non igitur *tunc* ceſſabit juge Sacrificium Chriſtianorum *abſolutè*. Ceſſabit autem quantùm ad ſolemnitatem, & publicum ejus uſum; quia ſcilicet Miſſarum ſolemnia in tanto ardore perſecutionis publicè celebrari non poterunt: occulto tamen uſu, & celebratione continuabitur Sacrificium ſine ulla temporis interruptione: quemadmodum etiam nunc multis in locis proh dolor! propter Hæreticorum perſecutionem publicè Sacrificium Altaris

„ offerri non poteſt. Ubi tamen ſimpliciter Sacrificium non ceſſat, quia illud in domibus privatis, „ aliiſve locis abditis adhuc quotidie ibi offertur.

Errores Turlupinorum

1. *Nihil debet pudere quemquam eorum, quæ à natura accepimus.*

D. Thomas Opuſc. 5. *Dicitur* 1. *Corinth.* 14. *omnia honeſtè fiant in vobis.*

Et ſanè hunc errorem redarguit ipſa natura, à qua impreſſam habemus quarumdam corporis partium verecundiam.

Hanc verecundiam teſtantur *folia ficus*, *ex quibus* Adam, & Eva, *cum cognoviſſent ſe eſſe nudos, fecerunt ſibi Perizomata*. Vide errorem *Adamitarum* ſæculo 2.

2. *Voce non eſt orandum, ſed ſolùm corde.*

D. Thomas 2. 2. q. 83. art. 12. *Dicitur Pſalm.* 141. Voce mea *ad Dominum clamavi*, voce mea *ad Dominum deprecatus ſum.*

Fit autem Oratio vocalis ad excitandam interiorem devotionem, quâ mens orantis elevetur in Deum; quia per exteriora ſigna ſive vocum, ſive etiam aliquorum factorum movetur mens hominis & ſecundum apprehenſionem, & per conſequens ſecundùm affectionem.

Commendatur quidem etiam oratio *mentalis*, ſeu illa, quæ fit corde, illaque exprimitur tum Pſal. 29. *Tibi dixit cor meum, exquiſivit te facies mea*, tum 1. Reg. 1. *Anna loquebatur in corde ſuo*. Non tamen ſic *mentalis* extollenda eſt, ut reſpuatur vocalis.

Viſum eſt hìc propoſitiones, ob earum copiam, in diverſas partiri materias.

Errores Joannis VVicleff. De Eucharistia.

Subſtantia panis materialis; & ſimiliter ſubſtantia vini materialis remanent in Sacramento Altaris. Eſt propoſitio *prima*.

Chriſtus non eſt in eodem Sacramento identicè, & realiter in propria præſentia corporali Eſt 3.

Vide Errores 1. & 2. *Berengarii* ſæculo 11. item infra *Sectarios*.

Accidentia panis non manent ſine ſubjecto in eodem Sacramento. Eſt 2.

D. Thomas Opuſculo 57. Lect. 3. Accidentia ſine ſubjecto in eodem Sacramento ſubſiſtunt, *ut fides*

fides locum habeat, dum inviſibile viſibiliter ſumitur aliena ſpecie occultatum; & ſenſus à deceptione immunes reddantur, qui de accidentibus judicant ſibi notis. Et Opuſc. 59. cap. 4. *Accidentia, quæ priùs inerant ſubſtantiæ panis*, poſt conſecrationem ſunt ibi ſine ſubjecto.

Sed luſtretur potiſſimum Opuſc. illius cap. 2. ubi Doctor *Euchariſticus* rem hanc admirabiliter explanat. *Fides Eccleſiæ Sanctæ credit, circa Sacramentum Euchariſtiæ ſubſtantiam panis converti in ſubſtantiam Carnis, & ſubſtantiam vini in ſubſtantiam ſanguinis Chriſti:, & iſta converſio proprie tranſubſtantiatio appellatur. Quamvis autem iſtud ſit ſummum miraculum, & ſolius divinæ virtutis ſcilicet facere ſubitò per pauca verba talem, tantam, & tam ineffabilem converſionem, & ſubſtantiarum mutationem: nihilominus hoc non apparebit impoſſibile; ſi conſideremus aliqua ſimilia in ſcriptura, & aliqua ſimilia in natura. Uxor enim Loth, quia retroſpexit contra mandatum Dei, ſubitò converſa eſt in ſtatuam ſalis, ut habetur Gen. 19. Virga etiam Moyſis converſa eſt in colubrum, & poſteà in virgam. Exod. 4. Et diabolus dicebat Chriſto ſciens ejus potentiam; dic, ut lapides iſti panes fiant. Matt. 4. In Evangelio quoquè apud Joannem 2. cap. legitur, quomodò Chriſtus convertit aquam in vinum, & multa ſunt talia in Scriptura. In natura quoque videmus, quod homo comedit panem, & in ſuo corpore ille convertitur in carnem, bibit vinum, & convertitur in ſanguinem.. ſi Deus dedit talem poteſtatem ventri, & ſtomacho, non eſt mirandum, ſi talem poteſtatem contulit Sacerdoti, ut mediante verbo Dei, virtute divina, quæ omnia in omnibus operatur, converſionem, & mutationem efficiat ſupradictam.* Denique; *ſi Deus in principio creavit Cœlum, & terram & omnia quæ in eis ſunt ſolo verbo ſuo, ſecundum illud Geneſ. 1. fiat lux, & facta eſt lux &c.. ſi tanta eſt virtus in ſermone Domini, ut inciperent eſſe, quæ non erant, quantò magìs operatur, ut quæ erant* (panis & vinum) *in aliud* (Corpus & Sanguinem Chriſti) *commutentur?* non remanet igitur ſubſtanſtia panis, & vini in hoc Sacrificio: cumque oculis cernamus illorum accidentia, manifeſtè ſequitur, accidentia iſta manere ſine ſubjecto, ſeu ſubſtantia in hoc Sacramento,

De Miſſa. *Non eſt fundatum in Scriptura, quod Chriſtus Miſſam ordinaverit.* Eſt 5.

D. Thomas 3. p. qu. 22. art. 3. ad 2. *Sacrificium, quod quotidie in Eccleſia offertur . . eſt commemoratio ſacrificii Chriſti.* Unde Chriſtus conſecrans corpus ſuum per hæc verba, *hoc eſt Corpus meum, dixit* (1. ad Corinth. 11.) Hoc facite in meam commemorationem. Conſecrate, conficite, ſumite Corpus meum in memoriam Paſſionis meæ. *Similiter* & Sanguinem ſuum conſecrans per hæc: *Hic Calix novum Teſtamentum eſt in meo Sanguine, dixit,* hoc facite, quotieſcumque bibetis, in meam commemorationem. Quotieſcumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. Hoc vero, quid eſt aliud, niſi inſtitutio, & ordinatio *Sacrificii Miſſæ? celebratio* enim *Miſſæ eſt imago repræſentativa paſſionis Chriſti, & Altare* (in quo Miſſa celebratur) *eſt repræſentativum Crucis, in quo Chriſtus in propria ſpecie immolatus eſt.* 3. p. q. 83. art. 1. Fundatum igitur eſt in *Scriptura*, quod Chriſtus Miſſam ordinaverit. Sed de Sacrific. Miſſæ fuſiùs infrà adversùs *Sectarios.*

De Confeſſione. *Si homo fuerit debitè contritus, omnis confeſſio exterior eſt ſuperflua, & inutilis.* Eſt 7.

D. Thomas 3. p. q. 90. art. 2. Contritio . . implicat propoſitum *confitendi*, proindè in caſu poſito *confeſſio exterior* non eſt ſuperflua, & inutilis.

Roboratur iſtud ex ſuppl. q. 1. art. 1. ad 3. ubi S. Doctor opponens ſibi illud, *non eſt neceſſarium ſemper* (in vehementer contrito) *quod contritus habeat propoſitum confitendi,* ſic reſpondet: Adhuc neceſſaria eſt confeſſio: *tum quia homo non poteſt eſſe certus de ſua contritione . . tum quia confeſſio eſt in præcepto.* Unde contritus transſgreſſor conſtitueretur, ſi non confiteretur. Non poterat Angelicus, ſi in ipſa Wicleffi tempora incidiſſet, directiùs, & evidentiùs errorem perimere.

De conficientibus Sacramenta in peccato mortali. *Si Epiſcopus, vel Sacerdos eſt in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non conſecrat, non baptizat.* Eſt. 4.

Hic error convenit cum iſto quarto *Waldenſium*:

Sacer-

Sacerdos amittit poteſtatem conſecrandi, ſi peccatum mortale commiſerit. De quo ſæculo 12. Reſtat aliquid expendendum circa illud, *non baptizat, qui eſt in peccato mortali*.

D. Thomas 3. p. q. 64. art. 5. *Dicitur Ioannis* 1. *ſuper quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum*, hic eſt, qui baptizat. Quæ verba magnus expendens Auguſtinus tract. 5. in Joannem: *quid tibi facit*, inquit, *malus miniſter, ubi bonus eſt Dominus? .. Petrus baptizet, Paulus baptizet*, hic eſt; (ſcilicet Chriſtus) qui Baptizat. Unde & *Baptiſma, ſi quod datum eſt à Juda* (3. p. q. 38. art. 6.) Baptiſma fuit Chriſti. In Baptiſmo quippe *conſideratur ille, in cujus virtute, ſeu poteſtate datur*, non ille *cujus miniſterio datur*. Itaque qui eſt in peccato mortali, dummodò omnia requiſita adhibeat, *verè* baptizat.

Ab hac aſſertione non adeo remota eſt hæc ... *nullus eſt Prælatus, nullus eſt Epiſcopus, dum eſt in peccato mortali*. Sed tamen illa infrà ſpecialiter refelletur.

Contra Scripturam Sacram eſt, quod Eccleſiaſtici habeant poſſeſſiones. Eſt 10. *De poſſeſſionibus Eccleſiaſticorum*

Sylveſter Papa, & Conſtantinus Imperator erraruut Eccleſiam dotando. Eſt 33.

Papa cum omnibus ſuis Clericis poſſeſſionem habentibus ſunt Hæretici, eo quod poſſeſſiones habeant, & conſentientes eis, omnes videlicet Domini ſæculares, & cæteri Laici. Eſt 36.

Domini temporales poſſunt ad arbitrium ſuum auferre bona temporalia ab Eccleſia, poſſeſſionatis habitualiter delinquentibus, id eſt, ex habitu, non ſolùm actu delinquentibus. Eſt 16.

Ditare Clerum eſt contra regulam Chriſti. Eſt 32.

Imperator, & Domini ſæculares ſunt ſeducti à diabolo; ut Eccleſiam dotarent bonis temporalibus. Eſt 39.

D. Thomas in ſupplem. q. 40. art. 3. *Ieremias fuit de ordine Sacerdotali, ut patet Ierem.* 1. *ſed ipſe habuit poſſeſſionem* bonorum temporalium, *ut patet Ierem.* 32. *emi agrum .. & appendi ei argentum ſeptem ſtateres, & decem argenteos; poſſunt ergo Clerici habere*

bona

bona temporalia, ſeu *poſſeſſiones*, nec id Sacræ Scripturæ repugnat.

Obiiciebat *Wicleffus*, (& eſt hìc ipſiſſima D. Thomæ eorum omnium præſagi, & prædebellatoris objectio.)

Object. Juſtitia miniſtrorum novi Teſtamenti debet abundare ſuper miniſtros veteris Teſtamenti, ut patet Matth. 5. ſed miniſtri veteris Teſtamenti ſcilicet Levitæ, non acceperunt partem hæreditatis cum fratribus ſuis: dicitur enim Deut. 18. *Non habebunt Sacerdotes, & Levitæ.. partem, &. hæreditatem cum reliquo Iſrael.. Dominus enim ipſe eſt hæreditas eorum*. Ergo nec miniſtri novi Teſtamenti habere debent poſſeſſiones.

Reſp. Hanc objectionem ſic diluit Angelicus ad 2. *Levitæ in veteri Teſtamento habebant* jus in hæreditate paterna: *ſed ideò non acceperunt partem cum aliis Tribubus, quia erant per omnes Tribus diſpergendi, quod fieri non potuiſſet, ſi unam determinatam partem terræ accepiſſent, ſicut aliæ Tribus*. Aliunde verò Levitas & Sacerdotes, urbes, paſcua, & agros, aliaque bona poſſediſſe, ex aliis Scripturæ locis compertum eſt. Numerorum 35. dicit Dominus Moyſi. *Præcipe Filiis Iſrael, ut dent Levitis de poſſeſſionibus ſuis urbes ad habitandum, & Suburbana earum per circuitum: ut ipſi in Oppidis maneant, & Suburbana ſint pecoribus, ac jumentis*. Et Joſue 21. *Dederunt filii Iſrael Levitis de poſſeſſionibus ſuis, juxta imperium Domini, Civitates & Suburbana eorum*. Et ibidem ſub finem capitis. Itaque *Civitatis univerſæ Levitarum in medio poſſeſſionis filiorum Iſrael fuerunt quadraginta octo cum ſuburbanis ſuis*. 3. quoque Regnum 2. dixit Salomon Rex Abiathar *Sacerdoti*. *Vade in Anathoth ad* agrum tuum.

Superſedeo bonis temporalibus *Ieremiæ*, qui fuit de genere *Sacerdotali*, & de quo ſtatim dictum eſt. Denique Act. 4. *Joſeph, qui cognominatus eſt Barnabas ab Apoſtolis*, Levites *Cyprius genere* cùm haberet agrum, *vendidit eum*. Unde hæc *Wicleffi* objectio in illius caput retunditur.

Si *Levitis* habere poſſeſſiones licuit, an Clerici, an *Sacerdotes* Levitis digniores, excellentiores, præſtantiores *illis* privabuntur? an bonorum temporalium

poſ-

poſſeſſio ullis Chriſti, Apoſtolorum, Pontificum, Conciliorum mandatis,aut decretis,vel SS.Doctrina Patrum prohibita fuit *viris Eccleſiaſticis?* ſanè, ut alios Patres præteream, S. Gregorius Nazianzenus epiſtola 80.qua duos fratres adhortatur ad ſupremam voluntatem matris implendam, quæ pecuniam non modicam Eccleſiæ contulerat, ita eos affatur. *Cogitate, complures extitiſſe, qui totas etiam domos Eccleſiis adduci paſſi ſunt, non etiam defuiſſe, qui ſuapte ſponte facultates ſuas eis omnes obtulerint.* S. quoque *Cyrillum* Patriarcham Alexandrinum ſucceſſori ſuo multa Teſtamento reliquiſſe,teſtatur *Athanaſius* Alexandrinus Presbyter ejus ex ſorore Nepos, in libello ſupplici Patribus Concilii Chalcedonenſis oblato actione 3. *Hic* (inquit) *moriturus Teſtamentum condens, honoravit eum, quicumque poſt eum ordinatus fuiſſet Archi Epiſcopus, plurimis & magnis legatis de propria ſua ſubſtantia.*

Hinc nec *Sylveſter* Papa, nec *Conſtantinus* Imperator errarunt *Eccleſiam dotando*, ut habet *propoſitio* 33.

Nec Papa cum omnibus ſuis Clericis poſſeſſionem habentibus ſunt hæretici, *eò quòd poſſeſſiones habeant. Prop.* 36.

Hinc & ſolvuntur propoſitiones, *decimaſexta,trigeſimaſecunda, & trigeſima nona*, quæ in idem redeunt. *Vide etiam errorem Arnaldi de Brixia* ſæculo 12.

Decimæ ſunt pura Eleemoſyna, & poſſunt Parochiani propter peccata ſuorum Prælatorum, ad libitum ſuum eas auferre. Eſt. 18. **De Decimis.**

D. Thomas 2. 2. q. 87. art. 1. 2. & 3. *Auguſtinus dicit, & habetur* 16. q. 1. c. *Decimæ*. Decimæ ex debito requiruntur, & qui eas dare noluerint, res alienas invadunt... *debentur autem decimæ, quia ſeminantibus ſpiritualia debentur temporalia. Quis paſcit Gregem, & de lacte Gregis non manducat? .. ſi nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt, ſi carnalia veſtra metamus.* 1.ad Corinth.9. non igitur decimæ ſunt puræ *Eleemoſynæ*, proindè Parochiani non poſſunt eas propter peccata ſuorum Prelatorũ auferre illis ad libitum.

Populares poſſunt ad ſuum libitum Dominos delinquentes corrigere. Eſt. 17. **De Correctione.**

D. Tho-

D. Thomas 2. 2. q. 33. art. 3. *Duplex eſt correctio. Una quidem, quæ eſt actus charitatis, quæ ſpecialiter tendit ad emendationem fratris delinquentis per ſimplicem admonitionem, & talis correctio pertinet ad quemlibet charitatem habentem, ſive ſit ſubditus,* ſeu popularis, *ſive Prælatus. Eſt autem alia correctio, quæ eſt actus juſtitiæ... & talis correctio* pertinet ad ſolos Prælatos, *qui non ſolùm habent admonere* ſimpliciter, *ſed etiam corrigere puniendo.* Populares igitur non poſſunt ad ſuum libitum imperioſè, & cum inſulſa authoritate Dominos delinquentes corrigere. Profectò per talia omnis tolleretur ſubordinatio, authoritas, pax, tranquillitas.

De excommunicatione.

Nullus Prælatus debet excommunicare aliquem, niſi priùs eum ſciat excommunicatum à Deo, & qui ſic excommunicat, ſit ex hoc hæreticus, & excommunicatus. Eſt 11.

D. Thomas in ſuppl. q. 21. art. 3. *Nullus excommunicari debet, niſi pro peccato mortali*: poteſt autem contingere, quòd ille, qui excommunicatur, quamvis ſupponatur eſſe in *peccato mortali*, reverà tamen (de exterioribus enim tantùm judicat Eccleſia, non de *interioribus*) immunis ſit a *peccato mortali*, proindeque coram Deo, ſeu à Deo excommunicatus non ſit: unde Prælatus non debet *certò* ſcire, illum, quem excommunicat, eſſe priùs excommunicatum à Deo. Sufficit, Prælatum hoc ſcire *moraliter*. Id quod ordinariè contingit: *excommunicatio enim infligi non debet etiam pro peccato mortali, niſi quis* contumax fuerit, vel rebellis, contumacia verò, vel rebellio reddit de ſe illum contumacem, *coram Deo* excommunicatum.

Prælatus excommunicans Clericum, qui appellavit ad Regem, vel ad Concilium Regni, eo ipſo traditor eſt Regis, & Regni. Eſt 12.

Illi qui dimittunt prædicare, ſive audire Verbum Dei propter excommunicationem hominum, ſunt excommunicati, & in Dei judicio traditores Chriſti habentur. Eſt 13.

Licet alicui Diacono vel Presbytero, prædicare Verbum Dei abſque authoritate ſedis Apoſtolicæ, vel Epiſcopi Catholici. Eſt 14.

12. Pe-

12. *Poſitio* collimat unicè (ut moliebatur *Wicleffus*) ad ſeminandas *Prælatos* inter, & *Regem* diſcordias. Sic certè D. Thomas 2. 2. q. 69. art. 1. *Aliquis obediat oportet ſuo ſuperiori*, ſuperior verò Clerici eſt Prælatus, ſeu Epiſcopus, proinde ei Clericus, qua *Clericus* obedire tenetur; unde non licet ei, qua *tali* ad *ſæculare appellare* Tribunal. Si tamen *appellet*, cur Prælato eum caſtigare, eum *excommunicare* non liceat?

Ex præmiſſis *duæ* refelluntur propoſitiones ſequentes. *Aliquis enim obediat oportet ſuo ſuperiori:* adeòque illi, qui dimittunt prædicare, ſeu audire Verbum Dei propter excommunicationem hominum, atque ita ſuo ſuperiori obediunt, non ſunt certè *excommunicati*.

Atque hinc, ſeu ex *debita* illa obedientia non licet alicui Diacono, vel Presbytero *prædicare Verbum Dei* abſque *authoritate* ſedis Apoſtolicæ, vel Epiſcopi Catholici. *Quomodo enim prædicabunt, niſi mittantur?* Ad Rom. 10.

Excommunicatio Papæ, vel cujuſcumque Prælati non eſt timenda, quia eſt cenſura Antichriſti. Eſt 30.

D. Thomas in ſupplemento quæſt. 21. art. 2. *Matthæi* 18. *Dicitur de illo, qui Eccleſiam audire contemnit; ſi quis Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus, ſed Ethnici ſunt extra Eccleſiam, itaque & illi, qui Eccleſiam audire contemnunt, per excommunicationem extra Eccleſiam ſunt ponendi*. Eſt igitur in Eccleſia poteſtas excommunicandi; proinde timenda eſt excommunicatio Papæ, & aliorum Prælatorum.

Hanc poteſtatem exeruit Paulus tum in Hymenæum, & Alexandrum 1. ad Timoth. 1. *Quos tradidi Satanæ, ut diſcant non Blaſphemare*; tum in famoſum illum inceſtuoſum. 1. ad Corinth. 5. *qui habebat uxorem Patris ſui*.

Ratio autem cur poteſtas excommunicandi ſit in Eccleſia, hæc eſt, *quia judicium Eccleſiæ conforme debet eſſe judicio Dei, Deus autem* inter alia *peccatores punit eos flagellis caſtigando, ut ad bonum eos trahat. Igitur & Eccleſia* poteſt aliquem punire *eum flagellis caſtigãdo*, ut

ut ad ſe redeat, quod facit, *dum illum à communione fidelium ſeparat.*

Accedit, quòd ſicut Eccleſiæ tradita eſt poteſtas credentes admittendi in Eccleſiam, ita oportuit eidem concedi, ut admiſſos, ſed rebelles poſſit indè ejicere, in omni enim Republica debet eſſe poteſtas coercendi rebelles.

Quod verò Papa non ſit *Antichriſtus*, (ut *Wicleff* vult innuere) patet in primis ex eo, quòd infames notæ, & characteres *Antichriſti* in eum detorqueri nequeant. Sanè ab eo nomine non imitati antiquorum exceſſus, modò abſtinent prudentiores, & moderatiores inter *Sectarios*. Quare hiſce non immoror.

De Pontifice, Prælatis ſpiritualibus & temporalibus.

Nullus eſt Dominus civilis, nullus eſt Prælatus; nullus Epiſcopus, dum eſt in peccato mortali. Eſt 15.

Si Papa ſit præſcitus & malus; & per conſequens membrum diaboli, non habet poteſtatem ſuper fideles. Eſt 8.

Poſt Urbanum VI. non eſt aliquis recipiendus in Papam, ſed vivendum eſt more Græcorum ſub legibus propriis. Eſt 9.

Confirmatio juvenum, Clericorum ordinatio, locorum conſecratio reſervantur Papæ & Epiſcopis propter cupiditatem lucri temporalis, & honoris. Eſt 28.

D. Thomas 2. 2. q. 88. art. 10. ad 2. *Dicitur* 1. *Petri* 2. *Servi* ſubditi *eſtote in omni timore* Dominis, *non tantùm bonis, & modeſtis, ſed etiam diſcolis.* Ecce *Domini*, vocantur etiam illi, qui ſunt diſcoli, ſeu mali. Nonnè verò præcipit ſervis Petrus, ut eis ſint ſubditi? nullus eſt autem ſubditus niſi Domino, aut ſuperiori, proindèque etiam ille eſt verè *Dominus*, qui eſt in peccato mortali.

Id confirmatur Jer. 27. *Dedi omnes terras iſtas in manu Nabuchodonoſor Regis Babylonis ... & ſervient ei Gentes multæ, & Reges magni.* Nabuchodonoſor dicitur Rex, & tamen malus erat, utpote Infidelis.

Quoad *Prælatos*; dicitur Matth. 23. *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi.* Itaque ſi & quidam Prælati, vel Epiſcopi improbam Phariſæorum vitam imitentur, hoc non privat eos *dignitate*, vel

Ca-

Cathedra, adeòque nec *ſummi Pontifices* ſi eos peccare *mortaliter* contingat, amittunt ſupremam in Eccleſia autoritatem, ſed cum omni *juriſdictione*, ut ante peccatum, ſedent ſuper *Cathedram Petri*.

Atque ex his convellitur propoſitio *octava*, uti & *nona*. Quid mihi horribile Schiſma ſubſecutum electionem *Urbani VI.* commemoras? certè & *tunc*, in graviſſimo illo rerum turbine *verus* aliquis fuit Pontifex, licèt quis ex duobus, tribuſve ille foret, ambigeretur. Unde poſt *Urbanum VI.* non eſt vivendum more Græcorum (qui ſe Pontifici ſubtraxerunt) ſub legibus propriis. Quàm Eccleſiæ propitia fuit Dei providentia, quæ tandem per electionem *Martini V.* ſchiſma diuturnum ſuſtulit?

Propoſitio *vigeſima octava* Pontifici, & Epiſcopis ſummè injurioſa eſt. Quòd ſi tamen nonnulli *tales* forent; an illorum eſſet culpa in *omnes* refundenda?

Eccleſia Romana eſt ſynagoga Satanæ: nec Papa eſt proximus, & immediatus Vicarius Chriſti. Eſt 37. **De Eccleſia Romana.**

Non eſt de neceſſitate ſalutis credere Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter alias Eccleſias. Eſt 41.

D. Thomas 2. 2. q. 88. art. 12. Summus Pontifex gerit plenarie vicem Chriſti in tota Eccleſia.

Illa Eccleſia (Romana) non eſt *ſynagoga Satanæ*. *Chriſtus tradidit ſeipſum pro Eccleſia* (Romana ſola) *ut ipſe exhiberet ſibi glorioſam Eccleſiam* non habentem maculam, aut rugam. Ad Epheſ. 5.

Illa (*Romana*) eſt ſola, & vera Chriſti Eccleſia, non tantùm *ſuprema inter omnes Eccleſias*, ſed extra quam nulla patet via ſalutis. *Ego Cathedræ Petri communione conſocior, ſupra illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio; quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt, ſi quis in Arca Noe non fuerit, peribit, regnante diluvio.* Hieronymus epiſt. 57. ſed de his fuſiùs ſub finem operis.

Fatuum eſt credere Indulgentiis Papæ, & Epiſcoporum. Eſt 42. **De Indulgentiis.**

Vide ſupra errorem 6. *Waldenſium* ſæculo 12.

Ele-

De Electione Papæ. *Electio Papæ à Cardinalibus à diabolo eſt introducta*. Eſt 40.

D. Thomas 2. 2. q. 10. art. 12. *Eccleſiæ conſuetudo ſemper eſt in omnibus æmulanda:* fuit verò à pluribus jam ſæculis Eccleſiæ conſuetudo, quòd Papæ à Cardinalibus eligantur, proindè illa conſuetudo æmulanda eſt, & illi ſtandum: adeòque talis electio non eſt à diabolo introducta, cùm æmulandum non ſit id, quod à maligno ſpiritu introductum eſt.

De Decretalibus. *Decretales epiſtolæ ſunt apocryphæ, & ſeducunt à fide Chriſti: & Clerici ſunt ſtulti, qui ſtudent eis*. Eſt 38.

D. Thomas 1. 2. q. 71. art. 2. *Quilibet tenetur ea ſcire, quæ ad ſuum ſtatum, vel officium ſpectant*. Ad ſtatum verò, & officium plurium Clericorum ſpectat notitia juris Canonici, ſub quo comprehenduntur *Decretales*, quæ ſunt Romanorum Pontificum decreta in diverſis Conciliis, & Epiſtolis ſparſa: unde Clerici non ſunt ſtulti, qui ſtudent eis; ſed ſapientes, cum illi dent operam ſcientiæ; ad quam plures ex iis tenentur. Sine fundamento autem dicitur, *Decretales* eſſe *apocryphas*, ſeu illarum ignorari originem. Illas in unum redigi volumen juſſit *Gregorius IX.* Pontifex maximus per S. noſtrum *Raymundum de Pennafort* doctrina, & ſanctitatem percelebrem.

De Oratione. *Speciales orationes applicatæ uni perſonæ per Prælatos vel Religioſos, non plus proſunt idem, quàm generalis, cæteris paribus*. Eſt 19.

D. Thomas in ſuppl. q. 71. art. 14. & 13. *Orationes, & ſuffragia ſpecialia plus proſunt alicui, quàm communia*, ſeu generalia *tantùm*. Deinde: ſi ſpeciales orationes applicatæ uni perſonæ non plus eidem prodeſſent, quàm generales, *Eccleſia non debuiſſet inſtituiſſe, ut pro aliquo fieret ſingulariter*, ſive ſpecialiter *Miſſa*, *vel* Oratio. Unde de ſe ruit ſententia *VVicleſſi*.

Omnes ſunt Simoniaci, qui ſe obligant orare pro aliis, eis in temporalibus ſubvenientibus. Eſt 25.

D. Thomas 2. 2. q. 100. art. 3. ad 2. *Illi, qui dant Eleemoſynas pauperibus, ut orationum ab ipſis ſuffragia impetrent, non eo tenore dant, quaſi intendentes oratio-*

tio-

tiones emere : ſed per gratuitam beneficentiam pauperum animos provocant ad hoc, quod pro eis gratis, & ex charitate orent. Unde ſicut primi non intendunt Eleemoſynis orationes emere, ita nec ſic orantes, ut propoſitio fert, intendunt orationes ſuas vendere, ſed tantùm intendunt *ſuſtentationis ſtipendium*. Proinde *tales* non ſunt Simoniaci.

Oratio præſciti nulli valet. Eſt 26.

Quantùm ſupra ex propoſitione 8. (*ſi Papa ſit* præſcitus, *& malus* :) *colligi poteſt* : per Tò *oratio præſciti* intelligitur : *oratio præſciti* ſeu *mali nulli valet*, ſeu *nullius eſt valoris*, vel *nihil valet impetrare*. Aſſertionem porrò ſic intellectam evertit D. Thomas 2. 2. q. 83. art. 16. *Si peccator orando aliquid petit inquantùm peccator, id eſt ſecundùm deſiderium peccati, in hoc non auditur a Deo ex miſericordia, ſed quandoque auditur ad vindictam; dum Deus permittit peccatorem adhuc amplius ruere in peccata. Orationem verò peccatoris ex bono naturę deſiderio proficientem Deus audit, non quaſi ex juſtitia, quia peccator hoc non meretur, ſed ex pura miſericordia*. Et ad 2. *Oratio peccatoris poteſt eſſe impetrativa*.

Suffragatur Auguſtinus tractatu 44. in Joann. *Si peccatores non exaudiret Deus*, (ſcilicet *ex miſericordia*) *fruſtra publicanus dixiſſet, Deus propitius eſto mihi peccatori*. Falſum igitur eſt, quòd oratio *præſciti*, ſeu *mali* nulli valeat.

Omnia de neceſſitate abſoluta eveniunt. Eſt 27.

D. Thomas 1. p. q. 22. art. 4. *Effectus divinæ providentię non ſolùm eſt aliquid evenire quocumque modo, ſed aliquid evenire, vel* contingenter, *vel neceſſario. Et ideò evenit neceſſariò, quòd divina providentia diſponit evenire neceſſariò, & evenit* contingenter, *quod divinę providentia ratio habet, ut contingenter eveniat ſecundùm* conditionem proximarum cauſarum ... *quę ſunt, vel neceſſaria, vel* contingentes. Non igitur omnia de neceſſitate obſoluta eveniunt. *De Cauſarum contingentia.*

Univerſitates, Studia, Collegia, Graduationes, & Magiſteria in eiſdem, ſunt vana gentilitate introducta, & tantùm proſunt Eccleſię, ſicut diabolus. Eſt 29. *De Univerſitatibus.*

D. Thomas Opuſc. 19. cap. 1. parag. 5. *Ea, quæ ad ſolemnitatem docendi pertinent* (ut ſunt v. g. Magiſteria,) *non fiunt cauſa elationis, alias eſſent ab omnibus vitanda, quia quilibet tenetur elationem vitare, ſed ſunt ordinata* ad autoritatem officii oſtendendam, *& ſicut perfectioni nihil deperit, ſi Sacerdos ſupra Diaconum ſedeat, & ſericis ornetur veſtimentis, ita non obſtat perfectioni, ſi quis Magiſtralibus inſigniis utatur. Et hoc eſt quod dicit quædam gloſſa ſuper illud Matth. 23. Amant primos recubitus: Magiſtros, inquit, primos ſedere non vetat: ſed eos arguit, qui hæc habita, vel non habita* inani gloria *appetunt*. Non ſunt igitur Magiſteria vana gentilitate (quæ unicè laudi hominum inhiabat) introducta.

Cæterùm, quot quantique fructus in Eccleſiam per Doctores dimanarunt! quantùm illam illuſtrarunt, ut alios prætercam, duo fulgidiſſima & Univerſitatis Pariſienſis, & orbis lumina SS. *Thomas Aquinas*, & *Bonaventura*! non itaque tantum proſunt Magiſteria Eccleſiæ ſicut diabolus. Nonne & ipſe *VVicleffus* in Univerſitate *Oxonienſi* lauream Magiſterii adeptus eſt? cur culpat in aliis Gradum, quem ipſemet eſt conſecutus.

Object. At fortè illius eum poſteà pœnituit, quia gradus Magiſterii humilitati opponitur, ut ſæpè dixit.

Reſp. Id falſum eſt: *potiri honoribus*, inquit ibidem S. Doctor veræ ſubmiſſionis exemplar, *non opponitur humilitati: ſed in honoribus ſe inordinatè extollere. Quis audeat dicere, quòd Gregorio aliquid de perfectione humilitatis deperierit, quia ad ſummum apicem Eccleſiaſtici honoris promotus fuit.*

Quid quod & *ipſi Apoſtoli ſeipſos Magiſtros, ac Doctores nominarunt* 1. *ad Timoth.* 2. *veritatem dico, non mentior, Doctor gentium in fide, & veritate. Et* 2. *ad Timoth.* 1. *in quo poſitus ſum ego prædicator, & Apoſtolus, & Magiſter gentium*. Ecce non phohibetur magiſterii nomen, *ſed ambitio Magiſterii*.

De Iuramento. *Juramenta illicita ſunt, quæ fiunt ad roborandos contractus, & commercia civilia.*

D. Thomas 2. 2. qu. 89. art. 3. *Dicitur Hierem.* 4. *jurabis in veritate, in judicio, & in juſtitia.. requiritur*

ritur veritas, per quam aliquis juramento confirmat, quod verum eſt: & juſtitia, per quam confirmat, quod rectum, ſeu honeſtum *eſt.. requiritur autem judicium ad hoc, ut aliquis ex neceſſaria cauſa juret*. Quidnam verò in rebus humanis eſt magis neceſſarium, quam *contractus humani*, pax, & tranquillitas publica? qui poterit tutò cum hoſtibus feriri & obſervari fœdus, niſi *juramento* firmetur? qui ſæpe lites ſopientur ſine illo? omitto alia paſſim obvia. Non igitur præfata juramenta ſunt illicita.

Si aliquis ingreditur Religionem privatam qualemcumque tam poſſeſſionatorum, quam mendicantium, redditur ineptior, & inhabilior ad obſervantiam mandatorum Dei. Eſt 21. *De Religioſis.*

Ingredientes Religionem, aut aliquem Ordinem, eo ipſo inhabiles ſunt ad obſervanda divina præcepta, & per conſequens ad perveniendum ad regna Cœlorum, niſi Apoſtataverint ab eiſdem. Eſt 35.

Peccant fundantes Clauſtra, & ea ingredientes ſunt viri diabolici. Eſt 31.

Omnes Religiones indifferenter ſunt introductæ a diabolo. Eſt 45.

Sancti inſtituendo Religiones privatas, ſic inſtituendo peccaverunt. Eſt 22.

Omnes de Ordine mendicantium ſunt Hæretici, & dantes eis Eleemoſynam ſunt Excommunicati. Eſt 34.

Conferens Eleemoſynam Fratribus, eſt excommunicatus eo facto. Eſt 20.

Auguſtinus, Benedictus, & Bernardus damnati ſunt, niſi pœnituerint de hoc: quod habuerunt poſſeſſiones, & inſtituerunt, & intraverunt Religiones: & ſic à Papa uſque ad ultimum Religioſum omnes ſunt Hæretici. Eſt 44.

Religioſi viventes in Religionibus privatis non ſunt de Religione Chriſtiana. Eſt 23.

Fratres tenentur per labores manuum victum acquirere, & non per mendicitatem. Eſt 24.

D. Thomas 2. 2. qu. integra. 186. Imitantes conſilium Chriſti non redduntur ineptiores, & inhabiliores ad obſervantiam mandatorum Dei, ſed illi qui

ingrediuntur Religionem ſeu *emittunt votum pauper-tatis continentiæ*, *& obedientiæ* (quod votum emittunt & *poſſeſſionati* & *mendicantes*) *imitantur conſilium Chriſti*. Non ergo tales per hoc redduntur ineptiores, & inhabiliores ad obſervantiam mandatorum Dei.

De paupertate dicit Dominus Matth. 19. *Si vis perfectus eſſe, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus, & veni, ſequere me.*

De continentia eodem capite. Sunt Eunuchi, qui caſtraverunt ſeipſos propter Regnum Cœlorum. Qui poteſt capere, capiat. Unde etiam Apoſtolus maximè commendat continentiam dicens 1. ad Corinth. 7. *Qui ſine uxore eſt, ſollicitus eſt, quæ Domini ſunt, quomodò placeat Deo; & mulier innupta, & virgo cogitat, quæ Domini ſunt, ut ſit Sancta corpore & Spiritu.*

De obedientia verò ſic loquitur Chriſtus 16. Matth. *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat Crucem ſuam, & ſequatur me.* Nullus certè veriùs ſeipſum abnegat, quam qui voluntatem ſuam in Superioris arbitrium totam transfundit.

Hinc nec fundantes Clauſtra, nec illa ingredientes ſunt *viri diabolici*. Eſſent autem diabolici, ſi à Religione *Apoſtatarent*.

Nec Sancti inſtituendo Religiones ſic *inſtituendo peccarunt*.

Nec omnes de Ordine mendicantium &c. *ſunt Haretici*: Chriſtus enim non conſulit hæreſim. Atque ita & *aliarum propoſitionum* facilè diſſipatur colluvies.

Porrò intolerabiles ſunt blaſphemiæ, quas *Wicleff* vibrat in SS. præſertim *Auguſtinum*, *Benedictum*, *& Bernardum*; quorum caſtigatiſſima & regularis obſervantiæ tenaciſſima vita cuilibet vel umbra rationis prædito laudem extorqueat, neceſſe eſt.

Propoſitio *Vigeſima quarta*, refutata eſt ſæculo 13. in *Guilielmo de Sancto Amore* errore 2. & 3.

De Dæmone. *Deus debet obedire diabolo*. Eſt propoſitio 6.

D. Thomas 3. p. qu. 41. art. 4. ad 6. *Cum diabolus dixiſſet Chriſto, hæc omnia tibi dabo*, (Matth. 4.) *ſi cadens adoraveris me, repulit eum Dominus dicens, vade ſatana.* Et non obedit diabolo, ſed eum reiicit

cit, arguit, increpat, retorquens: *ſcriptum eſt, Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies*, & obediens eris: ut tota Scriptura, & res omnes creatæ certatim exclamāt.

Talemne propoſitionem ex ore, vel calamo cujuſpiam eructari potuiſſe!

ERRONES.
SÆCULI DECIMI-QUINTI.

JOannes *Hus* obſcuro loco natus eſt in Bohemia, ex Villa *Hus*, quod *Anſerem* ſignificat, cognomen mutuatus. Profeſſione fuit Presbyter: in Academia verò Pragenſi Magiſter artium, deinde Rector Univerſitatis. Rexerant Scholam Pragenſem in ea uſque tempora *Teutones*: id ægre ferebant *Bohemi*. Hinc ii conqueri, muſſitare, inter ſe conferre, res varias moliri. *Ioannes Hus.*

Interim venenata *VVicleffi* ſcripta Regno Bohemiæ inferit *Petrus Payne Wicleffiſta* ex Anglia profugus. Multa illico deſcribuntur exemplaria, illaque Academicis Bohemis, qui immani Teutonicos perſequebantur odio, communicantur. Hos inter eminebat *Ioannes Hus*. Hauſit ille avidè doctrinam *VVicleffi*, novisque dogmatibus (quæ, ut erat ingenio peracri & lingua diſerta, affabrè exponebat) *Teutonicos* cœpit exagitare Magiſtros, in id primò potiſſimum intendens, ut iſti importunè laceſſiti diſcederent, & ſcholę regimen Bohemis relinquerent. 45. aſſertiones *Wicleffi* Pragenſis confixerat Univerſitas. Sententię tam ſolemni, cui & ipſe ſubſcripſerat, *Ioannes Hus* publicè refragari non audebat: in privatis tamen colloquiis *Wicleſſicum* pluribus venenum inſtillare non deſtitit; cumque vehementi in Teutonicos invidia flagraret, quos velut aggerem ſuis cernebat objectum machinationibus, Bohemis ſuis perſuaſit, ut Regi *Wenceslao* ſuggererent, operę pretium eſſe, ut Academia Pragenſis juxta Pariſienſis inſtitutum, mores, ſanctioneſque gubernaretur. Quatuor in nationes ab initio diſtincta erat Pragenſis univerſitas *Bohemicam, Bavaricam, Saxonicam, & Polonicam, quæ*

honoribus, prærogativis, & emolumentis æquo jure fruebantur. A Principe imprudenti, & imminentis non præſago tempeſtatis facilè impetratum eſt, ut Bohemica cæteris præferretur; ipſaque una tantum ſibi juris vendicaret, quantùm reliquæ tres ſimul junctæ, & ſub nationis Teutonicæ nomine deinceps confundendæ. Exacerbati Bohemorum violentia Teutonici, una die ſupra bis mille Pragam deſeruere: nec diù poſt alia ad tria millia ſecuti. Lipſiam celebrem Saxoniæ urbem adiere, ubi nova Academia erecta eſt. Hinc & Academiæ Pragenſis, & Religionis pariter apud Bohemos ruina profluxit. *Tunc* ſcilicet *Joannes Hus* virus *Wicleſſicum*, quod ejus animum, medullas, præcordia penetrarat, palam incepit effundere.

Vitæ auſteritatem ſimulans, celebrioreſque conſcendens ſuggeſtus, coram numeroſa concione multa ex libris *Joannis Wicleffi* in medium proferebat, aſſerens omnem in eis contineri veritatem; & crebrò in prædicationis æſtu adiiciens, ſe dum ſibi ex hac luce migrandum eſſet, in ea deſiderare proficiſci loca, ad quæ *Wicleſſi* anima perveniſſet, quem virum fuiſſe probum, inſignem, ſanctum, Cœloque dignum non dubitaret. Nec lingua tantùm, ſed & calamo impia illius Hæreſiarchæ dogmata diſſeminavit *Huſſus*, aliquot ejus libris in linguam Bohemicam transfuſis, quos egregiè politos ingentis muneris loco, ut toxicum ſuaviùs, & fortiùs in animos ſerperet, ad potentiores Laicos mittebat. *Huſſo* præter quoſdam inferioris notæ Clericos, ſe nonnulli etiam doctrina celebres adjunxerunt; qui cum in Eccleſia conſequi dignitatem non potuiſſent, malo ferebant animo, potiora iſtis conferri beneficia, qui quamvis nobilitate excellerent, ſibi tamen ſcientia cedebant. Ita dum quiſque illorum judicem agit *in ſua cauſa*; luctuoſiſſimam Bohemia faciem induit. Graviſſimis in quoslibet Eccleſiaſticos contumeliis ſævitum eſt, nulli pepercit vel inſonti Doctorum iſtorum turba univerſaliter in Clerum, cujus quædam erant putrida membra, debacchantium.

Hieronymus de Praga.

Hos inter ſe diſtinguebat eloquentia *Hieronymus de Pra-*

Praga ſeu *Pragenſis*, Magiſter artium, de quo hìc infrà.

Hieronymo non impar erat *Iacobellus Miſnenſis*, *qui Pragæ* ad S. *Michaelis* per id tempus magno cum applauſu ad populum dicebat. *Iacobellus Miſnenſis.*

Cum illo congreſſus *Petrus Dreſdenſis*, mirari, ſe, ait, pium, Doctumque virum, qui ſacræ doctrinæ pabulum populo ſubminiſtraret, errorem illum non animadvertere; qui circa Euchariſtiæ communionem irrepſiſſet in Eccleſiam: in qua ſub *una* tantùm ſpecie Corpus Chriſti populo daretur, cum apud Joannem Evangeliſtam illius ſumptio ſub *duplici* ſpecie obliget; dicente Servatore Joann. 6. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. His imbutus *Iacobellus* vehementiſſimè apud populum urſit communionem ſub *utraque ſpecie*, non ſalvandos eſſe clamitans, qui ſub *una* duntaxat Corpus Chriſti ſumerent. Huic aſſertioni *Ioannes Hus*, ejuſque aſſeclæ conſenſere, eique tam tenaciter Huſſitæ Bohemi alligati ſunt, ut nullo ſtudio, nullo rationum pondere, nulla vi armorum ab ea avelli potuerint. De his infra. *Petrus Dreſdenſis.*

Hi porrò ſunt, præter ſententiam de communione ſub *duplici ſpecie*, ſeu *uſu calicis* ipſi cum *Iacobello*, & *Petro Dreſdenſi*, communem, *Ioannis Huſſi* errores, ut conſtat ex ipſius ſcriptis, & Concilio Conſtantienſi Seſſione 15. ubi hiſce verbis referuntur. Sunt numero triginta.

1. *Unica eſt Sancta univerſalis Eccleſia, quæ eſt prædeſtinatorum univerſitas.* *Articuli Ioannis Hus.*

2. *Paulus nunquam fuit membrum diaboli, licet fecerit actus quoſdam actibus Eccleſiæ malignantium conſimiles.*

3. *Præſciti non ſunt partes Eccleſiæ, cum nulla pars ejus ab ea finaliter excidat, eo quod prædeſtinationis* 1. *Corinth.* 13. *Charitas quæ ipſam ligat, non excidit.*

4. *Duæ naturæ, divinitas, & humanitas ſunt unus Chriſtus.*

5. *Præſcitus etſi aliquando ſit in gratia ſecundùm præſentem juſtitiam, nunquam tamen eſt pars ſancta Eccle-*

ſiæ : & prædeſtinatus ſemper manet membrum Eccleſiæ ; licet aliquando excidat à gratia adventitia , ſed non à gratia prædeſtinationis .

6. *Sumendo Eccleſiam pro convocatione prædeſtinatorum , ſive ſint in gratia , ſive non ; ſecundùm præſentem juſtitiam , iſto modo Eccleſia eſt articulus fidei .*

7. *Petrus non fuit , nec eſt Caput Eccleſiæ Sanctæ Catholicæ .*

8. *Sacerdotes quomodolibet criminoſè viventes , Sacerdotii polluunt poteſtatem , & ſicut filii infideles , ſentiunt Infideliter de ſeptem Sacramentis Eccleſiæ , de Clavibus , Officiis , Cenſuris , Moribus , Cæremoniis , & ſacris rebus Eccleſiæ , veneratione Reliquiarum , Indulgentiis , & Ordinibus .*

9. *Papalis dignitas à Cæſare inolevit , & Papæ perfectio , & inſtitutio à Cæſaris potentia emanavit .*

10. *Nullus ſine revelatione aſſereret rationabiliter de ſe , vel de alio , quod eſſet caput particularis Sanctæ Eccleſiæ ; nec Romanus Pontifex eſt Caput Romanæ Eccleſiæ .*

11. *Non oportet credere , quòd iſte quicumque eſt particularis Romanus Pontifex , ſit caput cujuſcumque particularis Eccleſiæ ſanctæ , niſi Deus eum prædeſtinaverit .*

12. *Nemo gerit vicem Chriſti , vel Petri , niſi ſequatur eum in moribus ; cum nulla alia ſequela ſit pertinentior , nec aliter à Deo recipiat procuratoriam poteſtatem ; quia ad illud officium Vicarii requiritur & morum conformitas , & inſtituentis authoritas .*

13. *Papa non eſt manifeſtus , & verus ſucceſſor principis Apoſtolorum Petri , ſi vivit moribus contrarius Petro : & ſi quærit avaritiam , tunc eſt Vicarius Judæ Iſcariotis . Et pari evidentia Cardinales non ſunt manifeſti , & veri ſucceſſores Collegii aliorum Apoſtolorum Chriſti , niſi vixerint more Apoſtolorum , ſervantes conſilia , & mandata Domini noſtri Jeſu Chriſti .*

14. *Doctores ponentes , quod aliquis per Cenſuram Eccleſiaſticam emendandus , ſi corrigi noluerit , judicio ſeculari eſt tradendus , pro certo ſequuntur in hoc Pontifices , Scribas , & Phariſæos , qui Chriſtum nolentem eis obedire in omnibus , dicentes ,* nobis non licet interficere quemquam , *ipſum ſæculari judicio tradiderunt ; eo quod*

tales

tales ſunt homicidæ graviores, quam Pilatus.

15. *Obedientia Eccleſiaſtica eſt obedientia ſecundùm adinventionem Sacerdotum Eccleſiæ præter expreſſam auctoritatem Scripturæ.*

16. *Diviſio immediata humanorum operum eſt, quod ſint virtuoſa vel vitioſa, quia ſi homo eſt vitioſus, & agat quidquam, tunc agit vitioſè, & ſi eſt virtuoſus & agat quidquam, tunc agit virtuoſè, quia ſicut vitium, quod crimen dicitur ſive peccatum mortale, inficit univerſaliter actus hominis vitioſi, ſic virtus vivificat omnes actus hominis virtuoſi.*

17. *Sacerdos Chriſti vivens ſecundùm legem ejus, & habens notitiam Scripturæ, & affectum ad ædificandum populum, debet prædicare, non obſtante prætenſa excommunicatione.. quod ſi Papa, vel aliquis Prælatus mandat Sacerdoti ſic diſpoſito non prædicare, non debet obedire ſubditus.*

18. *Quilibet prædicantis officium de mandato accipit; qui ad Sacerdotium accedit; & illud mandatum debet exequi, prætenſa excommunicatione non obſtante.*

19. *Per Cenſuras Eccleſiaſticas Excommunicationis, Suſpenſionis, & Interdicti, ad ſui exaltationem Clerus populum laicalem ſibi ſuppeditat, avaritiam multiplicat, malitiam protegit, & viam præparat Antichriſto. Signum autem evidens eſt, quod ab Antichriſto tales procedant Cenſuræ, quas vocant in proceſſibus ſuis fulminationes, quibus Clerus principaliſſimè procedit contra illos, qui denudant nequitiam Antichriſti, quam Clerus maximè pro ſe uſurpavit.*

20. *Si Papa eſt malus, & præſertim ſi eſt preſcitus, tunc ut Judas Apoſtolus, eſt diabolus, fur, & filius perditionis, & non eſt caput Sanctę militantis Eccleſiæ, cum nec ſit membrum ejus.*

21. *Gratia prędeſtinationis eſt vinculum, quo corpus Eccleſię, & quodlibet ejus membrum jungitur Chriſto capiti inſolubiliter.*

22. *Papa vel Prelatus malus, & preſcitus, eſt æquivocè paſtor, & verè fur, & latro.*

23. *Papa non debet dici Sanctiſſimus etiam ſecundùm officium, quia aliàs Rex etiam deberet dici ſanctiſſimus ſecun-*

ſecundum officium; & tortores, & pracones dicerentur Sancti; imò etiam diabolus deberet dici Sanctus, cum ſit officiarius Dei.

24. *Si Papa vivat Chriſto contrariè, etiamſi aſcenderet per legitimam electionem ſecundum conſtitutionem humanam vulgatam, tamen aliunde aſcenderet, quàm per Chriſtum, dato etiam, quod intraret per electionem a Deo principaliter factam. Nam Judas Scarioth ritè, & legitimè eſt electus à Deo Jeſu Chriſto ad Apoſtolatum, & tamen aſcendit aliundè in ovile ovium.*

25. *Condemnatio quadraginta quinque articulorum Joannis VVicleff per Doctores facta, eſt irrationabilis, & iniqua, & malè facta, & ficta eſt cauſa per eos allegata, videlicet ex eo, quod nullus eorum ſit Catholicus, ſed quilibet eorum aut eſt hareticus, aut erroneus, aut ſcandaloſus.*

26. *Non eo ipſo, quo electores, vel major pars eorum conſenſerit viva voce ſecundùm ritus hominum in perſonam aliquam, eo ipſo illa perſona eſt legitimè electa, vel eo ipſo eſt verus, & manifeſtus Vicarius, vel ſucceſſor Petri Apoſtoli, vel alterius Apoſtoli in officio Eccleſiaſtico. Unde ſive electores benè, vel malè elegerint, operibus electi debemus credere; nam eo ipſo, quo quis copioſiùs operatur meritoriè ad profectum Eccleſia, habet à Deo copioſiùs ad hoc poteſtatem.*

27. *Non eſt Scintilla apparentia, quod oporteat eſſe unum caput in ſpiritualibus regens Eccleſiam, quod ſemper cum ipſa militante Eccleſia converſetur, & conſervetur.*

28. *Chriſtus ſine talibus capitibus monſtruoſis, per ſuos veraces Diſcipulos ſparſos per orbem terrarum meliùs ſuam Eccleſiam regularet.*

29. *Apoſtoli, & fideles Sacerdotes Domini ſtrenuè in neceſſariis ad ſalutem regularunt Eccleſiam, antequam Papa officium foret introductum, ſic facerent, deficiente per ſummè poſſibile Papa, uſque ad diem judicii.*

30. *Nullus eſt Dominus civilis, nullus eſt Pralatus, nullus eſt Epiſcopus, dum eſt in peccato mortali.*

Cæterùm *Joannes Hus* tenuit *realem Corporis, & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia praſentiam, numerum,*

& efficaciam Sacramentorum; Confeſſionem Sacramentalem, Extremam unctionem, Purgatorium, & orationes pro Defunctis, interceſſionem, & Invocationem Sanctorum.

In tractatu *de Sacramento Corporis, & Sanguinis Domini* in carcere edito Conſtantiæ: *Sacerdos*, inquit, *virtute verborum Sacramentalium facit miniſterialiter eſſe ſub ſpecie panis verum Corpus Chriſti. Similiter ſub ſpecie vini facit miniſterialiter eſſe verum Sanguinem Chriſti. Dico miniſterialiter. Quia tanquam miniſter Chriſti poteſtate, & verbis Chriſti facit, quod facit Chriſtus poteſtate propria tranſubſtantians panem in Corpus ſuum, & vinum in Sanguinem ſuum, unde canit Eccleſia: Dogma datur Chriſtianis, quod in Carnem tranſit panis, & vinum in Sanguinem.*

Joannes Hus tenet præſentiã realem Corporis Chriſti in Euchariſtia.

Accuſatus quidem fuit Seſſ. 15. *Quòd panem materialem, vel ſubſtantiam panis, poſt conſecrationem Hoſtiæ in Altari manere docuiſſet*; ſed id ſe tenere, aut aliquando tenuiſſe, vel docuiſſe conſtantiſſimè negavit: ad accuſationem verò ingeminatam reſpondit: *dixi, & dico, quòd in Hoſtia remanet ille Panis, qui dicit: Ego ſum Panis vitæ. Et Apoſtolus dicit: probet autem ſeipſum homo, & ſic de Pane illo edat, & de Calice bibat. Non remanet verò in Sacramento Altaris ſubſtantia panis* materialis, ſed panis deſinit eſſe per tranſubſtantiationem in Corpus Chriſti. Hæc ex Autographo exſcripſit *Joannes Przibram* magnæ quondam inter Huſſitas auctoritatis: ſed ad Catholicam fidem feliciter reverſus, libro *de non remanentia panis* adverſus Wicleffiſtas edito, ex quo id refert *Cochlæus* lib. 2. Hiſtoriæ Huſſitarum.

Item confeſſionem Sacramentalem.

De Confeſſione Sacramentali ſic diſſerit *Joannes Hus* in tractatu *de pœnitentia. Tres ſunt partes pœnitentiæ: ſcilicet contritio, confeſſio, & ſatisfactio... confeſſio eſt coram Deo, &* Sacerdote peccatorum recognitio, *quæ debet eſſe plana, & integra, plana, ut Sacerdos intelligat; integra, ne confitens aliquod peccatum ſcienter abſcondat. Qui enim abſcondit ſcelera ſua non dirigetur.*

Extremæ unctionis Sacramentum ibidem agnoſcit. Explicans enim illa verba Jacobi 5. *Infirmatur quis* *Extremam unctionem.*

in

in vobis &c. fuit (inquit) *hoc Sacramentum inſtitutum ad alleviationem infirmi , & remiſſionem peccati .* Quibuſdam deinde interjectis, ſeptem admittit novæ legis Sacramenta.

Sacramenta.

De Purgatorio, & orationibus pro Defunctis ſic diſcurrit in Sermone *de Exequiis* habito Pragæ ad Clerum. *Anima Defunctorum habent poſt exitum à corpore triplicem manſionem. Aliqua quidem, ut Sanctorum Martyrum & Confeſſorum, ſic accenduntur pro articulo mortis in amore Chriſti, quod ſtatim ponuntur in patria, non relicta macula expurganda. Secunda verò anima habentes amorem diſperſum ad temporalia, licet amor in eis præponderat, habent venialia expurganda. Tertia verò anima, qua finaliter temporalia diligunt plus, quam Chriſtum, ſtatim perpetuam damnationem recipiunt. Prima anima, vel primi homines ſecundùm Auguſtinum vocantur valde boni; ſecundi verò non valde mali; tertii valde mali. Unde dicit B. Auguſtinus: cum ſacrificia ſive Altaris, ſive quarumcumque Eleemoſynarum pro Baptizatis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones ſunt, pro non valde malis propitiationes ſunt, ſed pro valde malis, etſi nulla ſunt adjumenta mortuorum, tamen qualeſcumque ſunt vivorum conſolationes. Ex jam dictis habetur, quibus Defunctis proſint ſuffragia ad celeriorem liberationem à pœnis: quia illi, qui non ſunt valde boni, nec valde mali,* ſed medii, *qui nec ſunt æternaliter damnati, nec actualiter in patria beatificati,* militantis Eccleſiæ ſuffragio expurgari queunt.

Purgatorium.

Interceſſionem & Invocationem Sanctorum profitetur in elucidatione fidei. *Juxta fidem*, inquit, *mulieris Chananæa, Filiam ejus ſanavit Chriſtus Matth. 5. Si igitur homo adhuc mortalis poteſt apud Chriſtum pia oratione obtinere ſuffragium, quis ſtultus auderet dicere, quod homo exiſtens cum Chriſto in gloria, illud non poſſet? etenim foret homo minoris potentia, & acceptationis apud Regem gloria in gloria, quàm fuit in miſeria, dum vixit. Rogo etiam pro meis accuſatoribus Virginem Caſtiſſimam, Genitricem Salvatoris, reparatricem humani generis, Reginam Cœli, qua ex titulo gratia natura ſuperaddita Angelicam naturam ſuperat, qua inter omnes Beatos citra ſuum*

Etiam interceſſionem, & invocationem Sanctorum,

ſuum Filium, eſt Beatior, ſingulari privilegio glorioſior, gratia, & dotibus gloriæ fæcundior.

Viderint nunc Lutherani, & Calviniſtę, quomodò cum *Ioanne Hus*, quem ut teſtem veritatis venerantur, conveniant. Viderint, qui ſuarum falſi nominis Eccleſiarum origines, aut ſucceſſionem à *Ioanne Hus* deducant, quocum in pleriſque fidei ſuę dogmatibus non conſentiunt. Viderint, qui hanc ipſam doctrinam in Eccleſia Romana damnent, & ob eam ab illius communione deſciverint, quam iſte (quem ut Spiritu Sancto refertum prędicant) acerrimè propugnavit. *Reflexio ad Sectarios à Joanne Hus ſucceſſionem ſuam deducere ſatagentes.*

Interim *Ioannes Hus* mirabilibus de ſe ideis fartus, & univerſo, ut ſibi videbatur, Concilio os obſtructurus, Conſtantiam proficiſcitur. Commeatum habebat ab Imperatore *Sigiſmundo* Religioſiſſimo Principe ea lege, ut hęreſim nullatenus diſſeminaret, ſed mandatis Concilii, poſtquam auditus fuerat, obtemperaret. At ille auſus eſt ſua dogmata Conſtantię in ſuo ſerere Hoſpitio, ad ſe populum ciere, & ad ſuam amplectendam ferventer hortari doctrinam. Quin & ſępè monitus non deſtitit. Qua de cauſa in cuſtodiam Palatii Pontificis miſſus eſt, cumque *ſalvum conductum* ſeu *commeatum* à Sigiſmundo datum proferret, dixit Pontifex illius Privilegio eum excidiſſe, poſtquam ejus *conditionem præcipuam* de non diſſeminandis erroribus (à quorum prędicatione nec crebrò admonitus abſtinuerat) infregiſſet. *Joannes Hus tendit ad Conciliũ Conſtantienſe.* *Salvo conductu munitus illius conditiones infringit.*

Ex his facillimè ſolvitur id, quod continuò nobis Sectarii obiiciunt. *In Huſſo violata eſt fides* ſalvi conductus. *Non eſt fidendum Catholicis, qui docent non eſſe ſervandam fidem datam hæreticis.* *In carcerem conicitur.*

Hę profectò merè ſunt calumnię. Non eſt violata *ſalvi conductus* fides *in Huſſo*, *Illius* conditiones protrivit, proindeque *ſalvi conductus* Privilegium, pręſertim cum & admonitus de non adimpleta conditione *commeatus*, eandem tranſgredi, & temerare pergeret, turpiter amiſit. *Refelluntur Sectarii obiicientes fidem datam, eſſe violatam in Huſſ.*

Non ſanè Romana docet Eccleſia, *non eſſe ſervandam fidem datam hæreticis*. Candidè, ſinncerè, apertè, inge-

Servanda eſt fides Hæreticis.

ingenuè, clarè, & explicato vultu, ac pectore profitemur; *Hæretico*, Turcæ, Infideli extremo ſub ſole repoſto, Barbaro, Judæo, Scythæ, cuilibet, etiam hoſti juratiſſimo ſanctè, & Religiosè *ſervandam eſſe datam fidem*. Hoc eſt Eccleſiæ dogma. *Promiſſio*, ſeu *fides data*, *& acceptata obligat*. Ab illa doctrina, à ſacrato illo Theologorum proloquio nunquam deflexit Eccleſia. Nonnè illa fidem *ſalvi conductus* in Concilio liberavit Baſileenſi? quibus obſecro, ſalvus conductus in præfata datus eſt Synodo? illic intueor *Procopium* cognomento *Raſum*, dire in Eccleſiam armatum, *Ioannem Rokiſanam* Pragenſium Huſſitarum Rectorem, ingentium turbarum facem, & artificem, *Nicolaum Galæcum* Thaboritarum Presbyterum: aliaque impietatis delubra. *Illis*, *illis* tamen (de quibus ſtatim infra) a Patribus Baſileenſibus data eſt, & ſanctè ſervata fides.

Huſſus è cuſtodia elapſus arctiori mancipatur.

Purum proinde fuit *Sectariorum* effugium, dum à Concilio Tridentino, ut cum Patribus conferrent, per *ſalvum conductum* non ſemel, ſed tertiò Seſſ. 13. 15. & 18. perhumaniter invitati illuc accedere renuerunt, allegantes, *illum* fuiſſe in *Ioanne Huſſo* perfidè violatum; eodem ſe Labyrintho irretiendos fore, Romanam docere Eccleſiam, *quod non ſit ſervanda fides hæreticis*. Purum, hoc inquam, fuit effugium; & ſtudioſa calumnia.

Deſinant modò Sectarii talia Eccleſiæ obtrudere, ac iſta ſuis præjudicia imprimere. Siniſtrè tollantur tum in hoc, tum in aliis punctis de Eccleſia opiniones, & facilè diuturnæ ſopientur controverſiæ.

Porrò *Ioannes Hus* (a cujus paululum digreſſi ſumus hiſtoria) à ſuis affeclis adjutus è carcere Pontificis clam delapſus eſt, & ruſticano vehiculo impoſitus ſtraminibus oppleto. Sed ejus intercepta eſt fuga: quare tutiori cuſtodiæ mancipatus eſt.

Ioannis Huſſi exauctoratio.

Tandem Synodus Conſtantienſis, rebus omnibus diſcuſſis, & incaſſum retractatione errorum tentata; Seſſione 15. 6. Julii anno 1415. *Ioannem Hus* pronuntiavit, ac declaravit *fuiſſe*, *& eſſe verum*, *& manifeſtum hæreticum*, *pertinacem*, *& incorrigibilem: ideòque ipſum ab Ordine Sacerdotali*, *& aliis*, *quibus exiſtit inſignitus*,

ſignitus, *Ordinibus*, *deponendum*, *& degradandum eſſe* decrevit. Quod munus Archi-Epiſcopo Mediolanenſi, & 4. Epiſcopis commiſſum eſt. Hac execratione ſolemni ritu peracta, ipſum curiæ ſæculari relinquendum Synodus ſtatuit hiſce verbis. *Hæc ſancta Synodus Conſtantienſis Ioannem Hus attento, quod Eccleſia Dei non habeat ultra quid gerere valeat, judicio ſæculari relinquere, & ipſum curiæ ſæculari relinquendum fore decernit*.

Itaque civili poteſtati traditus eſt. Primò ejus libri, ipſo ſpectante, nec tamen commoto *Huſſo*, Lictoris manu in ignem conjecti ſunt. Dein ipſemet, fruſtra eum inflectere conantibus Bavariæ Duce & Domino *de Papenheim*, qui illum in finem ferali ſpectaculo juſſu Imperatoris aderant; alto buſto admotus eſt. Verſum illum non ſemel crepitantes inter flammas repetebat; *in manus tuas Domine*, *commendo Spiritum meum*. His ſcilicet, & impavidi animi, & adulterinæ pietatis argumentis ſe inſontem præſentibus perſuadere, ſuos aſſeclas roborare in Hæreſi; & Martyris apud eos nomen conſequi ſtuduit. At certè *Martyrem*, ut Patres loquuntur, *non facit pœna*, *ſed cauſa: ſi pœnam* conſideres, & ſuos ſibi dæmon vendicat Martyres, quos falſa armat fortitudine, conſtantia, virtute. Combuſti *Ioannis* cineres in Rhenum præterfluentem projecti ſunt, ne ab illius ſectatoribus in Bohemiam ſuperſtitiosè deferrentur, & colerentur.

Supplicium.

Hieronymus de Praga vir Laicus, Huſſi Diſcipulus, ſocius, & errorum ejus propugnator acerrimus, poſt ſumptas de Magiſtro pœnas, annitente præcipuè Cardinali Cameracenſi *Petro de Alliaco*, errores coram Synodo abjuravit.

Hieronymus de Praga Huſſi Diſcipulus Conſtantiæ errores retractat.

Ad illam ſe contulerat fide publica ſeu *ſalvo conductu*, munitus, ſalva tamen juſtitia (verba ſunt Concilii) quibus ſanè verbis illud idem ei ſupplicium, niſi ab Hæreſi diſcederet, apertè Synodus minabatur. Unde ruit de ſe *Sectariorum* cavillatio *etiam in Hieronymo Pragenſi* poſtea igni addicto, datam fidem læſam eſſe, arguentium.

Sub hac verò formula ejuravit hæreſim Seſſione 19.

23.

23. Sept. anno 1415. *Ego Hieronymus de Pragâ, artium liberalium Magiſter; cognoſcens veram Eccleſiam Catholicam, & Apoſtolicam fidem, anathematizo omnem hæreſim, præcipuè eam, de qua hactenus infamatus fui, & quam præteritis temporibus dogmatizaverunt, & tenuerunt Ioannes Wicleff, & Ioannes Hus in ſuis Opuſculis, Libellis, ſeu Sermonibus ad Clerum & ad Populum, propter quam cauſam prædicti cum ſuis erroribus, & dogmatibus damnati ſunt ab hac Conſtantienſi Synodo tanquam hæretici.. conſentio autem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & Apoſtolicæ ſedi, & huic ſacro Concilio, & ore, ac corde doctrinam ejus profiteor in omnibus, & per omnia &c.*

In Hæreſim relabitur. Cęterùm idem in priſtinam relapſus perfidiam, iterum ſe audiri à Patribus poſtulavit, prolixaque oratione difertè proteſtatus eſt, fuiſſe à ſe injuſtè reprobatam *VVicleffi*, & *Huſſi* doctrinam, id ſe tunc inertem, ignavum, deſidem, meticuloſum, ex ſolo feciſſe terrore incendii, ſana eſſe, rectęque fidei conformia illorum dogmata, ſanctam eſſe & juſtam *Ioannis Huſſi* vitam cui vellet inhęrere, & quam conſtanter, & imperterritè decreviſſet imitari.

Igni addicitur. Igitur recidivus, & contumax Seſſione 21. 31. Maii anno 1416. Dimiſſus eſt brachio ſęculari, eodemque die flammis adjudicatus. Sępe & à Synodi Patribus & viris aliis etiam immediatè ante mortis ſupplicium interrogatus, cętera inter puncta, de Euchariſtię myſterio apertè profeſſus eſt, ſe tenere *Tranſubſtantiationem panis in Corpus, & vini in Sanguinem Ieſu Chriſti.*

Amborum cineres in Rhenum proiiciuntur. Cineres ejus in Rhenum quoque, ne raperentur à Bohemis, abjecti ſunt. Diſcipuli tamen, ut narrat *Eneas Sylvius*, poſteà dictus *Pius II.* cap. 26. Hiſtorię Bohemię, terram loci, in quo *Ambo* igne conſumpti ſunt, abſtulere, eamque velut pretioſiſſimas Martyrum Reliquias ardenter venerati, ſecum attulere in Patriam.

Huſſitæ. Inter eos eminent Thaboritæ, Duce Ziſka. Statim crudeliſſimo Bello Magiſtrorum ſuorum Manibus parentarunt *Huſſitæ*. Hos inter eminuerunt *Thaboritæ*, ſic dicti à loco quodam natura munitiſſimo, cui *Ioannes Ziſka* nobilis Bohemus celeberrimus Huſſitarum

rarum Dux indidit nomen *Thabor*, quod aſſereret, Fratres ſuos in eo loco, (quem potiſſimum incolebant) tanquam cum tribus Apoſtolis Transfigurationis Chriſti in monte *Thabor* teſtes fuiſſe, ibique ſua, quæ ſuſtinebant, dogmata didiciſſe. *Thaboritæ*, extincto *VVenceslao* Rege inertiſſimo, *Sigiſmundum* Imperatorem, qui Fratri ſubſtitutus erat, Duce *Ziska*, pellunt è Regno Bohemiæ, terram illam immanitate ſumma diripiunt, ac hæreſim longè lateque ferro propagant. *Ziska* aſſiduis vitam illuſtravit Victoriis. Cum in quodam Prælio jacturam feciſſet oculi, non diu poſt, altero etiam teli ictu amiſſo, in Bello tamen tam dexter, & oculatus fuit, ut Victoriam, vel utroque orbatus lumine invenerit. Tandem peſte periit. Moriens ſuis dixiſſe fertur, ut cadaveri ſuo detracta cute, Tympanum ex ea conflarent, cujus percuſſi ſonitus in certamine terrorem hoſtibus incuteret.

Thaboritæ in duas factiones ſcinduntur.

Mortuo *ZisKa*, ſciſſi ſunt in factiones duas *Thaboritæ*. Alii ſibi Ducem præfecerunt *Procopium Magnum*, cognomen *Magni* ſortitum ob res fortiter in Bello geſtas: dictum quoque *Raſum*, quod poſt peregratam Galliam, Hiſpaniam, Italiam, ac luſtratam Hieroſolymam, *Presbyter* creatus fuiſſet. Alii nullum reperiri poſt dictitantes *ZisKæ* parem, ſelectis paucis, qui communi conſilio rem Bellicam adminiſtrarent, ſeſe *Orphanos* appellarunt, quos inter potior habitus eſt *Procopius* cognomento *Minor*: eò quod licet bellicoſus alteri tamen *Procopio* concederet. Atque ita *Thaboritæ* in duos diviſi ſunt exercitus: alii vetus nomen retinuere: aliis, ob mortem Ducis, inditum eſt nomen *Orphanorum*. Hi, licet inter ſe interdum diſſentirent, ubi tamen vis ſibi foris incumbebat, junctis illicò viribus, ruebant in Catholicos; omnemque in eos belli ardorem, crudelitatem, furias, impietatem laxabant.

Nicolaus Galæcus Thaborita.

Inter Thaboritas ſe exerit Nicolaus Galæcus, Sacerdos, qui contendebat *Huſſum*, & *Hieronymum* injuſtè combuſtos eſſe ex eo capite, *quòd nullus homo juſtè occidi poſſit novæ legis tempore etiam per judicis ſententiam, cum novum Teſtamentum id non dicat*. Ipſi tamen paſſim Catholicos interficiebant. Ita ſcilicet illude-

bant populo, ſibique invicem adverſabantur in doctrina & moribus.

Orebitæ. Thaboritis immanitate non impares fuerunt *Orebitæ* Huſſitarum altera progenies. Ut Thaboritæ urbem, quam occupabant, appellabant *Thabor* ob rationem recenſitam; ſic & iſti locum ſuum nuncupabant *montem Oreb*, (tanquam ibi lex veritatis ſibi innotuiſſet) alludentes ad *Montem Oreb*, in quo legem à Deo Moyſes accepit, atque hinc nominati ſunt *Orebitæ*. In Sacerdotes ita ſæviebant, ut eos aut igne torrerent, aut nudos, rigente Hyeme, ſuper glaciem proſtratos ferro dividerent. Si cui vitam non eripuiſſent, illos in opprobrium virilibus orbabant.

Bedricus illorum Ductor Illorum caput fuit *Bedricus* Presbyter, natione Moravus, qui ſpreta Religione Catholica, abjectoque, cui incumbebat, Pontificii juris ſtudio, uxorem publicè duxit, ita Sectariis viam ſignans.

Joannes Roatius Ex iiſdem caſtris prodiit *Joannes* quidam *Roatius* nobilis quidem genere, ſed ingenio præditus ad omne nefas promptiſſimo. Hic in edito colle arcem conſtruxit, quam *montem Sion* appellabat; aſſeclis ſuis perſuadens ex ea egreſſuram aliquando veritatem, quæ Bohemos in *libertatem* aſſereret.

Joannes Behaim Tympaniſta. Occaſione *libertatis* emergens è tenebris miſer Tympaniſta *Joannes Behaim* docere auſus eſt, *Gabellas, Tributa, Vectigalia non eſſe ſolvenda, cum nos Chriſtus libertate ab iis eximente donarit.*

Porro adeò *Huſſitæ* ad uſum calicis anhelabant, ut in ferventis deſiderii indicium, paſſim in Parietibus, in Vexillis, Templis, ubique *calicem* pingerent. Hinc profluxit non inſcitum illud cujuſdam *Diſtichon*:

Tot pingit calices Bohemorum Terra per urbes,
Ut credas Bacchi numina ſola coli.

Tendunt Huſſitæ ad Concilium Baſileenſe. Dum hæc geruntur, ampla ab Huſſitis Legatio ad Synodum *Baſileenſem* ſalvo conductu inſtructa mittitur. Legationis Principes fuerunt *Procopius Raſus* Thaboritarum Dux, *Joannes Rokyſana* Pragenſium Huſſitarum *Rector*, *& Nicolaus Galæcus* (de quibus ſtatim egimus) *Thaboritarum* Presbyter.

Sed incaſſum tentata *Huſſitarum* (ob illorum pervica-

vicaciam) unione cum Eccleſia revertitur cum aliis idem *Procopius*, & *Pilznam* Oppidum, collecto Hæreticorum exercitu, à ſolis incultum fidelibus gravi obſidione cingit. Cum jam cives ad ſummas redacti eſſent anguſtias, opem à Synodo poſtularunt. Patres verò etſi nullum eis eſſet ærarium, raptim tamen pecuniam in capita collatam ad *Mainardum*, nobiliorem è Bohemis, jam quibuſdam accinctum copiis miſere. Statim ille in *Procopium* movit, commiſſæ ſunt acies, juſtoque prælio *Thaboritarum*, *Orphanorumque* invicti ad illud tempus exercitus cum Duce *Procopio* ad internecionem deleti ſunt.

Fruſtrà tentata obſtinatæ illorum pertinaciam concordia; bellum recrudeſcit

Delentur ad internecionem à Mainardo nobili Bohemo

Illicò *Sigiſmundus* Regnum recuperat; efferati miteſcunt animi, ſubſidit tempeſtas, *Iglaviæ*, Diœceſis Olumicenſis, concordia cum *Huſſitis* ſtabilitur: abjurant illi Hæreſim; obedientiam Romano pollicentur Pontifici, ab Anathemate, cæteriſque Cenſuris ſolvuntur. Contigit hæc *Huſſitarum* reconciliatio cum Eccleſia 5. Julii 1436.

Sigiſmundus Regnum Bohemiæ recuperat & Huſſitæ reconciliantur Eccleſiæ

Circa funeſtiſſima Bohemiæ tempora, quidam *PiKardus* nomine veterem *Adamitarum* Sectam è Belgio, in præfatum etiam Regnum omnium tunc flagitiorum ſeminarium invexit. Præſtigiis quibuſdam ſibi fidem conciliabat: ita ut brevi tempore non exiguam mulierum, virorumque plebem ad ſe allexerit, eam jubens nudam incedere in *ſignum Innocentiæ*, cum primi parentes in *Innocentiæ ſtatu nudi inceſſiſſent*. Ut quiſque libidine incenſus in aliquam exarſerat, eam manu prenſabat, & ſectæ principem adiens, *in hanc*, inquit, *Spiritus meus concaluit*. Cui reſpondebat ille: *ite, creſcite, multiplicamini; & replete terram*. Verùm non diu coaluit hæc peſtis; cum enim *PiKardus* ex peninſula quadam cum ſuis egreſſus, vicinarum villarum Agreſtes, quos dicebat eſſe Filios diaboli, interficere cœpiſſet, *ZisKa*, iis auditis, quamvis ſceleratus ipſe ab hujuſmodi tamen ſcelere abhorrens, expugnata inſula, Adamitas omnes gladio peremit.

Adamitæ.

Recruduit tamen hæc inſania ſæculo 16. in quibuſdam Hollandiæ partibus, potiſſimùm Amſtelodami, ſed brevi eradicata fuit.

Petrus Oxomenſis.

Petrus de Oſma, ſeu *Oxomenſis* Theologiæ in Academia Salmanticenſi Profeſſor, anno 1479. hos, inter alios docuit errores.

2. *Non à Chriſto inſtituta, ſed ab hominibus invecta eſt confeſſio Sacramentalis.*

2. *Non ſunt abſolvendi pœnitentes, niſi per acta priùs pœnitentia iis injuncta.*

Illos *Sixtus IV.* ferìit. Narrat verò *Bannez* commentans in 1. 2. q. 1. art. 10. *Petri Oxomenſis* librum, in quo continebantur aſſertiones illæ, ſimul cum ejus Cathedra in ſchola fuiſſe igni traditum.

Hermanus Buiſſvich

Hermanus Ruiſſvich natione Batavus ob errores anno 1499. in carcerem conjectus, indè evaſit: in priorem autem dementiam relapſus, graviorеſque quam anteà blaſphemias eructans, Hagæ-comitis anno 1512. captus eſt, atque igni addictus.

Hæc ſunt præcipua ipſius commenta.

1. *Fides nil facit ad ſalutem.*

2. *Non datur infernus.*

3. *Chriſtus fuit ſeductor ſimplicium hominum.*

4. *Angeli non ſunt creati à Deo.*

Refelluntur Errores Sæculi decimi-quinti.

Error communis Ioanni Hus, Iacobello Miſnenſi, Petro Dreſdenſi, omnibuſque Huſſitis.

Communio ſub utraque ſpecie à Domino præcepta eſt, proindèque Laici nequeunt privari uſu calicis.

D. Thomas 3. p. q. 75. art. 1. *Dicitur Ioannis 6. ſi quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* En Chriſtus de unica tantùm ſpecie facit mentionem.

Notandum verò eſt, verba illa contineri in famoſo illo ipſo capite Joannis ſexto, ex quo tota adverſariorum vis depromitur.

De Communione ſub utraque ſpecie.

Sanè ex eo capitè non rectè colligitur, utriuſque ſpeciei Communionem à Domino præceptam eſſe. Nam qui illic dixit, *niſi manducaveritis Carnem filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, dixit quoque: *ſi quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Et qui dixit, *qui manducat meam Carnem, & bi-*

& bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam, dixit etiam: *Panis, quem ego dabo, Caro mea eſt pro mundi vita*. Et qui dixit, *qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet & ego in illo*, dixit nihilominus; *qui manducat hunc Panem, vivet in æternum*.

Dicitur denique Act. 2. *Erant (fideles) perſeverantes in Communione fractionis Panis, & 20.* dicuntur illi una Sabbathi conveniſſe ad *fractionem Panis*. Obſervavit autem egregiè noſter *Petrus de Raguſio*, qui hanc adversùs Hæreticos veritatem acerrimè in Concilio Baſileenſi propugnavit; Chriſtum in citato capite *Joannis* undecies hujus Sacramenti meminiſſe ſub *ſpecie Panis*, ſub nomine autem *Carnis & Sanguinis* non niſi *quater*, ut oſtenderet ad ſalutem *ſolam ſpeciem* Panis ſufficere. Proindè non eſt præcepta à Domino ſub utraque ſpecie communio. Cum præſertim ſub ſpecie *una* totus Chriſtus contineatur.

Potuit igitur Eccleſia, cum in Sacramentorum diſpenſatione, ſalva illorum ſubſtantia, ea ſtatuere, vel mutare valeat, quæ ſuſcipientium utilitati, vel ipſorum Sacramentorum venerationi pro rerum, temporum, & locorum varietate, magis expedire judicaverit, juxta illud Apoſtoli 1. ad Corinth. 4. *Sic nos exiſtimet homo, ut diſpenſatores Myſteriorum Dei*, potuit, inquam, Eccleſia gravibus, & juſtis de cauſis ſtatuere, tantùm eſſe communicandum *Laicis* ſub *una* ſpecie, ſeu juſtè illis potuit prohibere *uſum calicis*.

Huic Eccleſiæ Decreto jam dudum præluſerat Doctor Euchariſticus 3. p. q. 80. a. 12. ad 2. *Nihil derogat huic Sacramento, ſi populus ſumat Corpus ſine Sanguine, dummodò Sacerdos conſecrans ſumat utrumque.* Et in Corp. *Circa uſum hujus Sacramenti duo poſſunt conſiderari. Unum ex parte hujus Sacramenti: aliud ex parte ſumentium. Ex parte quidem Sacramenti utrumque ſumendum eſt, ſcilicet & Corpus, & Sanguis: quia in utroque conſiſtit perfectio Sacramenti. Et ideò quia ad Sacerdotem pertinet hoc Sacramentum conſecrare, & perficere, nullo modo debet Corpus Chriſti ſumere ſine Sanguine. Ex parte autem ſumentium requiritur ſumma reverentia, & cautela, ne aliquid accidat, quod vergat ad injuriam tanti myſterii.*

Quod præcipuè poſſet accidere in Sanguinis ſumptione: qui quidem ſi incautè ſumeretur, de facili poſſet effundi. Et quia crevit multitudo populi Chriſtiani, in qua continentur ſenes, & juvenes, & parvuli, quorum quidam non ſunt tantæ diſcretionis, ut cautelam debitam circa uſum hujus Sacramenti adhibeant, ideò provide *in quibuſdam Eccleſiis obſervatur,* ut populo Sanguis ſumendus non detur, *ſed ſolùm à Sacerdote ſumatur.* Quod providè D. Thomæ temporibus in quibuſdam obſervabatur Eccleſiis: id potuit Eccleſia *providè* ob graviores cauſas, quarum nonnullas hìc profert S. Doctor, univerſis obſervandum præcipere fidelibus.

Alii Errores Ioannis Hus.

Eccleſia eſt prædeſtinatorum univerſitas. Eſt prima aſſertio.

Præſciti non ſunt partes Eccleſiæ, cum nulla pars ejus ab ea finaliter excidat, eò quòd prædeſtinationis charitas, quæ ipſam ligat, non excidit. Eſt 3.

De Eccleſia conſtante apud Ioannem Hus ex ſolis prædeſtinatis.

Præſcitus, etſi aliquando ſit in gratia ſecundùm præſentem juſtitiam, nunquam tamen eſt pars ſanctæ Eccleſiæ: & prædeſtinatus ſemper manet membrum Eccleſiæ, licet aliquando excidat à gratia adventitia, ſed non à gratia prædeſtinationis. Eſt 5.

Paulus nunquam fuit membrum diaboli, licet fecerit actus quoſdam actibus Eccleſiæ malignantium conſimiles. Eſt 2.

Sumendo Eccleſiam pro convocatione prædeſtinatorum, ſive ſint in gratia, ſive non ſecundùm præſentem juſtitiam, iſto modo Eccleſia eſt articulus fidei. Eſt 6.

Non oportet credere, quod iſte, quicumque eſt particularis Romanus Pontifex, ſit caput cujuſcumque particularis Eccleſiæ ſanctæ, niſi Deus eum prædeſtinaverit. Eſt 11.

Gratia prædeſtinationis eſt vinculum, quo Corpus Eccleſiæ & quodlibet ejus membrum jungitur Chriſto capiti inſolubiliter. Eſt 21.

D. Thomas 2. 2. qu. 183. art. 2. *Apoſtolus dicit 2. ad Timoth. 2. in magna domo non ſolùm ſunt vaſa aurea, & argentea, ſed & lignea, & fictilia.* Per magnam domum Apoſtolus intelligit Eccleſiam: in illa domo vaſa aurea, & argentea ſunt *juſti*, ſeu *prædeſtinati*, fictilia autem ſunt *peccatores*.

Item

Item Matth. 13. Eccleſia aſſimilatur *ſagenæ miſſæ in mare, & ex omni genere piſcium congreganti*. Porrò præter celebrem illam de *bonis, & malis piſcibus* ſimilitudinem, SS. Patres, & Theologi, ut exprimerent Eccleſiam componi ex bonis, & malis, illam paſſim appellarunt *aream*, in qua ſunt grana, & paleæ, *agrum*, in quo ſunt frumenta, & zizania, *convivium*, in quo ſunt *boni*, & *mali* diſcumbentes, *ovile*, in quo ſunt *oves*, & *hædi*. Non igitur Eccleſia eſt prædeſtinatorum univerſitas.

Hinc & *præſciti*, ſeu *mali* (phraſi Wicleffiana, & Huſſiana) ſunt *partes Eccleſiæ*, & verè aliquis eſt Romanus Pontifex, ſeu caput Eccleſiæ, licet *eum Deus non prædeſtinaverit*. Etenim Eccleſia conſtat ex bonis, & *malis*: proinde membra ipſius poſſunt eſſe *mala*, quidni & *caput*? Ut quis ſit pars, membrum, vel etiam caput Eccleſiæ (præſcindo ab aliis prærogativis, quæ ſpectari poſſunt in Capite Eccleſiæ) ſufficit illi *uniri* per fidem. D. Thomas 3. p. q. 8. art. 3. O. Fides autem non tollitur per quodcumque peccatum mortale: cum omne peccatum mortale non deſtruat rationem formalem objecti fidei: nempe revelationem divinam. Unde, ut quis ſit in Eccleſia, ſeu membrum illius, non debet jungi *Chriſto capiti inſolubiliter*, quod fit per charitatem, vel potius gloriam; ſufficit illi jungi *per fidem*, quæ peccatum mortale compatitur.

Quoad *Paulum*, quem propoſitio 2. aſſerit nunquam fuiſſe ut potè prædeſtinatum, *membrum diaboli*; patitur hæc poſitio inſtantiam in *Maria Magdalena*, quæ licet *prædeſtinata* fuerit, tamen vocatur aliquando Antonomaſticè *in civitate peccatrix* Lucæ 7. adeòque quæ *tunc* membrum fuit diaboli. *Prædeſtinatio* quidem *certiſſimè*, & *infallibiliter conſequitur ſuum effectum*. Unde *prædeſtinatum impoſſibile eſt mori in peccato mortali*; 1. p. q. 23. art. 6. in corp. & ad 2. Contingit tamen quandoque *prædeſtinatum* eſſe in peccato mortali, proindeque eo tempore eſſe membrum diaboli, quamvis finaliter ſit moriturus Filius Dei. Et ſic ſe res habuit *in Paulo*.

Circa hæc autem verba, *niſi Deus eum prædeſti-*

naverit, & ſimilia, quædam ulteriùs expendenda ſunt. Quis eſt, cui certò conſtet, vel ſe, vel alium eſſe de numero prædeſtinatorum? nonne dicitur Eccleſiaſtę 9. *Neſcit homo utrùm amore, an odio dignus ſit?* nonne ait Apoſtolus ad Philipp. 2. *cum metu, & tremore ſalutem veſtram operamini?* nemo igitur certò novit *ſe*, vel *alium eſſe prædeſtinatum*; cum tunc deberet abeſſe omnis timor; cur proinde nullus ſit Pontifex, niſi *cum Deus prædeſtinaverit?* præſertim cum ſciri nequeat, quis ſit *prædeſtinatus*. Soli Deo hoc notum eſt, qui tamen *illud* interdum *revelat ex ſingulari privilegio* (1. 2. q. 112. art. 5.) ſed hæc via non eſt ordinaria.

Sectarii. Per illas *Ioannis Huſſi* propoſitiones iter ſtratum eſt ad dogma *Sectariorum*, qui conſtant Eccleſiam ex ſolis *prædeſtinatis*, quique inde deducunt (cum prædeſtinati ſint *inviſibiles*) Eccleſiam quoque eſſe *inviſibilem*.

De S. Petro. *Petrus non fuit, nec eſt Caput Eccleſiæ ſanctæ Catholicæ.* Eſt 7.

De Pontifice. *Romanus Pontifex non eſt Caput Romanæ Eccleſiæ.* Eſt 10.

Papalis dignitas à Cæſare inolevit, & Papæ præfectis, & inſtitutio à Cæſaris potentia emanavit. Eſt 9.

D. Thomas in ſuppl. q. 17. art. 1. *Dixit Dominus Matth.* 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claves Regni Cœlorum &c.* Joannis verò 21. ſolemniſſimè adimplevit id, quod promiſerat, dicens *Petro* non ſemel; ſed tertiò. Paſce oves meas: non aliquas cum Chriſtus illas non limitaverit; itaque tradita eſt *Petro* cura ſui ovilis, adeòque omnium ejus ovium, proinde *Petrus* fuit à Dominó conſtitutus Caput, Paſtor, & Moderator univerſalis Eccleſiæ.

Cum verò Petrus non potuerit ſemper vivere & aliunde Eccleſia à Chriſto fundata ſemper ſit duratura juxta illud Matth. 28. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi;* debuit conſequenter Petrus in Paſtorali ſuo officio, in ſpirituali Eccleſiæ regimine habere ſucceſſores: ſucceſſores autem Petri ſunt Romani Pôtifices ſecundùm unanimem

omnium

omnium Patrum ſententiam. Unde *Romanus Pontifex* eſt Caput Romanæ Eccleſiæ.

Ex dictis etiam corruit *aſſertio* 9. Non enim *Cæſar*, ſed Chriſtus dixit *Petro*, & in illo omnibus ejus ſucceſſoribus, *paſce oves meas*; adeòque Papæ *præfectio*, *& inſtitutio* non *à Cæſaris potentia*, ſed à Chriſti voluntate *emanavit*, nec *Papalis dignitas à Cæſare* in ſpiritualibus inolevit.

Non eſt Scintilla apparentia, quod oporteat eſſe unum caput in ſpiritualibus regens Eccleſiam, quod ſemper cum ipſa militante Eccleſia converſetur, & conſervetur. Eſt 27.

Chriſtus ſine talibus capitibus monſtruoſis per ſuos veraces Diſcipulos ſparſos per orbem terrarum, meliùs ſuam Eccleſiam regularet. Eſt. 28.

Apoſtoli, & fideles Sacerdotes Domini ſtrenuè in neceſſariis ad ſalutem regularunt Eccleſiam, antequam Papa officium foret introductum: ſic facerent, deficiente per ſummè poſſibile Papa, uſque ad diem judicii. Eſt 29.

D. Thomas 4. contra Gente cap. 76. *Nulli dubium eſſe poteſt; quin Eccleſiæ regimen ſit optimè ordinatum, utpote per eum diſpoſitum, per quem Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt; optimum autem regimen multitudinis eſt, ut regatur per* unum: *quod patet ex fine regiminis, qui eſt pax: pax enim, & unitas ſubditorum eſt finis regentis: unitatis autem congruentior cauſa* eſt unus, quam multi: *manifeſtum eſt igitur, regimen Eccleſiæ ſic eſſe diſpoſitum, ut* unus *toti Eccleſiæ præſit*. Idque conſtat ex Scriptura, ubi Eccleſia dicitur *unum ovile*. Joan. 10. & *unum Corpus, & unus Spiritus* ad Eph. 4. Si unum Corpus, ac unus Spiritus eſt Eccleſia, ergo etiam ſibi vendicat unum Paſtorem, & unum caput, in ſpiritualibus regens Eccleſiam, & quod ſẽper cum ipſa militãte Eccleſia converſetur, & conſervetur.

Hinc facilè convellitur & *Prop.* 28. quæ ſimul blaſphema eſt in Chriſtum, quaſi per *veraces* ſuos illos (ſcilicet Huſſi) Diſcipulos meliùs Eccleſiam regularet, & 29. quæ etiam impingit in quæſtionem *facti*. Sanè Apoſtolorum tempore officium Papæ fuit introductum; primus Papa fuit *Petrus*, (ut ſtatim demonſtratum

eſt)

eſt) Petrus, inquam, tum Apoſtolus, tum Apoſtolorum Princeps, præſes, caput, vertex, & rector. Illi omnes ſuberant, ſubiiciebantur, ſubordinabantur Apoſtoli. Quoties Petrus (ut alia prætercam) non legitur in Actibus Apoſtolorum omnium ore fuiſſe locutus? Unde & magnus Leo Serm. 3. de ſua Aſſumptione: *de toto mundo* (inquit) *unus Petrus eligitur, qui & univerſarum gentium vocationi*, & omnibus Apoſtolis, *cunctiſque Eccleſiæ Patribus præponatur*. Non igitur Apoſtoli, & fideles Sacerdotes Domini ſtrenuè in neceſſariis ad ſalutem regularunt Eccleſiam, antequam *Papæ officium foret introductum*. Aliæ particulæ: *ſic facerent* (fideles illi Sacerdotes Domini Diſcipuli Joannis *Hus*) *deficiente per ſummè poſſibile Papa, uſque addiem judicii*; particulæ illæ profligantur (alias ſileo rationes) per citata verba Doctoris Angelici: Optimum regimen multitudinis eſt, ut regatur per unum.

Eadem materia *Nemo gerit vicem Chriſti, vel Petri, niſi ſequatur eum in moribus, cum nulla alia ſequela ſit pertinentior, nec aliter à Deo recipiat poteſtatem procuratoriam: quia ad illud officium Vicarii requiritur & morum conformitas, & inſtituentis authoritas*. Eſt 12.

Papa non eſt manifeſtus, & verus ſucceſſor Petri Principis Apoſtolorum, ſi vivit moribus contrarius Petro: & ſi quærit avaritiam, tunc eſt Vicarius Iudæ Iſcariotis. Et pari evidentia Cardinales non ſunt manifeſti & veri ſucceſſores collegii aliorum Apoſtolorum Chriſti niſi vixerint more Apoſtolorum ſervantes conſilia, & mandata Domini noſtri Ieſu Chriſti. Eſt 13.

Papa, vel Prælatus malus, & præſcitus eſt æquivocè Paſtor, & verè fur, & latro. Eſt. 22.

Si Papa eſt malus, & præſertim ſi eſt præſcitus, tunc ut Judas Apoſtolus, eſt diabolus, fur, & filius perditionis, & non eſt caput ſanctæ militantis Eccleſiæ, cum nec ſit membrum ejus. Eſt 20.

Si Papa vivat Chriſto contrariè, etiamſi aſcenderet per legitimam electionem ſecundùm conſtitutionem humanam vulgatam, tamen aliundè aſcenderet, quàm per Chriſtum: dato etiam quod intraret per electionem à Deo principaliter factam. Nam Iudas Scariothritè, & legitimè

eſt

eſt electus à Deo Ieſu Chriſto ad Apoſtolatum : & tamen aſcendit aliunde in ovile ovium. Eſt 24.

Non eo ipſo, quo electores vel major pars eorum conſenſerit viva voce ſecundùm ritus hominum in perſonam aliquam, eo ipſo illa perſona eſt legitimè electa, vel eo ipſo eſt verus, & manifeſtus Vicarius, vel ſucceſſor Petri Apoſtoli, vel alterius Apoſtoli in officio Eccleſiaſtico. Unde ſive Electores benè, vel malè elegerint, operibus Electi debemus credere: nam eo ipſo, quod quis copioſiùs operatur meritoriè ad profectum Eccleſiæ, habet à Deo copioſiùs ad hoc poteſtatem. Eſt 26.

Papa non debet dici Sanctiſſimus etiam ſecundùm officium, quia aliàs Rex etiam deberet dici Sanctiſſimus ſecundùm officium; & tortores, & præcones dicerentur ſancti, imò etiam diabolus deberet dici ſanctus, cum ſit officiarius Dei. Eſt 23.

Sacerdotes quomodolibet criminosè viventes Sacerdotii polluunt poteſtatem, & ſicut filii infideles ſentiunt infideliter de ſeptem Sacramentis Eccleſiæ, de Clavibus, Officiis, Cenſuris, Moribus, Cæremoniis, & ſacris rebus Eccleſiæ, veneratione Reliquiarum, Indulgentiis, & Ordinibus, Eſt 8.

Nullus eſt Dominus civilis, nullus eſt Prælatus, nullus eſt Epiſcopus, dum eſt in peccato mortali. Eſt 30.

D. Thomas 2. 2. q. 10. art. 10. *Peccatum non tollit dominium, & Prælationem*, ſeu juriſdictionem. Et Matth. 23. dicitur *ſuper Cathedram Moyſi* verè, & cum legitima poteſtate *ſederunt Scribæ, & Phariſæi*. Itaque nec ſummus Pontifex, ſi improbam Phariſæorum vitam ſectetur, non verò *Petri* Apoſtolorum Principis, ſi ſit malus, & præſcitus, ſi vivat Chriſto contrariè, non amittit primariam in Eccleſia authoritatem, ſed cum omni juriſdictione, pondere, poteſtate occupat *Cathedram Petri*.

Hæc tum Cardinalibus, aliiſque Prælatis, tum Sacerdotibus, quomodolibet criminosè viventibus applicanda ſunt.

Nec Sacerdotes illi ſentiunt *infideliter* de ſeptem Sacramentis Eccleſiæ, nec de aliis punctis allegatis. Fides enim per quodcumque peccatum mortale non tollitur

litur: ut hic vidimus ad propoſitionem 5. Ex paucis hiſce tota facilè propoſitionum (quæ & *Wicleſſum* ſapiunt & ipſiſſimæ in quibuſdam *Wicleffi* ſunt) proſternitur congeries.

Cæterùm (ut aliis particulis aſſertionis 23. non immorer) quàm deformis eſt comparatio Pontificis cum dæmone? *mali Angeli mittuntur à Deo, ad puniendum* 1. p. qu. 114. art. 1. (& in tantùm demon dici poteſt officiarius Dei) nonne verò Petrus (cui dictum eſt *paſce oves meas* Joann. 21.) cum ſucceſſoribus ſuis electus eſt à Deo ad regendam Eccleſiam? nonne *illud* eſt Pontificis *officium?* quantùm hæc inter ſe diſcrepant? certè, qui vel corticem rationis, pudoris, vel diſcretionis retinet, hæc, aliave iſtius fuliginis averſetur, neceſſe eſt.

De Punitione Hæreticorum.

Doctores ponentes, quòd aliquis per Cenſuram Eccleſiaſticam emendandus, ſi corrigi noluerit, judicio ſeculari eſt tradendus, pro certo ſequuntur in hoc Pontifices Scribas, & Phariſæos, qui Chriſtum nolentem eis obedire in omnibus, dicentes, nobis non licet interficere quemquam; *ipſum ſæculari judicio tradiderunt: eò quòd tales ſunt homicidæ graviores, quàm Pilatus*. Eſt 14.

D. Thomas 2. 2. q. 11. art. 3. *Ex parte Eccleſiæ eſt miſericordia ad errantium converſionem: & ideò non ſtatim condemnat, ſed poſt primam, & ſecundam correptionem, ut Apoſtolus docet ad Titum.* 3. *Poſtmodum verò: ſi ille qui errat, adhuc pertinax inveniatur, Eccleſia de ejus converſione non ſperans aliorum ſaluti providet, cum ab Eccleſia ſeparando per excommunicationis ſententiam*, & ulterius relinquit eum judicio ſæculari, a mundo exterminandum per mortem. Profectò *multò gravius eſt corrumpere fidem, per quam eſt animæ vita, quàm falſare pecuniam, per quam temporali vitæ ſubvenitur. Unde ſi falſarii pecuniæ; vel alii malefactores.. juſtè morti traduntur; multò magis hæretici.. poſſunt non ſolùm excommunicari, ſed &* juſte occidi. Hinc de ſe ruit intolleranda illa poſitio.

De Obedientia Eccleſiaſtica.

Obedientia Eccleſiaſtica eſt obedientia ſecundùm adinventionem Sacerdotum Eccleſiæ, præter expreſſam authoritatem Scripturæ. Eſt 15.

Sacer-

Sacerdos Chriſti vivens ſecundùm legem ejus, & habens notitiam Scripturæ, & affectum ad ædificandum populum debet prædicare, non obſtante prætenſa excommunicatione.. quòd ſi Papa, vel aliquis Prælatus mandat Sacerdoti ſic diſpoſito non prædicare, non debet obedire ſubditus. Eſt 17.

Quilibet prædicantis officium de mandato accipit; qui ad Sacerdotium accedit: & illud mandatum debet exequi, prætenſa excommunicatione non obſtante. Eſt 18.

Per Cenſuras Eccleſiaſticas Excommunicationis, Suſpenſionis, & Interdicti, ad ſui exaltationem Clerus Populum laicalem ſibi ſuppeditat, avaritiam multiplicat, malitiam protegit & viam præparat Antichriſto. Signum autem evidens eſt, quod ab Antichriſto tales procedant Cenſuræ, quas vocant in proceſſibus ſuis fulminationes, quibus Clerus principaliſſimè procedit contrn illos, qui denudant nequitiam Antichriſti, quam Clerus maxime pro ſe uſurpavit. Eſt 19.

D. Thomas 2. 2. q. 104. art. 1. *Præcipitur ad Hebr. ult. Obedite præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis.* Quod verò loquatur Apoſtolus de præpoſitis *Eccleſiaſticis*, patet tum ex verbis ſequentibus: *ipſi enim pervigilant* opere, doctrina, ſtudio, *quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri*: tum ex iſtis ejuſdem capitis. *Mementote præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt Verbum Dei.* Dicitur etiam Matth. 18. *Si quis Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus*, Audienda igitur eſt Eccleſia, illique obediendum. Proinde obedientia Eccleſiaſtica non eſt præter, ſed ſecundum expreſſam authoritatem Scripturæ.

Unde Papa, vel Prælato mandanti Sacerdoti bene diſpoſito *non prædicare*, (nullus eſt judex in *ſua cauſa*, an ille ſit bene diſpoſitus, an poſſit concionibus ædificare populum, ad ſuperiorem ſpectat judicare) Papæ inquam, vel Prælato tali mandanti Sacerdoti non prædicare, debet obedire ſubditus.

Falſum quoque eſt, quod quilibet prædicantis officium accipiat qui ad Sacerdotium accedit. Accipit ille

pote-

poteſtatem conſecrandi Corpus, & Sanguinem Chriſti: ad prædicandum verò Verbum Dei requiritur *Licentia* Prælati, quam ipſe, prout expedire exiſtimaverit, poteſt revocare. *Docere*, ſeu *exponere Evangelium*, vel prædicare *pertinet propriè ad Epiſcopum* 3. p. q. 67. art. 1. ad 1. Committit quidem illud quibus ei libuerit, Presbyteris Epiſcopus officium, (Diaconis, ut tacite occurratur objectioni, *prædicare competit per modum Catechizantis*, ibidem) ſed officium illud revocabile eſt ad nutum Prælati. Unde peccat Sacerdos illud exercens, Antiſtitis prohibitione, & præſertim excommunicatione obſtante.

Propoſitio 19. non eſt niſi acervus calumniarum. Calumniam de *Antichriſto* vide ſæculo præcedenti ad propoſitionem 30. *Wicleffi*.

De operibus bonis, & malis.

Diviſio immediata humanorum operum eſt; quod ſint virtuoſa, vel vitioſa: quia ſi homo eſt vitioſus, & agat quidquam tunc agit vitiosè, & ſi eſt virtuoſus & agat quidquam, tunc agit virtuosè: quia ſicut vitium quod crimen dicitur, ſive peccatum mortale, inficit univerſaliter actus hominis vitioſi, ſic virtus vivificat omnes actus hominis virtuoſi. Eſt 16.

Omnis quidam actus hominis a deliberativa ratione procedens, in individuo conſideratus bonus eſt, vel malus (1. 2. q. 18. art. 9. O.) ſed non ſequitur, quòd quidquid agit homo vitioſus, ſeu peccator, id agat *vitiosè*. Sic enim D. Thomas 2. 2. q. 10. art. 4. in corpore. *Peccatum mortale tollit gratiam gratum facientem, non autem totaliter corrumpit bonum naturæ: unde peccatores non poſſunt quidem operari bona opera, quæ ſunt ex gratia, ſcilicet opera meritoria*, bona tamen opera, ad quæ ſufficit bonum naturæ, ſeu opera moraliter bona operari poſſunt. Proinde non oportet, quod in omni ſuo opere peccent, ſeu quod peccatum mortale inficiat univerſaliter actus hominis vitioſi.

Ab hac poſitione non videtur abhorrere & hæc *Bajana* 35. *Omne quod agit peccator, vel ſervus peccati, peccatum eſt*. Et *Queſnelliana* 23. *Voluntas, quã gratia nõ prævenit, eſt capax omnis mali, & incapax ad omne bonum*. Vide Opuſculum noſtrum in *prop. Damnatas*, pag. 28. & 248.

Prop.

Prop. 25. ſupra in *VVicleffo* refutata eſt.

Nullus homo juſtè occidi poteſt novæ legis tempore etiam per judicis ſententiam, cum novum Teſtamentum id non dicat. *Error Nicolai Galaci Thaberita.*

D. Thomas 2. 2. qu. 104. art. 6. *Dicitur 1. Petri 2. ſubjecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſive Regi, quaſi præcellenti, ſive Ducibus tanquam ab eo miſſis* ad vindictam malefactorum. Et ad Rom. 13. *Si malum feceris, time: non enim ſine cauſa* (judex) *gladium portat. Dei enim miniſter eſt*, vindex in iram ei, qui malum agit, mortem ei inferendo.

Ratio autem eſt, quæ æqnè pro nova, ac antiqua Lege militat, quia *qualibet perſona particularis* (q. 64. art. 2.) *comparatur ad totam Communitatem ſicut pars ad totum: & ideò ſi aliquis homo ſit periculoſus Communitati, & corruptivus ipſius propter aliquod peccatum*, laudabiliter, & ſalubriter occiditur, *ut bonum commune conſervetur. Modicum enim fermentum totam maſſam corrumpit, ut dicitur 1. ad Corinth.* 5. De juſta autem *occiſione Hæreticorum*, adeoque *Joannis Huſſi*, & *Hieronymi de Praga*; Vide hìc ſupra propoſitionem 14.

Gabellæ, Tributa, Vectigalia non ſunt ſolvenda, cum Chriſtus nos libertate ab iis eximente donarit. *Error Joannis Behaim Tympaniſtæ.*

D. Thomas Articulo 6. citato ad 1. *Filii Dei liberi ſunt à ſpirituali ſervitute peccati*, & *hac* nos Chriſtus libertate donavit, *non autem liberi ſunt à* ſervitute corporali, *qua & temporalibus Dominis tenentur adſtricti*, & illis obligantur tributa ſolvere. Hoc Chriſtus Dominus præcepit Matth. 22. *Reddite, quę ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo*: & Apoſtolus etiam poſt mortem Chriſti, ad Rom. 13. *reddite omnibus*, inquit, *debita, cui* tributum, tributum, cui vectigal, vectigal.

Nuditas Adæ in ſtatu Innocentiæ imitanda eſt. *Error Adamitarum ſeu Pikardorum.*

Vide errorem veterum *Adamitarum* ſæculo 2. & *Turlupinorum* ſæculo 14.

1. *Non à Chriſto inſtituta, ſed ab hominibus invecta eſt confeſſio Sacramentalis.*

D. Tho-

Errores Petri Oxomenſis.

Sectarii

D. Thomas in ſupplem. qu. 6. art. 2. *Confeſſio, quæ neceſſitatem Sacramentalem habet*, eſt de jure divino. Non igitur illa ab hominibus invecta eſt. Inſtituit eam Chriſtus Joann. 20. dum Diſcipulis ſuis dixit, *accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*. Hiſce verbis *Dominus noſter Ieſu Chriſtus è terris aſcenſurus ad Cœlos. Sacerdotes ſui ipſius Vicarios reliquit, tanquam præſides, & judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Chriſtifideles reciderint ... conſtat autem Sacerdotes judicium hoc*, incognita cauſa, ſeu peccatorum declaratione, aut confeſſione *exercere non poſſe* Concilium Trid. Seſſ. 14. cap. 5.

Sanè ſi Chriſtus confeſſionem Sacramentalem non inſtituiſſet, quænam lex unquam potuiſſet hominem obſtringere, ut omnes conſcientiæ ſinus, latebras, receſſus, arcana, penetralia, ut peccata turpia, pudenda, abominanda homini panderet?

Innocentius quidem tertius Pontifex maximus in Concilio Lateranenſi 3. capite, *omnis utriuſque ſexus*, ſtatuit & præcepit, ut confeſſio ſemel in anno fieret: ſed illìc ipſam *Confeſſionem* non invexit (ut *Sectarii* contendunt) at ſolùm determinavit tempus annuæ confeſſionis.

1. *Non ſunt abſolvendi pœnitentes, niſi peracta priùs pœnitentia.*

Confer hanc aſſertionem cum *Alexandrina* 17. *per illam praxim mox abſolvendi ordo pœnitentiæ eſt inverſus.*

Sic autem D. Thomas 2. 2. q. 10. art. 12. percelebri Eccleſiæ conſuetudo ſemper eſt in omnibus Æmulanda: fuit verò jam ab aliquot *ſæculis* Eccleſiæ conſuetudo; quod pœnitentia, ſeu opera pœnalia abſolutionem non præceſſerint, itaque ante peractam pœnitentiam (dummodò de illorum diſpoſitione prudens poſſit à Confeſsario formari judicium) poſſunt abſolvi pœnitentes. Vide præfatum Opuſculum pagina 153.

Errores Hermani Ruiſvich.

1. *Fides nihil facit ad ſalutem.*

D. Thomas 2. 2. quæſt. 2. art. 3. *Dicitur Hebr.* 10.

Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.

2. *Non datur Infernus.*

D. Thomas in ſupplem. q. 99. art. 1. *Dicitur Matth.* 25. *Ibunt hi, ſcilicet peccatores, in ſupplicium æternum.* Et Lucæ 16. *Mortuus eſt dives, & ſepultus eſt* in inferno.

Vide errorem 1. *Almarici* ſæculo 13.

3. *Chriſtus fuit ſeductor ſimplicium hominum.*

Horribilis hæc blaſphemia non verbis, ſed exquiſitiſſimis tormentis refellenda eſt. Quam levis pena vel ignis fuit, qui in impietatis monſtrum effuſus eſt!

4. *Angeli non ſunt creati à Deo.*

D. Thomas. 1. p. q. 61. art. 1. *Dicitur Pſalm.* 148. *Laudate eum omnes Angeli ejus.* Et poſteà ſubditur; *quoniam ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandavit, & creata ſunt.* Et Joan. 1. *Omnia per ipſum facta ſunt*, itaque & Angeli. Dicitur etiam ad Hebr. 1. *Qui facit Angelos ſuos Spiritus.* Et ad Coloſſ. 1. *In ipſo condita ſunt univerſa in Cœlis, & in terra, viſibilia, &* inviſibilia ſive throni, ſive dominationes, ſive principatus. Hinc quoque legitur in Symbolo. *Credo in unum Deum ... factorem Cœli, & terræ, viſibilium omnium, &* inviſibilium: ut ſunt Angeli.

ERRONES SÆCULI DECIMI-SEXTI.

PRogredimur tandem ad ſæculum decimum ſextum, in quod omnium antiquarum ſentina Hæreſum confluxit. Agmen Hæreticorum famoſus ducit *Lutherus.*

Martinus Lutherus fuit natione Saxo, Patria verò Islebienſis in ditione Comitum Mansfeldenſium: natus eſt è parentibus fortunæ tenuis anno Chriſti 1483. pridiè Sancti Martini, undè & Martini nomen ei in baptiſmo inditum eſt. *Lutherus.*

Literis humanioribus imbutus *Erfordiam* ſe contulit, inſignem Thuringiæ urbem, ubi celebris erat Academia,

mia, in qua Magiſter artium creatus eſt anno ætatis vigeſimo. Juris deinde ſtudium aggreſſus, cum foris ſpatiaretur; fulminis in ſodalem dilapſi ictu perterritus *Erfodiæ* Ordini Eremitarum *Sancti Auguſtini* nomen dedit anno ætatis vigeſimo ſecundo. Biennio poſt Sacerdos initiatus Miſſam celebravit. Sequenti anno *Wittembergam* ad Albim miſſus, ubi Fredericus Saxoniæ Dux, & Imperii Elector paulò ante Univerſitatem erexerat, illic Philoſophiam docuit. Orta deinde quadam inter Ordinis ſui Religioſos controverſia, diſſidii componendi cauſa Romam profectus eſt; hinc rebus feliciter confectis, *Wittembergam* Victor rediit, ibidemque laurea Doctorali ab *Andrea Carolſtadio* inſignitus eſt, ſumptus ei ad ſolemnitatem neceſſarios ſuppeditante *Frederico* Duce, illius fautore, patrono, columine, futuroque potiſſimo Hæreſis brevi erupturæ fulcro. In diſputatione acer erat, & vehemens: felici verò memoria, ac facili, ſingularique vernaculæ linguæ facundia nemini concedebat. Sed haſce qualitates intolerabili conſpurcavit ſuperbia, quæ infinitarum fuit radix calamitatum.

Ejus ſtudia.

Accidit igitur, ut *Leo X.* Pontifex Maximus novas Indulgentias profunderet, ac per Orbem prædicari curaret occaſione fabricæ Templi *S. Petri* Romæ, quam *Julius II.* inchoarat. Pontifex ei negotio in Germania præfecit Albertum Archi-Epiſcopum, & Electorem Moguntinum: is munus prędicandi Indulgentias commiſit *Joanni Tetzelio* Ordinis FF. Prędicatorum Profeſſori doctiſſimo, inquiſitori fidei, concionatori percelebri, qui parùm ante pro Equitibus Teutonicis adversùs Moſcos, alioſque hoſtes illas cum applauſu promulgarat.

Munus prædicandi Indulgentias committitur Joanni Tetzelio Ord. Prædicatorum.

Illud ęgrè admodum tulit *Lutherus*, cujus Ordo talem jam dudum obierat provinciam. Inflatum Lutheri animum magis accendit *Joannes Staupitius* ejus Ordinis per Germaniam Vicarius Generalis, vir eruditus, & facundus, qui, cum varios cerneret abuſus, qui in colligendis pecuniis, quas pro Indulgentiis Fideles conferebant, per nonnullorum & imprudentiam, & avaritiam committebantur, omnem ſuam pro concione car-

carpendi *abuſus* authoritatem, ſimul, & arrogantiam, ignem, eloquentiam in *Lutherum* jam æſtu ſuperbiæ ebullientem effudit. Utroque igitur cum ſuę, tum *Staupitii* facundię in ſe delapſę armatus acumine Lutherus acerrimis contra Indulgentiarum promulgatores concionibus invectus eſt, iiſque populos à pecuniarum pro illis conſequendis largitione removere ſtuduit. Manum etiam calamo admovens ultima Octobris anni 1517. tum ad Albertum Archi-Epiſcopum literas ſcripſit, quibus deplorabat per vulgus ſerpere audacem fiduciam, ſuadentem, quicumque Eleemoſynam pro indulgentiis tribueret, ęternę glorię certum eſſe, nec alia ſatisfactione indigere, ut culpa pariter, & pœna ſolvatur: tum verò concluſiones, ſeu propoſitiones nonaginta ſeptem ad eundem miſit, ſimul, & affixit valvis Eccleſię Vittembergicę, quibus non ſolùm collectarum pecuniarum in alios uſus, quàm quorum nomine exigebantur, deſtinationem perſtringebat, verùm etiam communem, & receptam ab Eccleſia de Indulgentiis doctrinam impugnabat. *Lutheri Theſes contra Idulgentias.*

Lutheri propoſitionibus centum, & ſex *Tetzelius* Francofurti ad Oderam exiſtens repoſuit, quibus Novatoris fallacias detexit, & Eccleſiæ ſententiam ſolidè propugnavit. Illas quoque cum eſſet fidei Inquiſitor, igni, ut hæreticas tradidit. Vulcanum *VVittembergæ* in octingenta exemplaria Theſium *Tetzelii* per inſolentiores Scolaſticos retorſit *Lutherus*. Atque hæc ſunt turbulentæ contentionis exordia: hæ ſunt ſcintillæ, è quibus ingentes illæ flammæ in Germaniam, vicinaſque Provincias, in Daniam, Norvegiam, Sueciam, ac intimos Septentrionis receſſus, latebras, viſcera, brevi poſtea tempore extenſæ, eruperunt. *Contraria Tetzelii.*

Anno 1618. Lutherus edidit librum, cui titulus: *Reſolutiones diſputationum de Indulgentiarum virtute.* In illo, ut Lectorem ſibi devinciret, miram erga Pontificem maximum ſubjectionem, ac reverentiam ſimulavit. Finxit ſe invitum, & reluctantem rapi in publicum, improbitate Collectarum pecuniarum. *Invitus*, inquit in præfatione ad *Leonem X. prodeo in publicum, præſertim ego indoctus, ſtupidus ingenio, vacuus erudi-* *Ficta Lutheri humilitas.*

tione. Sed cogit neceſſitas me anſerem ſtrepere inter olores. Itaque, quo & ipſos adverſarios mitigem, & deſideria multorum expleam, emitto ecce meas nugas. Et infrà. *Quare Beatiſſime Pater, proſtratum me pedibus tuæ Beatitudinis offero, cum omnibus, quæ ſum & habeo: vivifica, occide: voca, revoca; reproba, ut placuerit. Vocem tuam vocem Chriſti in te præſidentis, & loquentis agnoſcam. Si mortem merui, mori non recuſabo.* Hiſce machinis non ſolùm plebi, quæ cuilibet novitati patulas, ac prurientes ſemper aures arrigit; ſed non paucis etiam viris gravibus impoſuit.

Citatur Romam ſed excuſat ſe.

Interim *Lutherus* citatur Romam, ſed excuſat ſe tum ob judices, inquiebat, ſuſpectos, tum ob rei pecuniariæ inopiam, malamque valetudinem: impetravit autem per Electorem Saxoniæ, ut intra limites Germaniæ ſibi judices conſtituerentur.

Cardinalis Cajetani cum Luthero congreſſus.

Negotium mandatur à Pontifice *Thomæ de Vio* Cardinali *Cajetano* tunc ſedis Apoſtolicæ in Germania Legato. *Lutherus* ſolis nixus literis commendatitiis *Frederici* Septemviri, nulla ei data fide publica à *Maximiliano* Cæſare, *Auguſtæ* coram Cardinali comparet. A quo perbenignè excipitur.

Tria ab eo petit Legatus: ut propoſitiones erroneas à ſe aſſertas improbaret, eas in poſterum ne proferret, ut abſtineret à quavis alia doctrina Romanæ Eccleſiæ adverſa. Negavit *Lutherus*, eſſe à ſe prolatam ad eum uſque diem aſſertionem ullam dogmatibus Eccleſiæ refragantem. Duas illi *Cajetanus* objecit, ſcilicet, quòd in Eccleſiæ Theſauro merita Chriſti, & ſanctorum non contineri dixiſſet; & quòd ad obtinendum fructum Sacramenti, opus eſſet credere firmitate fidei, illum obtentum iri. Oſtendit Legatus, alteram repugnare antiquæ, & communi doctrinæ Eccleſiæ, alteram refelli perſpicuis Scripturæ verbis negantis poſſe quempiam certò ſcire, ſibi gratiam ineſſe. Nonnulla cum reponeret *Lutherus*, ac Legati verba diluere conaretur, Cardinalis gravi ſimul, ac benigno vultu ſubridens declaravit, nolle ſe cum eo argumentis contendere, ſed paterno eum hortari animo, ut errores retractaret, ſeque Apoſtolicæ ſedis judicio ſubderet.

Lu-

Lutherus à *Cajetano* petiit, & obtinuit ſpatium deliberandi. Poſtero die reverſus ad Cardinalem ſtipantibus eum Notario publico, & quatuor Senatoribus Auguſtanis, hanc è ſchedula proteſtationem Notarii manu ſignatam recitavit. *Ego frater Martinus Lutherus Auguſtinianus, proteſtor me colere, & ſequi Sanctam Romanam Eccleſiam in omnibus meis, dictis, & factis præteritis, præſentibus, & futuris, quod ſi quid contra, vel aliter dictum fuerit, id pro non dicto haberi, & habere volo.*

Lutherus proteſtatur ſe ſequi fidem Eccleſiæ Romanæ.

Porrò Cardinalis non ignorans, quòd multa Lutherus ſcripſiſſet, quæ non redolebant fidem Catholicam, eum urgere perrexit, ut tria ſupra recenſita præſtaret. At ille iterum proteſtatus eſt, nihil à ſe vel dictum vel ſcriptum eſſe, quod divinis Literis, Patribus, Decretalibus Pontificum, Conciliis, aut rectæ rationi adverſaretur: cæterùm ſe acquieturum judicio cujuſcumque Academiæ ex tribus Cæſareis celeberrimis id eſt, Baſileenſis, Friburgenſis, Lovanienſis, quin etiam Pariſienſis, quam *ſtudiorum Parentem, & antiquitùs ſemper Chriſtianiſſimam, ac in Theologia Florentiſſimam* vocabat. Cum verò Cardinalis in propoſito perſiſteret, rogavit eum *Lutherus*, ut ſibi facultas ſcripto reſpondendi concederetur. Petitioni annuit Legatus. Die ſequenti regreſſus eſt Lutherus ſcriptum aſferens plurimis adverſus Indulgentias, merita Sanctorum, merita bonorum operum, aliaque puncta argumentis refertum. Legatus, ut erat ſubtiliſſimus, enervatis, ſolutis, enodatis Lutheri ſophiſmatibus, totus incubuit, ut eum ad retractationem errorum perduceret; mandavitque illi, ne ad ſe rediret, niſi id executurus. Itaque *Lutherus* à conſpectu quidem Cardinalis abſtinuit, ſed per literas ei exponere auſus eſt, à ſe ſtare veritatem; litandum eſſe veritati, non poſſe ſe revocare id, quod rectum, & Sacris paginis conſentaneum noverat. Obtulit tamen, velle ſe authoritati ſubjacere Eccleſiæ, de articulis verò Indulgentiarum ſilere, modò ſilerent & adverſarii. Luthero nihil reſpondendum duxit Legatus Apoſtolicus. Quamobrem *Lutherus* variis ideis, & ſuſpicionibus agitatus clam *Auguſta* diſceſſit de Legato ad Pontificem appellans; quam

Lutheri Tergiverſatio.

Provocat ad Pontificem.

quam appellationem palàm juſſit valvis Eccleſiarum affigi.

Reflexio ad Cardinalem Cajetanum.

Ah! cur hìc *Cajetanus* non exeruit Cajetanum? Deerat fides publica *Luthero* (quam religioſiſſimè vel jurato hoſti ſervare oportet) & qua ſe ſemper aliis occaſionibus ſibi metuens poſtea muniit: Cur Lutherum, quem verſutum & verſipellem eſſe videbat, non apprehendi juſſit, tutoque loco mancipari? fuiſſet ſanè præoccupatum incendium quo ingens pars Europæ conflagravit.

Interim Cardinalis ad *Fredericum* Electorem literas dedit, quibus ei aperiebat, *Lutherum* hæreticum eſſe, ac ejus patrocinio indignum, rogavitque ut illum, vel Romam mitteret, vel è ſua ditione depelleret, innuens tam grave negotium non diu poſſe hærere; cauſamque iſtam mox Romæ judicandam. *Fredericus* Legati literas ad *Lutherum* tranſmiſit. Ipſi reſcripſit Lutherus, eumque jam doctrinæ ſuæ delibutũ veneno ad ſuæ ſuſceptionem cauſæ acriùs inflammavit.

Provocat de Pontifice ad Concilium.

Porrò Legati literæ ad Saxoniæ Ducem *Luthero* incuſſere metum damnationis ſuæ brevi Romæ ferendæ; quare ſtatuit eam prævertere per provocationem ab imminente ſententia: A ſummo ergo Pontifice *non rectè conſulto*, ut aiebat, ad futurum Concilium legitime, ac in loco tuto congregandum provocavit, & appellavit. Hoc eodem tempore primi adverſus Lutherum ſtrinxere calamum *Joannes Eckius* Ingolſtadii pro-Cancellarius vir doctrina, ac eloquentia præſtans, & *Sylveſter Prieras* Ordinis FF. Prædicatorum Profeſſor Eximius, Sacrique Palatii Magiſter.

Joannes Eckius & Sylveſter Prieras primi ſcribunt adverſus Lutherũ.

Diſputatio Lipſica inter Eckium & Lutherum.

Anno 1519. habita eſt Lipſiæ celebris diſputatio Eckium inter & *Lutherum* in Aula Ducis Georgii, Electoris *Frederici* Patruelis; Principis ardore Religionis inclyti, ad cujus ditionem Civitas illa ſpectabat. Difficile fuit de Arbitro convenire, qui ſententiam circa diſcuſſas quæſtiones poſtmodum ferret. Poſt varias tandem altercationes in *Erfordienſem* & *Pariſienſem* Academias conſenſerunt. Primum die 27. Junii congreſſi ſunt *Eckius*, & *Carolſtadius* tunc *Luthero* junctus, poſteà *Sacramentarius*. Sex congreſſibus de libero arbitrio,

de

de gratia, de bonis operibus diſceptatum eſt. Deinde verò defeſſo, & exhauſto Carolſtadio ſucceſſit in certamen *Lutherus* die quarta Julii uſque ad 14. actumque fuit de Primatu Romani Pontificis, de Purgatorio, Indulgentiis, Pœnitentia, abſolvendi Poteſtate, & caſuum Reſervatione. In his ſanè *Lutherus* quamvis non Catholicè in omnibus, longè tamen minus hæreticè. quàm poſt diſputationem, vi veritatis, & pondere argumentorum preſſus ſe geſſit; primatum Pontificis agnoſcens licet non divino, ſed humano jure, Purgatorium admittens, Indulgentias non ſimpliciter reiiciens, ſed abuſus, qui in illas inundarant, improbans. Ceſſante *Luthero* dicta die decima-quarta, ſuccenturiatus acceſſit denuò *Carolſtadius*; qui tam eadem, quàm ſubſequenti die, tribus collationibus iterum de libero arbitrio diſſeruit; iſtud Paradoxum pro coronide adjungens, *iuſtum in omni bono opere peccare*. Summam è diſputatione laudem retulit Eruditiſſimus EcKius. *Pariſienſis* Univerſitas pro *EcKii* parte judicium ferens quatuor, & centum Lutheri propoſitiones publico ſcripto feriit. Dux *Georgius* qui crebrò diſputationibus interfuit, *Frederico* Patruele torrente novitatis abrepto, in avita fide perſeveravit. ***Damnat Lutherũ univerſitas Pariſienſis***

Eodem anno Academiæ *Colonienſis*, & *Lovanienſis* plurimos *Lutheri* articulos damnarunt: ***Item Colonienſis & Lovanienſis.***

Anno 1420. *Leo X.* per Bullam quæ incipit, *exurge Domine*, ex libris Lutheri propoſitiones quadraginta & unam ſolemniter proſcripſit, libroſque ejus per ignem aboleri juſſit; ita tamen, ut Authorem, ejuſque Sectatores, ac fautores ad reſipiſcentiam invitaret, hortareturque ut Eccleſiæ pacem perturbare deſinerent; reperturi apud ipſum effuſum paterni animi affectum, & apertum manſuetudinis, & Clementiæ fontem: dato tamen ad errorum abjurationem in duorum Prælatorum manibus conſignandam ſexaginta dierum ſpatio: quo finito, niſi renuntiaſſent erroribus, excommunicati forent, ut pertinaces & contumaces Hæretici, ab omnibus vitandi, ac per Principes, ac Magiſtratus plectendi. ***Lutheri doctrinam ſolemniter damnat Leo X.***

Anno 1521. elapſo à multo tempore conceſſo, & Luthero, & ejus ſectatoribus à Leone Pontifice ad

reſipiſcendum termino, cum è contra is animadverteretur in protervia in dies obfirmari, idem Leo Pontifex novam in eum conſtitutionem evibravit; qua, recitatis, quæ priori decreta fuiſſent, non ſolùm ipſum Hæreticum eſſe pronuntiavit, verùm etiam eos omnes, cujuſcumque authoritatis, dignitatis, vel conditionis, qui ei patrocinati eſſent, aut favorem, conſilium, auxilium præbuiſſent, velut & ipſos Hæreticos in pœnas, & Cenſuras à Canonibus Hæreticis inflictas incidiſſe, declaravit.

Lutherus declaratur Hæreticus.

Intereà imperii Comitia à novo Imperatore *Carolo V. Wormatiæ* celebrantur. Eò accitus, data à Cæſare fide ſtitit ſe Lutherus coram Auguſtiſſimo Principe. Interrogatus eſt, an tanquam ſuos agnoſceret libros ſuo nomine evulgatos; ſimulque ab eo quæſitum, an vellet res in illis contentas propugnare. Ad priorem partem reſpondit, eos libros revera ſuos eſſe; ad poſteriorem: tempus ad deliberandum poſtulavit in tam arduo negotio, quod ad Dei verbum inquiebat, animarumque ſalutem pertineret. Tempus ad proximum diem ex Cæſaris benignitate indultum eſt. Tunc itaque reverſus ad Conventum *Lutherus* dixit, ex libris ſuis, alios Religionis argumenta continere, à quorum doctrina recedere ſalva conſcientia nequeat: in aliis Romani Pontificis Decreta, ac Pontificiorum ſententias impugnari; quæ quidem omnia revocare, nihil aliud foret, quàm humani generis fulcire carnificinam: in utriſque varios aculeos in perſecutores ſuos, Papæ aſſentatores, paraſitos, ac mancipia ſparſos eſſe, ſeque ingenuè fateri, quædam ſibi elapſa eſſe, quæ præ mordacitate in honeſtatem impingunt, ſed hunc procedendi modum in illos ipſos refundendum, qui ſe provocaſſent: nolle tamen ſe ob ea retractare libros, cum non ſanctitatem, ſed doctrinam profiteretur: hominem ſe eſſe: proinde errori obnoxium; atque ideò paratum ſe eſſe de ſuis opinionibus cum quocumque mortalium prodire in certamen; ac ubi Sacræ Scripturæ teſtimoniis convinceretur; ſuas offerre manus, quibus ſuamet opera in flammas proiiceret; atque ita illas futuras errorum, ſi demonſtrari poſſent, ultrices.

Comitia Wormatienſia.

Impe-

Imperator infractam viri pervicaciam intuitus, colloquio interciſo, illum è Conventu dimiſit. In *Caroli* poteſtate *Lutherus erat*, ſed obſtabant ſacrata jura ſalvi conductus, quæ Religioſus Princeps inviolatè voluit obſervare. Poſt diſceſſum verò *Lutheri*, Cæſar publicum edictum de conſenſu Septemvirum, & omnium ſacri Imperii Principum, Ordinum, & Statuum ſolemniter promulgari juſſit, quo *Martinum Lutherum* ut membrum ab Eccleſia Dei præciſum, manifeſtum, & pertinacem Hæreticum ab omnibus, & ſingulis habendum eſſe decernit, denuntiatiſque graviſſimis pœnis mandat, ne quis eum recipere, defendere, ſuſtentare, fovere dicto, aut ſcripto præſumat: quin imò, ut elapſo termino ſalvi conductus, adverſus eum, ubicumque deprehenſus fuerit, procedatur.

Lutherus ab Imperatore ſolemniter proſcribitur.

Conclamatum erat de Luthero, niſi eum præſenti ſubduxiſſet periculo *Fredericus* Elector. Itaque miris artibus per quoſdam ſubornatos milites illum in via intercipi curavit, & in locum ſecurum quaſi per vim deduci; adeò ut rumore ſparſo, eum contra fidem datam atrociſſimè vinctum, carcerique mancipatum fuiſſe (nondum enim dies ſalvi conductus expirarat) gravia adverſus Cæſarem murmura tanquam fidei violatorem efferbuerint.

Lutherus ſubducitur ab Electore Saxoniæ Frederico.

Inſertus eſt autem Caſtro (cui *Watburgum* nomen eſt) ſublimi, prærupto, impervio, propè Oppidum *Alſtadium* in Thuringia. Locum illum *Lutherus* ſolebat *Patmos*, ſeu eremum ſuam nominare. Ibi ſecurè decem menſibus deliteſcens collectos omnes Spiritus in Eccleſiam diverſis ſcriptis eructavit. Inter alia hortatus eſt Theologos, ut Theologiam Scholaſticam tamquam peſtem animæ averſarentur; atque ideò in Theologorum Scholaſticorum Principem *D. Thomam Aquinatem* plurima effutiit, multa eum aſſerens (qui Hæreticorum malleus eſt) hæretica, vaſtis inſperſiſſe voluminibus.

Patmos Lutheri

Varia deinde Comitia in favorem Religionis, ut *Norimbergenſe*, *Ratiſponenſe*, *Spirenſe* celebrata ſunt. In *Spirenſi* anno 1529. inter alia ſancitum fuit, ut Miſſæ celebratio ubique libera eſſet, in iis etiam locis,

ubi

ubi labes Lutherana graſſabatur; utque Evangelium exponeretur ex Patrum interpretatione, quos Eccleſia approbarat. *Fredericus Saxonicus*, & *Georgius* Brandenburgicus Electores, *Erneſtus* ac *Franciſcus* Luneburgi Duces, *Philippus* Haſſię Lantgravius, & *Wolfangus* Princeps Anhaltinus, cum Civitatibus quatuordecim convenere, palamque *proteſtati ſunt*, ſibi integrum non eſſe illi Decreto obtemperare, utpote refraganti Evangelicę veritati: proinde ad futurum ſe Concilium ad judicem quemcumque non ſuſpectum provocare. Hinc profluxit famoſum *Proteſtantium* nomen.

Oritur Proteſtantium nomen:

Eodem anno Marpurgi, (quod eſt Haſſię Civitas) à *Philippo* Lantgravio Conventus ad ineundam pacem Lutheranos inter, & Zvvinglianos, ſeu Sacramentarios convocatus eſt. Sed in puncto Euchariſtię partes uniri non potuerunt. Sępe eadem ardenter concordia poſtmodùm tentata eſt, ut à ſe *diverſitatem* fidei (quam eis Catholici, quorum eſt una fides, ineluctabiliter obiiciebant) tandem aliquando amolirentur; at fruſtrà: id ſcilicet divina permittente providentia, ut palmare argumentum de *unitate*, & *concordia* doctrinę ſemper Romana poſſet in adverſarios depromere, vibrare, effundere Eccleſia, & Acatholici hoc ratiocinio velut ictu fulminis impetiti nunquam non proſternerentur, & vincerentur.

Fruſtrà agitur Marpurgi, & alibi de pace ineunda Lutheranos inter, & Sacramentarios. Comitia Auguſtana.

Anno 1530. habita ſunt Auguſtana Comitia. Cęſar eo pervenit 15. Junii, pridię Corporis Chriſti. Poſtridiè Principes omnes pompę, quà Chriſti Corpus ſolemniter circumferebatur, adeſſe juſſit. *Proteſtantes* illi ſe interfuturos negarunt contendentes ſuperſtitioſos eſſe hujuſmodi ritus. Saxoniæ Dux, cui incumbebat enſem Imperatori pro more pręferre, Theologis ſuis conſultis, ſolemni pompę adfuit affirmans, ut ſibi inſinuatum erat, per illud miniſterium, civilem tantùm à ſe actum exerceri, ad inſtar famoſi *Naaman Syri* ante Idolum ſe cum Rege brachio ipſius innixo incurvantis.

In Comitiis Lutherani Principes Cæſari ſuæ profeſſionem fidei obtulerunt. Hanc *Philippus Melanchthon* adornavit, omnique ſtuduit ope ingenii, prætermiſſis in

ea

ea vel emollitis, quantùm potuit, opinionibus odioſis, invidiam ſectæ ſuæ detrahere. Atque hæc eſt celebris illa *Confeſſio Auguſtana*, in quam veluti in Evangelium deinceps Lutherani jurarunt. *Confeſſio Auguſtana.*

At non conveniunt, nec in una ſede morantur, & lux & tenebræ.

Radii veritatis, errorum licet ſub mitioribus terminis occultatorum, & ab æſtu Lutheri remotiorum nebulas facilè diſſiparunt. Itaque nihil Proteſtantes obtinuerunt. E contra edictum promulgavit Cæſar, quo decretum eſt, ut omnes in priſca Religione perſiſterent, repudiatis, ac damnatis *Anabaptiſtarum* (qui etiam in imperium irrepſerant) *Zvvinglianorum*, & *Lutheranorum* Sectis.

Proteſtantes Auguſtano edicto inobſequentes ad Sectæ ſuæ libertatem armis vindicandam, *Smalkaldæ* (quæ eſt Oppidum Franconiæ) fœdus iniere anno 1531. quod *Smalkaldicum* à loco appellatum eſt. Illud cruentum ad Albim anno 1547. prælium peperit, in quo Carolus Imperator de Lutheranis glorioſiſſimè triumphavit. In eo capti fuere Elector Saxoniæ, & Lantgravius Haſſiæ, duo Belli, motuum, malorumque omnium incentores, ac fautores. *Fœdus Smalkaldicum, & victoria Cæſaris.*

Actum omninò erat de Secta Proteſtantium, niſi Septemvir Saxoniæ *Mauritius* nepos *Joannis Frederici* Electoris captivi, eique ſubrogatus, verſis pro beneficio in Cæſarem armis, illi in Conventu *Paſſavienſi* annò 1553. facultatem exercendæ Religionis Lutheranæ iis in locis, ubi illa modò erat, extorſiſſet. *Conventus Paſſavienſis Religioni nocivus.*

Anno 1545. 13. Decembris Tridentina Synodus tot votis expetita, Lutheranæ, aliarumque expugnatrix Hæreſum ſub *Paulo* 3. aperta eſt. *Concilium Tridentinum.*

De Pontifice ad *Concilium* toties provocarat *Lutherus*, illud deſiderium omnibus ſuis declararat, inſtillarat, impreſſerat; at ecce, dum Tridentinum poſt innumeras procellas, devoratáſque turbas, tandem celebratur; extremos ille ſpiritus, & animi in Romanam ſedem exacerbati reliquias in *illud* evibravit. Scilicet is eſt character Hæreſeos, Protheum pro temporum circumſtantiis, ac omnem Metamorphoſim aſſumere, de- *Lutherus qui provocarat de Pontifice ad Concilium illud reſpuit.*

bi-

tamque ſubordinationem, & obedientiam reſpuere, Lutherum ſecuti ſunt *Proteſtantes*, qui ſalvum conductum, quo ad Synodum humaniſſimè invitabantur, (ad quam tamen toties anhelarant) non ſemel repudiarunt. Concilium ſub *Paulo* 3. inchoatum, ſub *Julio* 3. continuatum, variis deinde de cauſis ſuſpenſum, ac dilatum tandem aliquando ſub *Pio IV.* terminatum fuit 4. Decembris 1563.

Lutheri mors. Anno 1546. *Lutherus* ex hac vita ſublatus eſt. Præcedenti Tridentinos Patres Synodum auſpicatos eſſe, indignans intellexerat, eoſque prævidebat in doctrinam ſuam ſtricturos Anathema. Obiit autem *Islebii* in Patria ſua, cum à Mansfeldenſibus Comitibus componendi cujuſdam diſſidii cauſa vocatus, ad finem Januarii eò acceſſiſſet. Quibuſdam illìc tranſactis diebus; 17. Februarii, poſtquam lautè & opiparè cœnatus fuiſſet, & facetiis de more indulſiſſet, doloribus preſſus inter ſecundam, & tertiam de nocte expiravit anno ætatis 63. Ejus cadaver ſtanneo loculo incluſum *Wittembergam* delatum eſt, illud *Catharina de Bore*, quam e Moniali uxorem ſibi duxerat, comitante, una cum tribus Liberis *Ioanne*, *Martino*, *Paulo*, & magna equitum, peditumque in funebrem pompam ſelectorum caterva.

Errores *Lutheri* reſervo ad calcem operis.

Lutherani. Ex *Lutheri* ſchola prodierunt *Philippus Melanchthon Matthias Flaccus Illyricus*, aliique, in doctrina plerumque inter ſe diſcrepantes, quos modò recenſeamus.

Philippus Melanchton. Philippus Melanchthon, Germanus, *Bretæ* (quæ eſt inferioris Palatinatus Oppidulum) natus; viginti quatuor annorum juventutis, humanarum literarum elegantia intumeſcens circa annum 1521. *Luthero* nomen dedit. Pleraque ipſius dogmata mollivit; præſertim inſignem illum adverſus libertatem arbitrii errorem; imò hac in controverſia diſceſſit tandem à ſententia *Lutheri*.

Mollium Lutheranorum & Adiaphoriſtarum Author. Auguſtanæ Confeſſionis (ut hìc ſupra meminimus) Author fuit: unde illius ſectatores *Confeſſioniſtæ* nuncupati ſunt, & ob emollita duriora quædam Lutheri dogmata *Molles Lutherani*.

Dictus

Dictus etiam eſt Pater *Adiaphoriſtarum*, ſeu *Indifferentium*, quod doceret, *legitimas Eccleſiæ & Conciliorum conſtitutiones, jejunia & ſimilia ejus eſſe generis, ut liberum eſſet unicuique, iis vel uti, vel non uti ſine ſalutis diſcrimine*. In tradendis dogmatibus varius fuit, & anceps. Aſſeritur in ſola materia de *Juſtificatione* variaſſe quaterdecies. Mortuus eſt *Witembergæ* anno 1556. ætatis ſuæ ſexageſimo primo.

Fuere ferè ſemper ejus conſilia in Religione moderata: qua arte non parùm obfuit Eccleſiæ, dum nonnullorum Catholicorum animos torrente eloquentiæ, & affabilitatis abreptorum ſibi conciliavit. Plures tradunt, eum ſub finem tantò diſſidiorum Religionis tædio affectum fuiſſe, ut relicta Witemberga, in Poloniam ſecedere deliberaſſet; priùs tamen Concilio intereſſe Tridentino, ejuſque ſtare Decretis. Denique, cum Mater ejus moribundum adjuraſſet, ut ipſi palam declararet, quænam melior foret Religio, reſpondiſſe fertur, *novam plauſibiliorem eſſe, antiquam ſecuriorem*.

Flaccus Illyricus rigidorum Lutheranorum Pater.

Matthias Flaccus natione Illyricus ex Oppido *Albona Rigidorum* fuit *Lutheranorum* Coryphæus, quòd a doctrina, & ſcriptis Lutheri, quæ ut divina venerabatur oracula, ne in vocula quidem, aut ſillaba diſſentiendum eſſe mordicùs ſuſtineret: unde implacabilis extitit *mollium Lutheranorum* hoſtis. Dictus eſt etiam *Antiadiaphoriſta*.

Porrò peculiare illius dogma fuit; *peccatum Originis eſſe ipſam ſubſtantiam animæ rationalis*. Hunc errorem plurimis ſcriptis pertinaciter propugnavit, multoſque in ſuam ſententiam pellexit Lutheranos, qui ab ea doctrina *Subſtantialiſtæ* appellati ſunt.

Eſt Author Centuriarum Magdenburgenſium.

Celebrium Centuriarum Magdenburgenſium præcipuus compilator, editorque fuit *Flaccus Illyricus*. Has ut refelleret, hiſtoriam adornavit Eccleſiaſticam Cardinalis *Baronius*, cujus nunquam gloria obliterabitur.

Nicolaus Amſdorphius.

Nicolaus Amſdorphius Miſnienſis docuit, *bona opera ad ſalutem homini eſſe pernicioſa*.

Georgius Major Nurenburgenſis, è contra ſuſtinuit,

Georgius Major. nuit, *bona opera eſſe univerſim ad ſalutem neceſſaria, etiam infantibus*: adeò ut ex ejus ſententia, *nemo unquam ſalvus fuerit, aut juſtificari unquam poſſit ſine bonis operibus præcedentibus.*

Joannes Agricola Joannes Agricola eandem Patriam cum Luthero (*Islebium*) ſortitus aſſeruit, *legem operum omnino eſſe rejiciendam, nec ad bona opera divinæ legis homines obligari Evangelicos*: quod ipſi etiam cum Luthero commune fuit. Hinc *Agricolæ* Diſcipuli vocati ſunt *Antinomi* voce Græca, quaſi Legem impugnantes, vel Legi contrarii.

Andreas Oſiander. Andreas Oſiander Bavarus ob ſupercilium, & effrænem choleram ipſis Lutheranis inviſus hæc tradidit dogmata.

1. *Homo juſtificatur eadem juſtitia, quâ Deus eſſentialiter juſtus eſt.*

2. *Chriſtus eſt juſtificator humani generis ſecundùm ſolam divinam ipſius naturam, excluſa humana.*

Franciſcus Stancarus. Franciſcus Stancarus Mantuanus, cùm tueri cupit *Jeſu Chriſti humanitatem noſtræ juſtificationis eſſe cauſam meritoriam*, in aliud extremum ſe præcipitem egit docens, *Chriſtum Dominum eſſe juſtificatorem noſtrum ſolummodò ſecundùm humanitatem, excluſa natura divina.*

Andreas Muſculus. Andreas Muſculus ex Oppido (*Dieuze*) in Lotharingia, dum Oſiandro, & Stancaro ſe opponens cum Catholicis aſſerit, Chriſtum eſſe juſtificatorem noſtrum ſecundùm utramque naturam, incidit in hunc errorem: *divinam Chriſti naturam una cum humana in Cruce eſſe mortuam.*

Joannes Brentius Joannes Brentius Suabus ex Municipiô *Wil*, è Canonico VVittembergenſi, & Sacerdote ad Lutheranam ſectam, & nuptias convolans, Lutheri placitis hæc ſua addidit commenta.

1. *Baptiſmus non omnia delet peccata, cum ſuperſit concupiſcentia, quæ peccatum eſt.*

2. *Corpus Chriſti ex vi unionis perſonalis eſt ubique, adeòque, & in Pane ante conſecrationem: & verba Chriſti, hoc eſt Corpus meum, ſunt verba diſpenſationis, ſignificantia diſtributionem Corporis, & Sanguinis jam præ-*

Præſentis. Hinc dictus eſt *Ubiquitariorum* Parens.

Joannes Spanebergus Thuringus hunc ſpecialem vulgavit errorem, *nihil eſſe diſcriminis inter conſilia, & mandata.* *Joannes Spanebergus.*

Gaſpar SvvencKfeldius nobilis Sileſius non mediocrem in Scholis doctrinam adeptus, ac idiomate Germanico, elegantiſſimus; ut majorem ſibi nominis celebritatem pareret; *Luthero* æquè, ac Romanæ Eccleſiæ bellum movit. Dicebat, Lutherum eſſe ad erudiendum vulgus ineptum, ut qui omnia ſecundum exteriorem ſpeciem abuſuum genera tolleret, parum interim Chriſti Eccleſiam fulciret, aut corroboraret: hinc planè Scepticus videri volebat, publicè ſubinde declarans, ſe nec à Pontificiorum, nec Lutheri partibus ſtare, eò quòd ipſorum Eccleſiæ in pluribus, quæ Doctrinam, Cæremonias, totiuſque Religionis conſtitutiones concernunt ſibi adverſæ, nil niſi carnalem Spiritum ſectarentur. Docebat, non pendendum eſſe ex verbo externo ejuſque prædicatione, ſed potiùs interiora ſpectanda, quæ Deus ſine medio inſtillet; ideòque magis privatis contemplationibus ſtudendum eſſe, quam audiendis concionibus, aut Sacramentis ſumendis: quin imò *Scripturæ Sacræ non eſſe attendendum, utpote quæ non eſſet Verbum Dei*. Permultos in Germania adulterinæ ſpiritualitatis fuco oblinivit, ita ut plures forent, qui ei ſub initium inhærerent, quàm qui *Luthero*, vel *Zvvinglio*. *Gaſpar Svvenckfeldius non minus Lutheranorum quàm Eccleſiæ Romanæ hoſtis.*

Porrò præter Lutheranos *Confeſſioniſtas*, *Molles*, *Adiaphoriſtas*, ſeu *Indifferentes*, *Rigidos*, *Subſtantialiſtas*, *Amſdorphienſes*, *Majoriſtas*, *Antinomos*, *Oſiandros*, *Stancarios*, *Muſculanos*, *Ubiquitarios*, *Spanebergenſes*, *SvvencKfeldienſes*, dantur, & aliæ ſectæ, quæ in Germania ex Luthero pullularunt. *Aliæ ſectæ Lutheranorum.*

Fredericus Staphylus è Lutherano per ſingularem Dei miſericordiam fidei noſtræ redditur, anno 1564. in ſua *Theologiæ Lutheranæ Trimembris Epitome* recenſet illius ſectas 34. *Nunc autem* (ajebat Bellarminus anno 1583. quo lucem aſpexit ſecundus ejus controverſiarum tomus) *numerantur ferè centum diverſiſſimæ Religionum propagines ab uno Luthero prodeuntes.*

Plures hodie Principes Lutherani redeunt ad gremium Eccleſiæ.

At quam Deus ita à ſe averſæ propitius eſt Germaniæ! plures Sereniſſimos utriuſque ſexus Principes & elapſum vidit, & præſens videt ſæculum in ſinum Eccleſiæ regreſſos. Recentis etiamnum memoriæ ſunt *Chriſtina* Regina Sueciæ, *Fredericus Auguſtus* ex Electore Saxonico Rex Poloniæ, *Antonius* Dux Wolfenbuttellenſis, *Maximilianus* Princeps Hannovrienſis, Imperatrices *Amelia*, & *Elizabetha*, quarum hæc nuper univerſa præ gaudio Europa in lachrymas effuſa, Auguſtiſſimo Cæſari CAROLO VI. Regi, & Principi noſtro peperit *Leopoldum* Archiducem, ſpem domus Auſtriacæ, fulcrum imperii, ſolamen Chriſtiadum, futurumque Turcarum jam proſtratorum exterminatorem.

At Deus eum terris tantummodò oſtendit, pro *uno* vix nato, denato Principe plures (ut ex Imperatricis fœcunditate augurari licet) nobis misericorditer impertiturus.

Dum his intendimus; Dux (*Saxen-Zeitz*) non infimus ex nobiliſſima illa Proſapia, fidem noſtram amplexus, & profeſſus eſt. Utinam hunc Religionis noſtræ in Germania progreſſum, tum in Principibus, tum ſubditis, qui ordinariè ad ſuperioris rapiuntur exemplum; divina continuet Clementia.

Anabaptiſtæ, Secta Authores. Nicolaus Storkius.

Anno 1522. exorta eſt inſana *Anabaptiſtarum* ſecta authore *Nicolao Storkio* Sileſio. Hic cum primum *Luthero* adhæſiſſet, ab eo poſtmodùm deficiens, & inſolitas revelationes jactitans, Wittemberga pulſus eſt, incertis per Thuringiam ſedibus vagatus, ſpecie ſanctitatis, quam præ ſe ferebat, apud barbarum, ſtolidumque ruſticorum vulgus fidem invenit de ſecretis myſteriis ſibi per Michaelem Archangelum revelatis. Perſuaſit illis, ut libertatem Evangelicam profiterentur, ſpretiſque mundanis rebus, mentem, oculoſque ad Deum dirigerent, Baptiſmumque denuo ſuſciperent; omnes verò, qui huic doctrinæ reniterentur, Magiſtratus ſimul ac Principes igne, ferroque delerent, cum natura omnes liberos genuerit ac fratres, nec ab aliquibus gravari voluerit, ſed omnia ſingulis eſſe communia. Perſuaſit & illis, ut Epiſcopos, & Paſtores vel interimerent, vel fi-

nibus

nibus ſuis expellerent, bona eorum diriperent; Monaſteria everterent, abuſus omnes eradicarent; hanc eſſe, inquiebat, ſupremi Numinis voluntatem, cui obtemperare tenerentur. Quibuſdam Sacrarum paginarum teſtimoniis ad inſpirata divinitus (ut aiebat) myſteria detortis, horrenda illa dogmata fulciebat.

Huic ſe addixit *Thomas Muntzerus* Concionator *Alſtetenſis* (*Aſtat*) in Thuringia ex Sacerdote Catholico doctrinæ non mediocris Lutheranam fidem amplexus. Hic Enthuſiaſtam poſteà vitamque aſperrimam ſcitè mentitus Sectam mirificè propagavit. Turbulentiſſimis concionibus immane Bellum ruſticorum in Germania excivit; indiſciplinatis verò illorum copiis à Principibus diſſipatis, cæſiſque centum & triginta efferatorum hominum millibus anno 1525. captus ipſe, & capite plexus eſt. Errores moriens ſingulari Dei munere retractavit. Sed nec ita extinctus fuit *Anabaptiſtarum* furor. Recruduit ille in Civitate *Monaſterienſi* Weſtphaliæ Metropoli Ducibus *Joanne Matthia* Piſtore Harlemienſi, & *Joanne Bocoldo* ſartore Leidenſi. Hi, allecta in partes ingenti promiſcuæ plebis multitudine, falſis revelationibus ſuis, & Enthuſiaſmis, proximique judicii terroribus decepta, in Magiſtratus irruerunt, ac eouſque progreſſi ſunt, ut quicumque rebaptizari nollent, aut urbe ejecti, aut cæſi fuerint, omnis Dei cultus abrogatus, expilatæ Eccleſiæ, Sacræ Virgines violatæ, Senatus pro eorum arbitrio mutatus, bona civium direpta, ac omnia ſusdeque verſa fuerint. Porrò graviſſima obſidione cincta civitate ab Epiſcopo Principe Monaſterienſi, *Joannes Matth.* in eruptione fortiter dimicans cecidit.

Thomas Muntzerus.

Furor Anabaptiſtarum in urbe Monaſterienſi.

Joannes Matthias.

Joannes Bocoldus.

Obſidetur urbs ab Epiſcopo Principe.

Poſt ejus necem *Joannes* ſartor Leidenſis Anabaptiſticæ Reip. regimen capeſſivit, multiſque in civili adminiſtratione variatis, cum in adulterio fuiſſet deprehenſus, ad diſpungendam infamiam, legem divino (ut ajebat) monitu de Polygamia tulit, & ſedecim uxores ſibi adſcivit. Ille demum à quodam fabro aurario Enthuſiaſta Rex ſubitò poſtulatur, in foro proclamatur, ab inſana multitudine certatim ſuſcipitur, ac inconditis laudibus in Cœlum tollitur. Rex itaque conſtitutus eam urbem *Sion*, & *Jeruſalem* appellare cœpit, ex qua

Joannes Leidenſis ſartor creatur Rex à ſuis.

imperium in univerſum terrarum orbem eſſet propagaturus. *Rex* autem *juſtitiæ hujus mundi* appellari voluit. Nec Sartori Regius defuit apparatus. Aureis, & argenteis veſtibus, quas ab Altaribus, Templis, Delubris avulſerat, ſplendidè exornatur; in capite gerit diadema triplici ex auro lectiſſimo corona inſigne, catenamque auream gemmis coruſcantibus conſpicuam: circumſtant illum conferti Proceres; audit ſubditos flexos ad eum poplite accedentes; ſummi, medii, infimi Regem venerantur; Majeſtas à vultu, corpore, ornamentis, ſolio, fictis Magnatibus in ejus conſpectu præ reventia quaſi terræ alliſis, undique vibratur. Denique velut ex mandato æterni Patris, Apoſtolos ad novum Evangelium orbi prædicandum electurus magnificam Cœnam inſtruxit, in qua multitudinem univerſam juſſit diſcumbere: menſis ſublatis, paropſidem afferri mandavit panis tricei fragmentis repletam. Tum ſingulis ordine fruſtulum porrexit dicens, *accipite*, *comedite*, *& mortem Domini annuntiate*. Regina verò uxor ejus Princeps poculum vino refertum porrigens dixit; *bibite*, *& mortem Domini annuntiate*. Mox interrogatis omnibus, num pro fide parati eſſent occumbere, iiſque conſona voce promptitudinem animi pandentibus, viginti ſelegit, quos in quatuor orbis partes cum poteſtate ſigna, & prodigia patrandi emiſit. Hi in diverſa loca diſperſi omnes pœnè à Magiſtratu extremo ſupplicio affecti ſunt: nonnulli elapſi ſectam promulgarunt. Tandem poſt incredibiles ab *Anabaptiſtis* toleratas calamitates, anguſtias, inediam, famem *Veſpaſiani* in obſidione urbis Hieroſolymitanæ tempora renovantem, Civitas ab Antiſtite Principe recuperata eſt. Acies gladii in obvios quoſque incubuit. Rex, & ejus Conſiliarius *Knipperdollingus* capti ſunt. Aliquot illi menſibus in vinculis habiti, anno 1535. horrendo ſupplicio exanimati ſunt. Nam palis alligati, diù ignitis forcipibus lacerati, & demum adacto per pectus mucrone perempti ſunt. Poſtremò caveis ferreis incluſa fuere cadavera & ad ſummam urbis turrim ſuſpenſa. Videntur hodiedùm à tanto jam tempore ſceleratæ reliquiæ, oculoſque horrore percellunt.

Capitur civitas.

Supplicium Regis.

Cate-

Cæterùm hi ſunt *Anabaptiſtarum errores*.

1. *Pueri non ſunt Baptizandi, ſed tantùm adulti rationis capaces*.

2. *Non poteſt à Chriſtianis adminiſtrari Magiſtratus politicus*.

3. *Nunquam licet jurare Chriſtianis*.

4. *Illicitum eſt Chriſtianis Bellum gerere*.

Anno 1556. *Menno* ortus in Friſia ex quodam pago propè *Harlingam*, non contentus amplecti dogmata *Anabaptiſtis* propria, ſe novæ ſectæ Ducem conſtituit. Habet hæc per Hollandiam, Friſiam, & Angliam complures aſſeclas, qui à *Mennone* paſſim *Mennoniſtæ* nuncupantur. *Mennoniſtæ.*

1. Præter errores, illis cum *Anabaptiſtis* communes, *Mennoniſtæ* malè ſentiunt de myſterio *SS. Trinitatis & diſtinctione trium Perſonarum*, quibus dicunt *in Scriptura nullum fundamentum aſſignari*.

2. Docent Mennoniſtæ, *Chriſtum de Corpore Virginis nihil accepiſſe, ſed tantùm per illius corpus tranſiſſe, ſicut Lux vitrum pertranſit, ideoque dici Ioannis 1. Erat Lux vera*: *unde* inferunt, *Chriſtum non fuiſſe verum hominem*.

In externa ſpecie, veſtitu, & verbis ſingularem ſectantur modeſtiam. Sunt etiam largi in pauperes. Denique ab omni mendacio, fuco, reſtrictione mentali. & fraudibus in commerciis alieni reddunt unicuique. quod ſuum eſt. Nonne dolendum eſt, haſce qualitates deſtitui vera fide, *ſine qua impoſſibile eſt placere Deo*, ad Hebr. 11. *Illorum mores.*

Circa eadem tempora *Georgius David* Anabaptiſta Patre *Georgio* Amersfordienſi Hiſtrionem agente, Matre verò Delphinenſi natus, profeſſione Gandavi Vitriarius his mundum deluſit commentis & ſpurcitiis, ſeſe tertium eſſe *Davidem*, verumque Meſſiam, in terris regnaturum quibuſdam mulierculis perſuaſit: hæ ſe beatas exiſtimabant, ſi relictis maritis, ex promiſſo ipſius (ut gloriabatur fœdiſſimus impoſtor) ſemine conciperent. *Mulierum communionem* admittebat. *Stultum eſſe*, ajebat, *ſi quis peccatum eſſe arbitraretur, abjurare Chriſtum coram hominibus, atque ideò ſtolidos vocabat* *Davidiani Anabaptiſtæ.*

Apoſtolos, & *Martyres*, *quod eam ob cauſam mortem ſubiiſſent*. Omnem doctrinam hactenus à Deo per Moyſem, Prophetas, Chriſtum, & Apoſtolos traditam, fuiſſe imperfectam, & ad ſalutem conſequendam inutilem affirmabat: ſuam verò perfectam eſſe, ſe enim eſſe dilectum Dei filium, non ex carne ſed ex ſpiritu genitum, qui peccata verè condonet, aut reſervet, qui denique judicaturus ſit noviſſimo die.

Obiit Baſileæ anno 1556. ſpem Fanaticis Diſcipulis faciens reſurrectionis ſuæ poſt triennium futuræ. Nec ejus vaticinium omninò eventu caruit. Illius enim cadaver Senatus Baſileenſis Decreto, poſt triennium effoſſum, & cum libris & ſcriptis diligenter conquiſitis in foro à carnifice flammis traditum eſt.

Anabaptiſtarum ſpecies. Porrò dantur & Anabaptiſtæ *Clancularii*, *Dæmoniaci*, *Sabbatharii*, *Communia habentes*, *Condormientes*, *Ejulantes*.

Clancularii, ſeu Hortenſes. *Clancularii* licere ſibi autumant, ſi interrogentur, num ſint Anabaptiſtæ, id pernegare: ſatiſque ſibi eſſe, quòd ipſi privatim ſciant, quæ credunt, tametſi ea palam non confiteantur. Ingens eſt in populoſis Civitatibus horum numerus. Eccleſias non frequentant: ſed domi ſe, ſuoſque inſtruunt, vel in hortos conveniunt: quam ob cauſam dicuntur etiam *Fratres Hortenſes*.

Videntur illi quoad ſuæ Sectæ *negationem* nonnihil accedere quamvis in re diverſa, ad *Helceſeitas*, de quibus ſub initium ſæculi 2.

Dæmoniaci. Dæmoniaci vocantur quidam Anabaptiſtæ, quòd *Dæmones in fine mundi ſalvandos putent*.

Hic error eis cum Origene communis eſt. Vide errorem 6. *Origenis* ſæculo 3.

Sabbatharii. *Sabbatharii* tales dicuntur, quod *diem* colant *Sabbathi more judaico*, *ſpreta die Dominica*.

Communia habentes. Sic appellantur nonnulli à communitate Uxorum, Liberorum, & omnium rerum more belluino inter eos factitata.

Condormientes. Alius *Anabaptiſtarum* ſurculus, qui viros, ac fœminas, juvenes, ac virgines eodem in loco vivere, & in eodem concumbere cubiculo jubebant, novam charitatem Evangelicam ſuæ turpitudini prætexentes.

Quo non hominem error abripit!

Illi in animum ſibi inducunt, *nullam eſſe devotionem æquè gratam Deo, quàm perpetuò lacrymari, & ejulare*. *Ejulantes.*

Immediatè poſt Architectos *Anabaptiſtarum*, occurrebant *Libertini*, ſed ob connexionem aſſeclarum iſtius ſectæ huc eos reſervavimus. *Libertinorum* Authores fuere *Quintinus* natione Gallus è provincia Picardiæ profeſſione ſartor, & *Coppinus* Inſulenſis, ac peſtiferum errorem circa annum 1525. in Brabantia, & Hollandia diſſeminarunt. Ob hæc, aliaque crimina *Quintinus* extremo ſupplicio Tornaci affectus eſt, hæreſi priùs per miſerantem Dei gratiam abjurata. *Coppinus* in ea creditur extinctus. *Libertini.*

Præcipuus ac fundamentalis *Libertinorum* error erat, *unicum eſſe Spiritum, ſcilicet Deum: Angelos autem, dæmones, & hominum animas nihil eſſe, niſi meram opinionem. Unde omne quod ab hominibus fieri videtur, ſive malum, ſive bonum, ab ipſis non fieri, ſed ab illo unico Spiritu Deo, qui omnia in omnibus operatur: homines proinde, qui interimunt, mœchantur, furantur, aut alia perpetrant, minimè eſſe coarguendos, cum iſta Deus propriè committat*.

Ita ſanè effræni libertati quidvis audiendi, & patrandi campus latiſſimus pandebatur.

Sacramentariorum Parens fuit *Carolſtadius*; Archi-Diaconus Wittembergenſis. Hic doctoralem *Luthero* lauream impoſuerat. Primus pſeudo-reformatorum uxorem duxit. Dum abeſſet *Lutherus*, eò inconſulto, *Wittembergæ* Miſſam abrogavit, Sacrum habitum abjecit; Euchariſtiam profanis manibus contrectati permiſit, plebemque ſtimulavit, ut portis effusè patentibus infeſta ſigna Templis inferret, & ſacras Icones ex illis eiiceret. Mox Chriſti Corpus & Sanguinem reipſa, & ſecundùm ſubſtantiam in Euchariſtia adeſſe negavit, quod acerrimè propugnabat *Lutherus*, & aſſertam olim à *Berengario* (ſæculo 12.) *Sacramentariorum* de præſentia corporis *in figura* hæreſim à tot jam ſæculis ſopitam excitavit. *Sacramentarii.* *Carolſtadius.*

E *Saxonia* per *Lutherum* extorris ad Helvetios ſe

contulit, & à Tigurinis Diaconus creatus eſt. Poſt *Zuvinglii* mortem Baſileam profectus, in Miniſtrum aſſumptus eſt, ibique defunctus.

Zuvinglius. Ulricus Zuvinglius, ortus è Pago, cui nomen *Mildehauſen* in Helvetia, Ruralis primum, deinde Eccleſiæ cujuſdam Parochianæ in urbe Tigurina (*Zurich*) Paſtor, cum multos ibi privatis corrupiſſet colloquiis, in Indulgentias, & Romani Pontificis primatum anno 1519. invehi cœpit, alioſque errores, præſertim contra realem Chriſti in Euchariſtia præſentiam Tigurinis afflavit. Senatus, populuſque Tigurinus pſeudo-Synodum indixit. *Zuvinglius* in ea ſummam Doctrinæ ſuæ expoſuit. Hinc Magiſtratus in ſpiritualia involans omnibus, & urbis, & ditionis ſuæ Paſtoribus injunxit, ne quid aliud impoſterum Eccleſiis ſuis proponerent, & annuntiarent, quàm purum Dei Verbum. In altero Conventu primò Euchariſtiæ ſolemni pompa circumgeſtatio prohibita eſt, ſublatæ Reliquiæ; paucis deinde menſibus interjectis, Miſſa, & Euchariſtiæ adoratio abrogatæ ſunt. Anno 1528. *Bernates* à Catholica Religione ad *Zuvinglii* ſectam defecerunt. Hos ſecuti ſunt *Baſileenſes*, *Scafhuſiani*, & pro parte *Glarenſes*, & *Appenzelenſes*.

Variæ Tribus Helvetiorum ad Zuvinglium deficiunt.

Zuvinglius cadit in prælio. Occubuit *Zuvinglius* in prælio adverſus Catholicas Helvetiorum Tribus 11. Octobris anno 1531. annum agens ætatis 48.

Oecolampadius. Joannes Oecolampadius linguarum notitia ſpectabilis, Ordinis antea S. Brigittæ filius, *Zuvinglii* poſteà fidus Achates, ingenii non ignobilis eandem Sacramentariorum Hæreſim Baſileæ prædicavit: Utinam præclara defenſioni Eccleſiæ conſecraſſet talenta? Obiit Baſileæ anno 1531. ætatis anno 49. ſive ex ulcere ſuper os erumpente, ſive alio mortis genere. Ut, ut eſt, exanimis in lecto repertus eſt.

Bucerus. Martinus Bucerus, Germanus ex Urbe *Scheleſtat* in *Alſatia*, Profeſſione Dominicanus, ſed qui ſinum matris per apoſtaſiam laceravit, gravia Eccleſiæ inflixit vulnera. *Luthero* doctrina non inferior, linguarum peritia ſuperior, illi primum adhæſit; diù poſteà ſecum luctatus *Sacramentarios* ei prætulit. Illos ut cum Lu-

Lutheranis componeret, omnes vires, & nervos variis in congreſſibus intendit. Sed ſingulari Numinis pro principe Eccleſiæ nota, quæ eſt unitas, excubante providentia, nunquam de fidei punctis idem ſentire potuerunt. Manent, æternùmque manebunt inter ſe diviſi, atque ita *veræ fidei* characterem in *unitate* conſiſtentem nunquam obtinebunt. *Hermannum* Archi-Epiſcopum Colonienſem in Hæreſim pellexit. *Argentorati* per 20. annos Theologiam docuit. Anno deinde 1549. cum *Paulo Fagio* ex Pago (*Rhynſabern* in Palatinatu) Hebraicis literis exculto, in Angliam, quo nulla ante lues Hæretica penetrarat, *Eduardo* Minorenni regnante, pervenit, & *Cantabrigiæ*, data ſocietatis dextera *Petro Vermilio* Florentino *Martyri* nuncupato, Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini Apoſtatæ errores *Zvvinglii* diſſeminavit. Hinc in totam florentiſſimam Inſulam breviſſimo tempore hæreſis invecta eſt. *Hæreſim in Anglia docuit cum Petro Martyre.*

Obiit *Bucerus* Cantabrigiæ anno 1551. ætatis verò ſuę 61. Anno 1556. *Mariæ* Reginæ Catholicæ juſſu (utinam hæc diù imperaſſet Angliæ!) ipſius, & *Pauli Fagii* oſſa exhumata, ac in ignem conjecta ſunt.

Notabile illius dictum de D. Thoma. Thomiſticis in Ordine imbutus Principiis, vimque Doctrinæ Angelicæ percipiens fertur interdum hæc in verba eripuiſſe. *Tolle, tolle* Thomam, *& diſſipabo Eccleſiam.*

Ioannes Calvinus. Sed omnium Sacramentariorum celeberrimus fuit *Joannes Calvinus*. Is anno 1509. *Novioduni* (quod eſt Oppidum *Picardiæ*) Patre *Gerardo Chauvino* Procuratore, & Epiſcopi Noviodunenſis Scriba, ac Matre *Ioanna Franca* parentibus Catholicis natus eſt. Lutetiam Pariſiorum cauſa ſtudiorum miſſus Præceptorem nactus eſt in Gymnaſio Marchiano *Maturinum Corderium*, qui poſteà ſectam Calviniſticam profeſſus, Genevę extinctus eſt eo ipſo anno quo *Calvinus*. In Gymnaſium deinde Montis acuti translatus ſub celebri quodam Profeſſore Hiſpano Philoſophiæ curſum emenſus eſt ipſi quaſi ſacris deſtinato Pater ab Antiſtite Noviodunēſi duo beneficia impetrarat, primò Sacellum Beatæ Marię Virginis de Partu in Eccleſia Cathedrali, deinde curationē Parochiæ Pōtis-Epiſcopalis propè Noviodu-

Ejus Studia. num. Sed Patris, Calvinique mutatus fuit animus. Itaque Clericalis vitæ profeſſione relicta, Aureliis ſub *Petro Stella* inſigni Juriſconſulto, qui poſtmodum Pariſienſis ſenatus Præſes fuit, Juriſprudentiæ ſtudio ſe applicuit. Inde *Bituriges* profectus magnum *Andream Alciatum* ex Italia illuc accitum, leges explicantem audivit. Cum ibi moraretur, in *Melchiorem Wolmarum* Germanum Rotvvilenſem incidit magno tam ſuo, quam totius Galliæ, univerſæque Reipublicæ Chriſtianæ detrimento. Erat *Wolmarus* Græcarum literarum Profeſſor, vir multæ eruditionis. Ille in Calvino juvene ſingularem animi in ſtudium propenſionem, firmitatem memoriæ, ſermonis elegantiam, aliaſque dotes animadvertens, ſedulo eum adhortari cœpit, ut ſe Theologię ſcientiarum Reginæ devoveret. Atque hic eſt ille *Wolmarus*, qui primus *Calvino* venenum Hæreſeos inſtillaſſe dicitur.

A Melchiore Wolmaro in urbe Bituricenſi ſuam haurit Hæreſim.

Interim Pater ejus vita Catholicè fungitur. Quare filius in Patriam revertitur; ibique duo illa Sacerdotia quæ Pater ei procurarat, pecunia vendit; Pariſioſque ſe confert.

Ea tempeſtate *Ioannes Morinus* rerum capitalium æquiſſimus judex, & inprimis Catholicus juſſu *Franciſci I.* repaguli inſtar ſe inundanti Hæreſi opponentis, ſeveriſſimam in Novatores quæſtionem exercebat, quam inter cæteros declinans Calvinus Pariſiis, e Collegio *Forteti* ubi Theologiæ vacabat, pannorum linteorum ope per feneſtram evadens, *Engoliſmam* ſeceſſit. Ibi triennium venditatione linguę Gręcę, cujus aliquam à *Wolmaro* notitiam hauſerat, & ſumptibus *Ludovici Tily* Canonici Engoliſmenſis commoratus, ſuos *Inſtitutionum* libros delineare cœpit, ex *Oecolampadio*, *Philippo Melanchthone*, aliiſque Sectariis magna ex parte compaginatos, ſed nova methodo, & caſtigatiori ſtylo exornatos. Cum verò ſua dogmata cum paucis ſpecie indagandę veritatis communicaſſet, animo cum Lutheranis Doctoribus conferendi Germaniam petiit cum *Tilio* amico ſuo, ubi cum *Eraſmus* eum de quibuſdam Religionis capitibus differentem audiviſſet, *Bucero* dixiſſe fertur: *Video hoc in juvene magnam oriri peſtem*

Engoliſmæ primò ſua aperit Dogmata.

In Germania confert cum Lutheranis.

peſtem plurimùm Eccleſiæ nocituram. At *Ludovico Tilio* per *Joannem* fratrem Senatus Pariſienſis Protonotarium à pernicioſa ſocietate avocato *Calvinus* in Galliam reverſus, *Pictavium* adiit, ibique cum nonnullis eruditis in horto congreſſus, ac de Religione, præſertim autem de Euchariſtia diſcurrens ſemina Hæreſis infudit auditorium animis. Hi in locis ſecretis per Pagos, & Villas frequentes convenire, ſe invicem verbis accendere, ex ore differentium pendere Miniſtrorum; Cœnam Calviniſticam celebrare cœperunt. Erumpente verò, magiſque increbreſcente naſcentis ſectę fama, *Calvinus* metuens, ne deprehenderetur; *Neracum* urbem Aquitaniæ ſeceſſit, ut ſub *Margaritæ* Navarræ Reginæ, *Franciſci* Regis Chriſtianiſſimi ſororis, novę doctrinę patrocinantis Præſidio tutus foret. Sed illic diù latitare non potuit, edicta enim Regia adverſus Novatores indies inſtaurabantur. Itaque ſupplicii metu Baſileam fugit, ibi quatuor libros *Inſtitutionum Chriſtianæ Religionis* (ut vocat) *Engoliſmæ* adumbratos, polivit, & in lucem edidit.

Pictavii in Galliam reverſus ſuam fortiùs imprimit incolis doctrinã. Metu ſupplicii latet Neraci apud Margaritam Navarræ Reginam.

Indè in Italiam profectus ad *Renatam* Ludovici XII. Regis Gallorum filiam, *Herculis* Ducis Ferrarienſis uxorem, ipſam Sacramentariis jam impensè faventem, ſectæ ſuę penitus adſtrinxit. Ex Italia pręInquiſitione ipſi, licet nomen *Happeville* induto, inhiante, in Galliam reverſus eſt: ibi rebus omnibus compoſitis *Genevam* pervenit, quę Civitas tum à Sabaudię Ducis obedientia, tum à Religione Catholica ad Sacramentarios defecerat, *Guilielmi Farelli* Delphinatis opera. Hic eam *Farellus* retinuit, curavitque, ut & verbi Miniſter, & Theologię Profeſſor à Magiſtratu eligeretur, ſed obortis quibuſdum diſſidiis, *Geneva* in exilium pellitur. Unde *Argentoratum* ſe recipit, ibique docet. Eo tempore *Ioannis Storder*, Leodienſis Anabaptiſtę Viduam *Ideletam* nomine ad profeſſionem ſuam traductam, uxorem duxit, ex qua nullos ſuſcepit Liberos. Tandem *Genevam* reverſus omnem ibi Sectę ſuę diſciplinam conſtituit, probante Senatu, legeſque pręſcripſit, à quibus poſteà diſcedere nec ipſis Miniſtris, nec civibus liceret. Hęc eſt illa celebris *Geneva*, ubi & ſuum

Fugit Baſileam ibique edit libros Inſtitutionum. In Italiam profectus redit in Galliam. Tendit Genevã. Inde pellitur. Argentorati uxorem ducit.

Genevam revertitur ibique figit Domicilium ſuum & ſecta Theatrum.

ſuum ad mortem uſque domicilium, & ſectæ ſunt Theatrum *Calvinus* fixit. Ex hac Urbe ſuos quaquaverſum novitatis præcones miſit, diffudit, vibravit miniſtros. Sola Pyrenæorum, & Alpium juga non tam præruptarum anfractibus viarum, quàm vigili Inquiſitione munita Calvianos ſtitere impetus.

Hiſpania, & Italia ab Hæreſi immunes. Turba in Gallia ob Hæreſim

Gallia præ reliquis Europæ partibus, diris fuit turbis & procellis agitata. Dum ſupererant *Franciſcus I.* ejuſque filius *Henricus II.* non audebat Hæreſis prodire in medium, & aperto marte contendere: in locis abditis ſua ſpargebat dogmata: dum verò *Franciſcus II. Henrico* Patri anno ætatis 16. Chriſti autem 1559. ſubrogatur; illa, Oceani inſtar, omni rupto obice florentiſſimum Regnum, novitatibus, diſcordiis, odiis, bellis atrociſſimis involuit.

Potiſſima incendiorum fax, malorumque artifex fuit *Ioanna* Navarræ Regina, *Margaritæ* per victricem Dei gratiam fidei, quam deſeruerat, immortuæ filia, Quàm validum eſt fœmina, & ad virtutes, & ad vitia inſtrumentum! *Clotildis*, converſo *Clodovæo* veram fidem Gallis peperit, *Ioanna* natam à tot ſæculis conſervatamque fidem omnibus viribus extinguere molita eſt, Solebat illa ſuos, ſi quandoque in ſecta vacillarent, ad illam retinendam inflammare. Illa *Ludovicum Borbonium* Principem Condæum ad arma, prima data opportunitate, pro Reformatione, ut ajebat, capeſſenda accendit.

Colloquium Piſciacenſe.

Dum hæc geruntur. Piſciaci (*Poiſſy*) Catholicos inter & Hæreticos de controverſiis fidei ſub *Carolo IX.* qui *Franciſco II.* fratri ſuo ſucceſſerat, ſolemne habetur colloquium: in eo de *Sectariis* ingenii vi, eruditionis ubertate, eloquentiæ efficacia, & cauſæ meritis potiſſimùm triumpharunt Cardinalis à Lotharingia & *Didacus Lainez* Societatis Jeſu Prępoſitus Generalis.

Victoria Catholicorum de ſectariorum exercitu

Sed cum illi nihilominùs probatę veritati non acquieſcerent, res ad arma deducitur. Multis præliis victi potiùs, quàm domiti ſunt rebelles, quorum tria fuere pręcipua; primum ad Oppidum Drocas (*Dreux*) in quo Princeps Condæus à Franciſco Guiſio Catholicarum Partium Duce captus eſt anno 1561. Secundum ad Jar-

Jarnacum (*Jarnac*) in Santonibus, quo, ducente Catholicos *Henrico* Caroli Regis fratre, idem Condæus occubuit. Anno 1569. tertium certamen in Pictonibus ad urbem Monconturium (*Moncontour*) eodem & anno, & Duce Catholico commiſſum eſt. Cæſi fuere magno numero perduelles.

Mors Calvini.

Paucis ab annis ante, ſcilicet 1564. 27. May *Calvinus* graviſſimis morbis oppreſſus *Genevæ* objerat. Vixit annos quinquaginta quatuor, menſes decem, dies ſeptemdecim.

Comparatio Calvini cum Luthero in doctrina & moribus.

Juvat hìc audire Spondanum ad annum 1554. *Calvinum* cum Luthero conferentem. *Fuit Luthero Calvinus acumine ingenii præſtantior, & ut doctrina in quibuſdam, ita & in moribus diſſimilis ei. Quippe natura Melancholicus, & taciturnus, cibi, & potus abſtinens ob ventriculi debilitatem, & hemicraniam, quibus laborabat, ideòque tenui, & macilento corpore: ſummam in geſtibus affectans gravitatem, diſſimulandi artifex eximius, non minus conſilio, quam audacia promptus. Lutherus autem craſſo corpore, genio indulgens per ſummam hilaritatem tempus tranſigebat, nec linguam moderabatur; nihil ſæpe celabat, ſed quæcumque animus ſuggerebat, evomebat. Fuit Lutherus Orator, cum diſertus patria lingua, tum vehemens. Calvinus nulla actionis elegantia inſtructus, tædium ſæpe afferebat, latinè verò ſcribendi laude excelluit. Lutherus denique Religionem craſſiorem, & pinguiorem, Calvinus ſubtiliorem commentus eſt.*

Nova procella in Gallia.

Interim tot licet præliis attriti in Gallia *Sectarii*, conteri tamen, ac fidei, Regique ſubiici non potuere. Sub *Henrico III.* vires recuperarunt, illorum partes propugnante, & obtenta Catholicis trophæa extorquente *Henrico* Navarræ Rege. Victorias proſequitur ex Navarræ etiam Galliarum Rex *Henricus IV.* Sed eo tandem per ſingularem Dei Clementiam ex errorum tenebri eruto, facies alia Galliis illuxit. Sub *Ludovico XIII.* hæreſis caput attollere auſa eſt, *Rupellámque* cum ſectæ, tum Rebellionis ſedem elegit. Urbem illam ad æſtuaria Oceani ſitam, & loci natura, arteque munitiſſimam Rex anno 1627. aggreſſus eſt; & conſiliorum participe celeberrimo Cardinali *Armando de Richelieu*, operibus

ribus, ac munitionibus, interque cætera ſtupendis per Oceanum actis molibus, interclusam ita anno ſolido tenuit, ut fame enecti cives, extremaque perpeſſi omnia, Regi ſe ſubdiderint. Exinde populatim rebelles ad officium rediere, Hæreſis tamen extirpari non potuit. Quare *Ludovicus Magnus* publicum Calviniſtis ſuæ Religionis exercitium, quod temporum calamitas per edictum *Nannetenſe* 1598. eis indulſerat, & ſuæ, & ſubditorum conſulens conſcientiæ anno 1685. ſolemniter interdixit. Plures doctrinam Acatholicam abjurarunt; alii in Angliam, Hollandiam, Helvetiam, ſeſe contulerunt, ibique fidem ſuam profitentur.

Calviniſtis interdictur Religionis exercitiū in Gallia. Migrant aliò.

Cæterùm etiam vivente Calvino, illius inter Sectatores ſe variis diſtinxere dogmatibus *Sebaſtianus Caſtellio*, *Joannes à Laſco*, *Henricus Bullingerus*, & *Petrus Boquinus*.

Sebaſtianus Caſtellio.

Sebaſtianus Caſtellio Delphinas *rem indifferentem* ducebat *eam ſequi Religionem, quam quiſque voluerit*.

Præterea ſentiebat, *Canticum Canticorum eſſe colloquium, vel cantilenam impudicam Salomonis cum Amaſia quadam ſua*; adeò ut illud palam juſſerit ex Canone abradi non ſine atrocibus in eos convitiis, qui obnitebantur.

Joannes à Laſco.

Joannes à Laſco, ſeu *de Laski* nobilis Polonus ex Epiſcopo Lutheranus, & ex Lutherano Sacramentarius, pręter multiplices extortas expoſitiones ſacratiſſimorum verborum, *hoc eſt Corpus meum*, Baptiſmum prorſus rejecit, *eum in idololatriam converſum eſſe* cauſatus. Quę ſententia etiam ſuis horrori fuit.

Henricus Bulingerus.

Henricus Bulingerus ex Municipio *Bremgarten* in Helvetia propè urbem *Tigurum* (Zurich) inter immoderationes Calviniſtarum palmam tulit in puncto *Antichriſti*, à cujus puncti vibratione in Romanum Pontificem, modò abſtinent ſedatiores, & potiores Miniſtri.

Petrus Boquinus.

Petrus Boquinus natione Gallus, Patria Bituricenſis docuit, *Chriſtum non eſſe pro omnibus peccatoribus crucifixum, ſed tantum pro fidelibus: hoſque ſolos Corpus ipſius manducare*.

Hoc

Hoc nomine vocantur illi, qui deſcenſum Jeſu Chriſti ad inferos negant, hoc eſt, ad limbum Patrum ſecundùm animam: affirmantque Chriſtum ſecundùm Corpus duntaxat deſcendiſſe, *quieſcendo in ſepulchro*; inferni utique nomen *ſepulchro* attribuentes. Talis interpretationis Author fertur fuiſſe famoſus Theodorus *Beza*. *Sepulchrales Authore Beza.*

Nicolaus Gallus, & Jacobus Smidelinus Calviniſtæ docuerunt, *Chriſtum deſcendiſſe uſque ad locum damnatorum, ibique in anima ſua dira damnatorum tormenta perpeſſum eſſe*. *Nicolaus Gallus, & Jacobus Smidelinus, Infernales.*

Hoc ſibi nomen aſſumpſit ſecta quædam Calviniana in Surria comitatu Angliæ orta Duce quodam *VVitro*. *Uncti Anglicani.*

1. Ajebant, *neminem peccare, niſi eos, qui ſuam doctrinam non reciperent, quam veritatem appellabant*.

Paradoxum refutatione indignum, & laborans petitione principii.

2. Aſſerebant, *eum cui ſemel remiſſa ſunt peccata, non ampliùs peccare*.

Porrò Calviniſtarum tres aliæ pręcipuę eminent ſectę. Prima eſt eorum, qui *Calvinum* adamuſſim ſequuntur. Altera eſt *Anglo-Calvinianorum*. Tertia *Arminianorum*. *De his* ſeculo ſequenti. Sub prima continentur *pſeudo-Reformati* in Anglia, Scotia, fœderato Belgio, Helvetia, quibuſdam Polonię, Hungarię, Tranſylvanię partibus. Solebant & illi in Palatinatu hęrere, ſed à tempore, quo Sereniſſimi Electores Palatini ad Eccleſiam reverſi ſunt, multùm eorum numero, vigori, & authoritati detrahitur. In Anglia, & Scotia (hęc ſubverſionem ſuam debet anno 1559. *Ioanni Knoxo* Apoſtatę) Calviniſtę vocantur *Puritani*, quod *purum*, putum ſectentur Calviniſmum. *Puritani*

Anglo-Calviniani à *pſeudo-Reformatis* cum in diſciplina, tum in dogmatibus differunt. Admittunt Eccleſiam debere conflari ex Archi-Epiſcopis, Epiſcopis, Decanis, aliiſque gradibus Eccleſiaſticę Hierarchię. Varios recipiunt Catholicorum ritus, Altaria, Cereos, Superpellicea. Liturgiam ſuo ritu celebrant diebus ſacris, & in eadem Litaniam recitant diebus Mercurii, & Veneris. Feſta quędam colunt, *ut Purificationis Deiparæ*, *Anglo-Calviniani, ſeu Eccleſia Anglicana.*

paræ S. Michaelis Archangeli, S. Georgii Martyris, & nonnulla alia. Crucem non ſolùm honorant, ſed etiam ejus ſignum Sacramentis,& in primis Baptiſmo adhibent. Denique, *Regem ſummum Eccleſiæ Anglicanæ caput agnoſcunt*. Iſta verò omnia reſpuunt, & reiiciunt *Puritani*.

Hi quoque appellantur *VVighii*, ſeu vulgo VVigs. Anglo-Calviniani autem Torii, ſeu Torys; odium inter eos fervet implacabile.

Errores *Calviniſtarum* vide ſub finem operis.

Antitrinitarii. Antitrinitariorum parens eſt *Michael Servetus* Hiſpanus, Tarraconenſis. Hoc monſtrum quidem genuerat, ſed tamen non tulit Hiſpania errorum, & erronum expultrix. Alio profectus eſt Michael. Varias terras luſtrans, Lutetiæ Pariſiorum Medicinæ operam dedit, inde ut Arabicam linguam addiſceret, miris præludens portentis, in Africam trajecit. Ex Africa reverſus A- *Michael Servetus* nabaptiſta primum fuit, Baptiſmum *parvulorum* velut humanum figmentum ſugillans. Deinde ad *Sacramentarios* declinavit. Mox librum edens cui titulus *de Trinitatis erroribus*, tota in illam fuit impietate invectus. Nullam in Deo perſonarum diſtinctionem admittens appellabat Trinitatem triceps monſtrum (horreſco referens), cerberum quemdam tripartitum, imaginarios Deos, illuſiones, ac tres Spiritus Dæmoniorum. Immanes blaſphemias non impunè protulit *Servetus*. Exiſtens enim Genevæ, & accuſatus à *Calvino*, in carcerem projectus fuit, cumque nihil de obſtinatione re- *Vivus Comburitur.* mitteret, urgente *Calvino*, ex Senatus Genevenſis ſententia, ultricibus flammis vivus traditus eſt 27. Octobris anno 1553.

Ne verò *Calvino* hujus ſupplicii invidia conflaretur; ſcriptis oſtendit, rectè à Magiſtratu in *Hæreticos* ſtringi poſſe mortis ſententiam. Cur igitur & malè tulerunt & hodiedùm malè ferunt *Sectarii* pœnam mortis decerni in quoſcumque *Hæreticos*?

Cum eo, quo conſumptus eſt igne, non eſt extincta *Serveti* Hæreſis. Poloniam enim, Hungariam, & Tranſylvaniam invaſit Ducibus *Valentino Gentili*, *Georgio Blandrata*, *Alciato*, *Bernardino Ochino*, & *Franciſco*

ciſco Davidis, de quibus hìc breviter.

Valentinus Gentilis natione Italus, Provincia Calaber, Patria. Coſentinus ex Italia profugus, quæ ut Hiſpania, nullà patitur in fide monſtra; & tantiſper *Genevæ* ſubſiſtens; mirari ſe dixit, cur Calviniſtæ, & Lutherani in rebus minoris momenti litem Eccleſiæ moverint, puta, circa Sacramenta, Purgatorium, Jejunia, & ſimilia, in primo autem fidei myſterio, ſcilicet in *Trinitate* convenirent. Unde terribiles in illam jaculatus eſt blaſphemias. Quare in carcerem truſus eſt. Sed cum fictè ejuraſſet errores, dimiſſus ad *Gribaldum* Juris conſultum Patavinum ejuſdem ſectè aſſeclam in Sabaudia tunc commorantem confugit. Indè in Poloniam tetendit illuc à *Georgio Blandrata*, & *Alciato* evocatus. At Rege Poloniæ Sigiſmundo Auguſto, ut perturbatæ in Regno ſuo Religioni ſuccurreret, anno 1566. edictum promulgante, ut omnes peregrini dogmatis authores Polonia excederent, exceſſit & *Gentilis.* Obtulit tamen priùs Regi librum, in cujus præfatione conqueſtus eſt, monſtruoſas, & profanas voces in Eccleſiam invectas eſſe, ut ſunt *Perſona*, *Eſſentia*, *Trinitas*, quibus omnia divina myſteria pervertantur. In iſto libro inter cætera ait; *Trinitatem eſſe merum humanum commentum: ſolùm Patrem unum illum Deum eſſe, qui in Scripturis unus, & ſolus Deus dicitur: Filium a Patre quidem eſſe, ſed ei ut eſſentiatori ſubordinatum; Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, non ſolùm quoad perſonas, ſed etiam quoad eſſentiam diviſos eſſe, ita ut tres ſint eſſentiæ, ſicut tres Perſonæ, tres æterni, tres omnipotentes, ſanctique Athanaſii Symbolum, quod aliter ducet, dicendum eſſe potiùs Satanaſium.* Ex Polonia in Sabaudiam revertens, *Bernæ* in Helvetia comprehenſus eſt, cumque nulla ratione à pervicacia avelli poſſet, capite plexus.

Valentinus Gentilis.

Capite plectitur.

In ferali pegmate conſtitutus jactitavit, cæteros Martyres pro Chriſto occubuiſſe, ſe autem mori pro *gloria, & eminentia Patris.*

Georgius Blandrata Salucienſis Subalpinus, Profeſſione Medicus, Inquiſitionem *Ticini* in Italia ſibi imminentem fugiens tum in Polonia, tum Tranſylvania impieta-

Georgius Blandrata.

tis Antitrinitariæ venenum pluribus infudit, dum curat corpora, perfidè interimens animas. Tandem trucidatus eſt in Tranſylvania ab uno cognatorum ſuorum, qui bona ejus diuturno deſiderio devorabat.

Alciatus. Joannes Paulus Alciatus Mediolanenſis, militiæ ſe dederat; cùm aliis poſteà in Trinitatem blaſphemiis vinculo impietatis junctus, ſed à Sigiſmundo Rege è Polonia extorris ad Mahometanos defecit. Apud eos miſerrime interiit.

Bernardinus Ochinus. Bernardinus Ochinus Senenſis, Ordinis Capucinorum aliquot annis cultor, atque etiam Moderator, ac denique deſertor, *Serveti* quoque peſte infectus fuit. Dum in Ordine aſperrimam vitam duceret, & mirabili fervore Verbum Dei diſſeminaret, a *Valdeſio* Juris-conſulto Hiſpano, qui in Germania Lutheraniſmum hauſerat, Neapoli in tranſverſum actus, cum præfato Petro Vermilio *Martyre* dicto ex Italia profugit. Publicis nuptiis cum abducto ſecum ſcorto contractis, ex urbe *Geneva* (quo appulerat) Apologiam de fuga ſua ad Pontificem ſcripſit, gravem calumniis in ſedem Apoſtolicam. Quam ſectam eligeret, ambigens, tandem *Serveti* blaſphemiis corruptum intellectum affixit. Sed cum doctrinam illam *Genevæ* (ubi eam *Servetus* igne luerat) profiteri non auderet, Tigurum petiit, indè paulò poſt ejectus; itidemque Baſilea, unà cum *Petro Martyre* in Angliam conceſſit: at ſub Maria Regina Catholica ex eo Regno pulſus in Germaniam, Poloniam, ac Tranſylvaniam migravit, ibique dogmata in lucem emiſit perpetuis digniſſima tenebris.

Ultra oppugnatam ab eo Sanctiſſimam Triadem, aſſeruit quoque *licitam eſſe modò Polygamiam*.

Eum immenſa Dei benignitate ante mortem reſipuiſſe, & in Eccleſiæ gremio, abjuratis hæreſibus, expiraſſe Annales Capucinorum multis diverſorum Authorum teſtimoniis affirmant. Alii Scriptores id negant, ut, ut eſt, *Ochini* pœnitentia problema eſto.

Franciſcus Davidis. Franciſcus Davidis (ejus Patria ignoratur) Lutheranus, Calviniſta, poſtremò *Serveti* impietate involutus; eadem plures Tranſylvanos immerſit. Diu ſectæ

Prin-

Princeps habitus, ſub *Stephano Bathori* Catholico Principe in carcerem conjectus eſt, in quo mente captus miſeram efflavit animam.

Porrò celebrius apud *Antitrinitarios* fuit *Lælii* & *Fauſti Socinorum* nomen, à quibus Secta hodiedùm appellatur *Socinianorum*. Uterque fuit Senis oriundus. Lælius admodùm adoleſcens, annum ſcilicet agens alterum, & vigeſimum Patriam (in qua tutus eſſe non poterat) anno 1547. reliquit. Proximo quadriennio Galliam, Angliam, Belgium, Germaniam, ipſam quoque Poloniam emenſus, Tiguri in Helvetia ſedem fixit. Peritus diſſimulandi artifex, quam à *Serveto* deprompſerat, hæreſim, eo combuſto, occultavit. Paucos infecit Italos per Germaniæ, ac Poloniæ regiones (Hereſi *Alpes* tranſgredi non licebat) diffuſos. Obiit *Tiguri* anno 1562. ætatis 37.

Sociniani.

Secta Conditores.

De Lælii obitu certior redditus Fauſtus Socinus ipſius Nepos Patrui ſcripta ſibi vendicavit, totumque exerens animum, in Tranſylvaniam potiſſimùm, & Poloniam tum ore, tum ſcriptis majorem ignem ſpirantibus hæreſim extendere ſtuduit.

Præter bellum, quòd *Socini* moverunt SS. Trinitati, ſuſtinuerunt etiam, *Chriſtum eſſe purum hominem, dici autem Verbum Dei, quia verba Dei annuntiavit, quomodò Ioannes dicitur vox*. Unde redintegrarunt blaſphemias *Cerinthi*, *Pauli Samoſateni*, *Arii*, *Photini*, aliorumque, qui ejus divinitatem inficiati ſunt.

Docuerunt quoque, *hominem ante lapſum non habuiſſe juſtitiam Originalem*.

Obiit *Fauſtus Socinus* prope Cracoviam in Polonia anno 1604. De illo ejus aſſeclæ canere ſolent.

Tota urbis Babylon deſtruxit tecta Lutherus,
Muros Calvinus, ſed fundamenta Socinus.

Impia dogmata hodiedùm præfatis in locis radices agunt, nec ea evellere Principum authoritas, Paſtorumque vigilantia huc uſque potuit. Graſſantur etiam per Hollandiam, nec ab iſta doctrinæ lue immunis eſt Britannia; jam dudum illa ſuperato mari ejus viſcera occupat.

Errores quorumdam Lutheranorum, Philippi Melanchthonis.

Refelluntur Errores Sæculi decimi-ſexti.

Cum errores *Lutheri*, & *Calvini*, ſeu *Sectariorum*, (ita modò communiter illorum ſectatores nuncupantur) fini operis reſervemus, hìc ſolummodò aliorum refellemus dogmata hoc ſæculo recenſitorum.

Legitimæ Eccleſiæ, & Conciliorum conſtitutiones, jejunia, & ſimilia ejus ſunt generis, ut liberum ſit unicuique vel uti, vel non uti ſine ſalutis diſcrimine.

D. Thomas 2. 2. q. 5. art. 3. *Qui inhæret doctrinæ Eccleſiæ, tanquam infallibili regulæ*, omnibus *aſſentit, quæ Eccleſia docet: alioquin ſi de his, quæ Eccleſia docet, quæ vult, tenet, & quæ non vult, non tenet. non jam inhæret Doctrinæ Eccleſiæ ſicut infallibili regulæ, ſed propriæ voluntati*. Unde conſtitutiones Eccleſiæ, & Conciliorum, jejunia, & ſimilia non ſunt ejus generis, ut liberum ſit unicuique iis vel uti, vel non uti ſine ſalutis diſcrimine. Omnibus omnino, quę Eccleſia nobis credenda proponit, adhibenda eſt fides. Nihil hìc eſt pro libitu à quopiam vel admittendum vel reſpuendum. Alioquin talis non inhæret doctrinę Eccleſiæ, ſicut infallibili regulæ, ſed propriæ voluntati & opinioni. Proinde ſicut vera juſtitia ad ſalutem requiſita debet ſe extendere ad obſervationem *omnium* mandatorum, *qui* enim *offendit in uno, factus eſt omnium reus*, Jacobi 2. ita etiam vera fides debet ſe extendere ad *omnia* divinitùs rȩvelata, atque ut talia ab Eccleſia propoſita. Vide hoc infra fuſiùs circa Epilogum operis.

Error Flacci Illyrici.

Peccatum Originis eſt ipſa ſubſtantia animæ rationalis.

D. Thomas 1. 2. q. 79. art. 1. *Sapientiæ* 1. *Dicitur, nihil odiſti eorum, quæ feciſti: odit autem Deus peccatum ſecundum illud Sapientiæ* 14. *Odio ſunt Deo impius, & impietas ejus, ergo Deus non eſt cauſa peccati cujuſcumque*. Sequeretur autem, ſi hæc vera foret aſſertio, Deum eſſe cauſam, vel authorem peccati Originalis: anima enim utpote per creationem facta, ſolùm cauſatùr à Deo, proinde ſi ſeipſa ſit mala moraliter mali-

malitia originali, Deo talis malitia attribuenda erit. Quanta blaſphemia!

Bona opera ſunt homini ad ſalutem pernicioſa. Error Nicolai Amſdorphii.

D. Thomas 1. 2. q. 114. art. 1. *Dicitur Jerem.* 31. *Eſt merces operi tuo.* Et ad Titum 3. *Curent bonis operibus præeſſe, qui credunt Deo, hæc ſunt bona, & utilia* hominibus. Denique ad Rom. 2. *Reddet* (Deus) *unicuique ſecundùm opera, iis quidem, qui ſecundùm patientiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt*, vitam æternam.

Bona opera ſunt univerſim ad ſalutem neceſſaria, etiam infantibus.

D. Thomas 1. 2. q. 5. art. 7. ad 2. *Pueris Baptizatis ſubvenit meritum Chriſti ab beatitudinem conſequendam: licet eis deſint* merita propria, *eò quòd per Baptiſmum ſunt Chriſti membra effecti.* Error Georgii Majoris.

Ad bona opera divinæ legis non obligantur homines Evangelici. Error Joannis Agricolæ ſeu Antinomorum.

D. Thomas. 1. p. qu. 23. art. 4. *Dicitur* 2. *Petri* 1. (En tempore legis Evangelicæ) *ſatagite, ut per* bona opera *certam veſtram vocationem, & electionem faciatis.* Et Jacobus Apoſtolus cap. 2. *Fides ſine operibus* (inquit) *mortua eſt.*

1. *Homo juſtificatur eadem juſtitia, qua Deus eſſentialiter juſtus eſt.* Errores Andreæ Oſiandri.

D. Thomas 1. 2. q. 110. art. 2. *Gratia* (per quam homo juſtificatur) *eſt forma accidentalis animæ.* Deus autem eſt ſubſtantia. Unde *quod ſubſtantialiter eſt in Deo, accidentaliter fit in anima participante divinam bonitatem.* Proinde homo non juſtificatur eadem juſtitia, qua Deus eſſentialiter juſtus eſt. Hinc dicitur etiam Pſalmo 50. *Cor mundum* crea *in me Deus.* *Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis.* ad Epheſ. 2. & 4. *Unicuique noſtrum data eſt gratia ſecundùm menſuram donationis Chriſti.* Noſtra igitur juſtitia non eſt eſſentia, ſed creatum aliquod Dei donum.

2. *Chriſtus eſt juſtificator humani generis ſecundùm ſolam divinam ipſius naturam, excluſa humana.*

D. Thomas 3. p. q. 64. art. 3. *Paſſio Chriſti, quæ com-*

competit ei ſecundùm humanam naturam, cauſa eſt noſtræ juſtificationis & meritoriè, & effectivè modo ſtatim explicando. Unde dicitur 1. ad Timoth. 2. *Unus Mediator Dei, & hominum* homo *Chriſtus Jeſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.*

Error Franciſci Stancari.

Chriſtus Dominus eſt juſtificator noſter ſolummodò ſecundùm humanitatem, excluſa natura divina.

D. Thomas ibidem, & art. 1. *Paſſio Chriſti.. cauſa eſt noſtræ juſtificationis & meritoriè, & effectivè non quidem per modum principalis agentis, ſed per modum inſtrumenti, in quantum humanitas eſt inſtrumentum divinitatis ejus..* unde principaliter Deus eſt, qui juſtificat, ad Rom. 8.

Error Andreæ Muſculi.

Divina Chriſti natura unà cum humana in Cruce eſt mortua.

Solvitur ex dictis ad errorem 2. *Oſiandri*. Vide etiam ſub finem ſæculi 5. errorem *Petri Fullonis*, quem reſuſcitavit *Muſculus*.

Errores Joannis Br. ntii ſeu Ubiquitariorum Patris.

1. *Baptiſmus non omnia delet peccata, cum ſuperſtes ſit concupiſcentia, quæ peccatum eſt.*

D. Thomas 3. p. q. 69. art. 1. *Apoſtolus dicit Rom. 6. quicumque Baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius Baptizati ſumus; & poſtea concludit, ita & vos exiſtimate, vos mortuos quidem eſſe peccato, viventes autem Deo in Chriſto Jeſu Domino noſtro. Ex quo patet, quòd per Baptiſmum homo moritur vetuſtati peccati; & incipit vivere novitati gratiæ. Omne autem peccatum ad priſtinam vetuſtatem pertinet. Unde conſequens eſt, quod* omne peccatum per Baptiſmum tollatur.

Concupiſcentia autem carnis contra Spiritum (quæ poſt Baptiſmum remanet) *quando ratio ei actualiter reſiſtit*, non eſt peccatum, *ſed materia exercendæ virtutis*. 1. 2. q. 80. art. 3. ad 3.

2. *Corpus Chriſti èſt ubique ex vi unionis perſonalis, adeòque & in pane ante Conſecrationem, & verba Chriſti, hoc eſt Corpus meum, ſunt verba diſpenſationis ſignificantia diſtributionem Corporis, & Sanguinis jam præſentis.*

D. Thomas 3. p. quæſt. 52. art. 3. *Chriſtus ubique eſt ratione naturæ divinæ, .. non humanæ*. Idque pro ſecunda parte conſtat ex clariſſimis verbis Evangelii

Joa. 6.

Joan. 6. *Cum vidiſſet turba, quod Ieſus non eſſet ibi, neque Diſcipuli ejus, aſcenderunt in naviculas, & venerunt Capharnaum quærentes Ieſum.* Et *Marci* 16. *Ieſum quæritis Nazarenum Crucifixum: ſurrexit, non eſt hic.* Certè qui non eſt *hic*, non eſt ubique. Et ſimiliter, qui non erat ibi, ubi turba eum quærebat, non erat ubique.

Idem liquet ex decurſu totius Evangelii, & Symboli Apoſtolici, nam ex utroque patet, Chriſtum ſe undum humanitatem ſępe locum mutaſſe, ac primò fuiſſe in utero materno, deinde extra uterum in ſtabulo, mox in Ægypto; iterum ex Ægypto rediiſſe, habitaſſe cum Joſepho & Maria in Nazaret; aſcendiſſe cum illis Hieroſolymam ad Templum; inde in Galilæam reverſum eſſe; iviſſe ad Jordanem, ut Baptizaretur à Joanne; mox in deſertum ſeceſſiſſe, ac deinde mutato identidem loco, nunc fuiſſe in Judæa, nunc in Galilęa, nunc in Samaria: nunc in ultima cœna, mox in horto, poſteà ductum eſſe ad Caipham, & Herodem, inde ad montem Calvarię: denique pependiſſe in Cruce, poſitum fuiſſe in ſepulchro, reſurrexiſſe, ad Cœlos aſcendiſſe. Quæ omnia manifeſtè docent, eum quoad Corpus non fuiſſe ubique. Nam ſi ſecundùm humanitatem fuiſſet Chriſtus ubique ſicut ſecundùm divinitatem eſt ubique, non potuiſſet de loco in locum migrare qui enim eſt ubique, non mutat loca.

At hìc videor audire *Brentium* dicentem; Corpus Chriſti non fuiſſe nec eſſe ubique ſecundùm ſe ſumptum ſecus verò, ut *unitum Verbo*. Dum enim duæ res inſeparabiliter, & indiſtanter inter ſe unitæ ſunt, tunc ubi eſt una, ibi etiam eſt altera. Humanitas autem Chriſti & perſona Verbi ſunt inſeparabiliter, & indiſtanter inter ſe unitæ, itaque ubi eſt perſona Verbi, ibi eſt humanitas Chriſti: at perſona Verbi eſt ubique, ergo & humanitas Chriſti eſt ubique. *Obiect.*

Sed hæc Reſponſio facilè convellitur. Unio enim duarum rerum inſeparabilium & indiſtantium non requirit, ut ubicumque eſt una, ibi ſit altera: ſed ſolùm ut alicubi ſint ſimul, & non diſtent. Si enim nullibi eſſent ſimul, jam eſſent ſeparatæ, & diſtantes. Hoc patet in anima, & capite Chriſti, quæ inſeparabiliter, & *Reſp.*

 indi-

indiſtanter unita ſunt; & tamen non ubicumque eſt anima, ibi eſt caput, cum anima ſit v.g. in pedibus, & manibus, ubi caput non eſt. Sunt tamen alicubi ſimul, & non diſtant; quod ſatis eſt ad unionem. Hæc proportionabiliter divinitati, & humanitati Chriſti applicanda ſunt. Divina & humana natura ſunt inſeparabiliter in Chriſto unitæ. Hæc in Cœlo localiter eſt cum divina. At ſicut in allato exemplo, ubicumque eſt anima Chriſti, ibi non eſt caput, licet inſeparabiliter unita ſint, ita licet ejus divinitas ſit in omni loco ſeu ubique, non tamen humanitas quamvis Verbo unita eſt ubique: proinde illa non eſt in pane ante Conſecrationem. *Corpus Chriſti incipit eſſe in hoc Sacramento per Conſecrationem; & converſionem ſubſtantiæ panis in ipſum*. 3. p. q. 76. art. 5. ad 1.

Ex dictis de ſe ruunt ultimæ particulæ propoſitionis. Sanè verba Chriſti *hoc eſt Corpus meum*, non ſunt verba diſpenſationis ſignificantia diſtributionem Corporis, & Sanguinis jam præſentis, ſed efficiunt ipſam Corporis, & Sanguinis Chriſti præſentiam. Verba Chriſti citata convertunt Panem in Corpus Chriſti. *D. Thomas* 3. p. q. 78. art. 4. ad 2.

Error Joannis Spanebergi.

Nihil eſt diſcriminis inter conſilia, & mandata.

D. Thomas 1. 2. q. 108. art. 4. *Præcepta intelliguntur eſſe data de his, quæ ſunt neceſſaria ad conſequendum finem æternæ beatitudinis: conſilia verò oportet eſſe de illis, per quæ meliùs, & expeditiùs poteſt homo conſequi finem prædictum*. Proinde *eſt differentia inter conſilium, & præceptum*.

Ut verò nihil dicam de conſiliis Evangelicis, multa certè ſunt, quæ nobis Dominus conſulit, licet ea non præcipiat. Ex pluribus, delibemus duntaxat reſponſum Angelici ad 4. *Ea, quæ de vera dilectione inimicorum Dominus dicit Matth.* 5. *& Lucæ* 6. hiſce verbis: *diligite inimicos veſtros; ſi referantur ad præparationem animi, ſunt de neceſſitate ſalutis: ut ſcilicet homo ſit paratus benefacere inimicis; & alia hujuſmodi facere, dum neceſſitas hoc requirit, & ideò inter præcepta ponuntur. Sed ut aliquis inimicis hoc exhibeat promptè in actu, ubi ſpecialis neceſſitas non occurrit, pertinet ad conſilia.*

ſilia. Datur igitur rurſus diſcrimen inter conſilia, & mandata, ſeu præcepta.

Scripturæ Sacræ non eſt attendendum, utpote quæ non ſit Verbum Dei. Error Svvenckfeldii.

D. Thomas 1. p. q. 1. art. 10. *Author Scripturæ Sacræ eſt Deus*. Et 1. ad Theſſal. 2. dicitur. *Cum accepiſſetis à nobis Verbum auditus Dei accepiſtis illud non ut Verbum hominum, ſed* (ſicut eſt vere) Verbum Dei.

1. *Pueri non ſunt Baptizandi, ſed tantùm adulti rationis capaces.* Errores Anabaptiſtarum.

D. Thomas 3. p. q. 68. art. 9. *Apoſtolus dicit Rom. 5. Si unius delicto mors regnavit per unum, ſcilicet per Adam, multò magis abundantiam gratiæ, & donationis, & juſtitiæ accipientes, in vita regnabunt per unum Jeſum Chriſtum: pueri autem ex peccato Adæ peccatum originale contrahunt; quod patet ex hoc, quod ſunt mortalitati ſubjecti quæ per peccatum primi hominis in omnes pertranſit, ut Apoſtolus ibidem dicit, undè multò magis pueri poſſunt per Chriſtum gratiam accipere, ut regnent in vita æterna. Ipſe autem Dominus dicit Joan. 3. quod niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Unde neceſſarium fuit pueros Baptizari, *ut ſicut per Adam damnationem incurrerunt naſcendo, ita per Chriſtum ſalutem conſequuntur renaſcendo.*

At puer, inquiunt Anabaptiſtæ, nequit credere, requiritur autem fides ad Baptiſmum juxta illud Marci 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Qui igitur puer capax eſt Baptiſmi? Object.

Sed audiatur Angelicus ad 3. *Puer cum baptizatur, non per ſeipſum, ſed per* alios credit. Sicut enim ſine propria voluntate labem orginalem contraxit, ita ſine propria voluntate, & fide, à labe purgatur. Reſp.

At ab iiſdem obiicitur ex Matth. 28. *Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris &c.* Pueri autem ob defectum ætatis non ſunt capaces doctrinæ, ergo nec Baptiſmi. Object.

℞. Illud intelligendum eſſe de Baptiſmo adultorum, non excludendo tamen aliunde Baptiſmum parvulo- Reſp.

rum, qui potiſſimùm colligitur ex citatis verbis Joan. 3. *Niſi* qui renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, *non poteſt introire in Regnum Dei*.

Suffragatur etiam poſt Scripturam Sacram Baptiſmo parvulorum perpetua Eccleſię *Traditio*, cui ſtandum eſt juxta verba Scripturę, ad quam adverſarii ſemper unicè appellant. *State & tenete Traditiones, quas didiciſtis ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram*. 2. ad Theſſal. 2.

2. *Non poteſt à Chriſtianis exerceri Magiſtratus politicus.*

Per *Magiſtratum politicum*, intelligunt *Anabaptiſtæ*, non licere Chriſtianis eſſe Principes, & Duces, non licere illis gerere Magiſtratum, erigere tribunalia, exercere judicia, delinquentes punire gladio: quę omnia refellit D. Thomas 2. 2. q. 104. art. 6. *Dicitur ad Titum 3. Admone illos, Principibus, & poteſtatibus ſubditos eſſe*. Et ad Rom. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non enim eſt poteſtas niſi à Deo, quæ autem ſunt à Deo ordinata ſunt*. Cum omnes poteſtates à Deo ordinatę ſint, conſequenter à Deo ordinatum eſt, ut ſicut dantur inferiores, ita alii ſint Superiores, Principes, Duces, Judices. Hinc ſubjungitur verbis citatis ad Rom. *Si malè feceris, time, non enim ſine cauſa* (Judex) *gladium portat*: Dei enim miniſter eſt. Cur ille in politicis ordo tam neceſſarius, quique vel apud impolitas, barbaras, & efferas Gentes locum obtinet, deberet tolli à *Chriſtianis*?

3. *Nunquam licet jurare Chriſtianis.*

Vide errorem 8. *Waldenſium* ſęculo 12.

4. *Illicitum eſt Chriſtianis bellum gerere.*

D. Thomas 2. 2. q. 40. art. 1. *Ad hoc quod aliquod bellum ſit juſtum*, & licitum, *tria requiruntur. Primò quidem authoritas Principis, cujus mandato bellum eſt gerendum. Non enim pertinet ad perſonam privatam bellum movere: quia poteſt jus ſuum in judicio ſuperioris proſequi... ſecundò requiritur juſta cauſa, ut ſcilicet illi, qui impugnantur propter aliquam culpam, impugnationem mereantur.... tertiò requiritur, ut ſit intentio bellantium recta, qua ſcilicet intenditur, vel ut bo-*

num

num promoveatur, vel ut malum vitetur. Hæ verò conditiones ſæpè poſſunt currere,& currunt in *Chriſtianis*, illis proinde licet bellum gerere.

Confirmatur illud ex citato articulo. *Sicut Principes licitè defendunt Remp. cum materiali gladio contra interiores quoſdam perturbatores; dum malefactores puniunt ſecundùm illud Apoſtoli ad Rom.* 13. *non ſine cauſa gladium portat miniſter enim Dei eſt vindex in iram ei, qui malè agit: ita etiam gladio bellico ad eos pertinet rempublicam tueri ab exterioribus hoſtibus. Vnde & Principibus dicitur in Pſalm.* 81. *Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate.*

Ut Principi bellare, ita alicui privato ſub Principis Authoritate licet arma geſtare.

Id colligitur ex Lucæ 3. ubi Joannes Baptiſta rogatus à militibus; *quid faciemus & nos?* non diſſuaſit illis militiam, ſed dixit *neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti eſtote ſtipendiis veſtris.*

At dicitur, inquiunt Anabaptiſtæ Matth. 26. *Omnis, qui acceperit gladium, gladio peribit.* *Object.*

Solutionem argumenti, quod & Doctor Angelicus erroris præſagus ſibi objecit, hìc accipe ad 1. *Ille accipit gladium, qui nulla ſuperiori poteſtate in ſanguinem alicujus armatur. Qui verò ex authoritate Principis.. gladio utitur, non ipſe accipit gladium*, ſed ab alio (ſcilicet Principe) ſibi commiſſo utitur. *Reſp.*

1. *Diſtinctionis perſonarum in divinis, & unitati eſſentiæ nullum in Scriptura fundamentum aſſignatur.* *Errores Menno-niſtarū.*

D. Thomas 1. p. q. 30. art. 1. *Dicitur* 1. *Ioan. ult. Tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt.* Vide errorem *Sabellii* ſæculo 3.

2. *Chriſtus de Corpore Virginis nihil accepit, ſed tantùm per illius Corpus tranſiit, ſicut lux vitrum pertranſit, ideòque Chriſtus non fuit verus homo.*

D. Thomas 3. p. q. 31. art. 4. *Dicitur Gal.* 4. *Miſit Deus Filium ſuum* factum ex muliere. Non dicitur lux facta ex vitro, dum illud pertranſit. Vide errorem *Valentini* ſæculo 2. *Errores Davidis Anabaptiſtæ.*

De *Communione mulierum, & abjuratione Chriſti*

coram

coram hominibus, vide tum errorem *Nicolaitarum* ſæculo 1. tum *Helceſeitarum* ſæculo 2. Alia ejus commenta quàm humani pandunt tenebras intellectus à vera luce devii!

Error Sabbathariorum.

Colendum eſt Sabbathum more Judæorum ſpreta die Dominica.

D. Thomas 1. 2. qu. 103. art. 3. ad 2. *Dominus dixit moriens, conſummatum eſt. Joan. 19. Et ideò tunc totaliter ceſſarunt Legalia, jam veritate eorum conſummata*: unde *Sabbathum, quod ſignificabat primam creationem, mutatum eſt in diem Dominicum, in quo commemoratur nova creatura inchoata in Reſurrectione Chriſti.*

Error ejulantium.

Nulla devotio æquè Deo grata eſt, quàm perpetuò lacrymari, & ejulare.

D. Thomas 1. 2. q. 19. art. 10. *Dicitur Michea 6. Indicabo tibi o homo, quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te: utique facere judicium & diligere miſericordiam, & ſollicitum ambulare cum Deo tuo.* Hæc autem ſi quis obſervarit, etiamſi lacrymas prætermittat (licet nec hæ ſpernendæ ſint) nihil refert. Sine horum verò obſervatione parvi momenti ſunt lacrymæ.

Error Libertinorum.

Unicus eſt Spiritus immortalis, ſcilicet Deus: Angeli autem, dæmones, & animæ hominum nihil ſunt, niſi mera opinio: unde omne, quod fieri ab hominibus videtur, ſive malum, ſive bonum, non fit ab ipſis, ſed ab illo unico Spiritu Deo, qui omnia in omnibus operatur.

D. Thomas 1. p. qu. 50. art. 1. *Dicitur in Pſalm. 103.* Qui facit Angelos ſuos Spiritus. Dæmones vero etiam ſunt Angeli: *in Angelis ſuis reperit pravitatem* Job 4. & q. 65. art. 1. dicitur: *Dæmones cum ſanctis Angelis conveniunt in natura.* Quantùm ad animas hominum, ſic Angelicus 1. p. q. 75. art. 7. *De homine concluditur Eccleſiaſtæ ult. Revertatur pulvis* ſeu corpus hominis *in terram ſuam, undè erat, &* Spiritus (anima ejus) *redeat ad Deum, qui dedit illum.* Hæc eſt autem hic differentia, quòd *anima humana competat uniri corpori, quod non eſt in Angelis*, q. 51. art. 1. Non datur itaque *unicus* Spiritus immortalis, ſcilicet Deus.

2. Pars redintegrat horribilem *Florini* blaſphemiam docen-

docentis, *Deum eſſe auctorem* peccati: Vide illam ſæculo 2. Sanè Calvinus, qui adversùs *Libertinos* calamum ſtrinxit, & *Florini* principiis involutus fuit, ſibi ipſi repugnarit, neceſſe eſt.

1. *Res eſt indifferens eam ſequi Religionem, quam quiſque voluerit.* *Errores quorumdam Calviniſtarum. Errores Sebaſtiani Caſtellionis.*

D. Thomas 2. 2. qu. 4. art. 6. *Apoſtolus dicit ad Epheſ.* 4. *Unus Dominus*, una fides: eaque Romana, ut ſub finem operis fuſiùs demonſtrabitur, unde non eſt res indifferens eam ſequi Religionem, quam quiſque voluerit.

2. *Canticum Canticorum eſt colloquium, vel cantilena impudica Salomonis cum Amaſia quadam ſua.*

D. Thomas 2.2.q.10 art.12. in corpore, Standum eſt authoritati Eccleſiæ. Eccleſia autem ſemper admiſit *Canticum Canticorum* ut librum Cononicum, in eo non carnale aliquid, ſed caſtas Chriſti, & Eccleſiæ nuptias intelligens; imò ipſi Heterodoxi *Canticum* recenſent inter libros *Proto-canonicos*, non igitur illud eſt colloquium, vel cantilena impudica Salomonis cum Amaſia quadam ſua.

Chriſtus non eſt pro omnibus peccatoribus crucifixus, ſed tantùm pro fidelibus. *Error Petri Boquini.*

Confer hunc errorem cum hac aſſertione quarta inter famoſas Alexandrinas 31. profligatas 7. Decembris 1690. *Dedit ſemetipſum* (Chriſtus) *pro omnibus* & *ſolis* Fidelibus. Vide Opuſculum noſtrum *in Propoſitiones damnatas* pag. 188.

Per Chriſti deſcenſum ad inferos intelligitur quies in ſepulchro. *Error Sepulchralium.*

D. Thomas 3. p. qu. 52. art. 1. *Apoſtolus dicit Epheſ.* 4. *Quod autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit primum in inferiores partes terræ? Gloſſa, id eſt in inferos:* deſcendendo utique ad limbum Patrum, *ut eos* (*qui venerat pœnam noſtram portare, ut nos à pœna eriperet*) *miſericorditer liberaret, qui detinebantur in inferno ſecundùm illud Zach.* 9. *Tu quoque in ſanguine Teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu. Et ad Coloſ.* 2. *dicitur. Expolians Principatus, & Poteſtates, traduxit confidenter.*

Chri-

Error Infernalium. *Chriſtus deſcendit uſque ad locum damnatorum, ibique in anima ſua dira damnatorum tormenta perpeſſus eſt.*

D. Thomas eiuſdem Quæſtionis articulo 2. *De inferno damnatorum dicitur Job. 10. Antequam vadam, & non revertar ad terram tenebroſam, & opertam mortis caligine, ubi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. Nulla autem eſt conventio lucis ad tenebras, ut dicitur 2. Cor. 6. Ergo Chriſtus, qui eſt lux, ad illum infernum damnatorum non deſcendit. Deſcendit tamen eò per effectum damnatos de ſua incredulitate, & malitia confutando.* Multò minùs igitur damnatorum tormenta perpeſſus eſt. Procul iſta enormis faceſſat blaſphemia.

Error Unctorum. *Is, cui ſemel remiſſa ſunt peccata, non peccat ampliùs.*

D. Thomas 2. 2. q. 24. art. 11. *Charitas in hac vita poteſt amitti.* Undè Apocal. 2. Epiſcopo Epheſi dicitur *Charitatem tuam primam reliquiſti: non amittitur autem Charitas, niſi per peccata.* Is igitur, cui ſemel remiſſa ſunt peccata, propter vertibilitatem liberi arbitrii & poteſt iterùm peccare, &, proh dolor! ſæpiùs peccat. Vide errorem 1. *Beguardorum & Beguinarum* Sæculò 14.

Error Anglo-Calvini-ſtarum. *Rex eſt ſummum Caput Eccleſiæ Anglicanæ.*

D. Thomas in ſuppl. qu. 17. art. 1. *Dixit Dominus Matthæi 16. Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claves Regni Cœlorum.* Joannis verò 21. ſolemniſſimè adimplevit id, quod promiſerat, dicens *Petro* non ſemel, ſed tertiò: Paſce oves meas. At nuſquàm legimus, alicui Principi in Evangelio dictum eſſe, *Paſce oves meas.* Et quid eſt, obſecro, *Paſce oves meas*, niſi *Eccleſiam meam tibi commendo, dirige, & guberna Fideles, quotquot in Eccleſia ſunt, paſce, quæ intra ſunt, oves.* Verbo: *Vicarius meus eſto.* Quid unquam ſimile dictum eſt alicui, Regi, vel Principi? imo *eas ipſas Petro*, & in *Petro*, omnibus illius Succeſſoribus commiſſas eſſe, neceſſe eſt, cum *Petro* ſuum ovile commiſſum ſit, proinde *omnes* oves, adeoque & Duces, Principes, Reges univer-

ſi,

ſi, quà latè patet, Orbis terrarum.

Deinde dicitur ad Epheſ. 4. *Ipſe dedit, quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii in ædificationem Corporis Chriſti*. Quibus ex verbis ſic concludo. In Eccleſia Chriſti eſt legitimus quidam ordo, ſeu, ut alii volunt, diſpoſitio, & Hierarchia, in qua alii Prælati ſunt, alii ſubditi: alii paſtores, alii oves: alii in fundamento; alii ſupra fundamentum; alii Doctores, alii Diſcipuli. Vel ergo Reges (Angliæ, aut cujuſcumque Ditionis) includuntur in hac Hierarchia tanquam Primates, vel tanquam Subditi. Si hoc poſterius, ſalva res eſt. Si illud prius, neceſſe eſt majori eos poteſtate præditos eſſe, quàm Apoſtolos. Nam ſi vel parem cum illis, vel inferiorem haberent poteſtatem, non rectè dicerentur eſſe Primates Eccleſiæ. Si ergo majorem habent, ea ſine dubio à Chriſto ipſis conceſſa eſt. At ubi, & quibus verbis? aut ubi Scripturæ ſacræ illius poteſtatis à Chriſto conceſſæ Regibus meminerunt? In teſtimoniis citatis, aut alibi nihil reperio. Ubique altùm ſiletur de Regibus.

Denique hanc aſſertionem de *Primatia Regum Angliæ in Spiritualibus*, praxis contraria & Eccleſiæ, & ipſorum Regum Angliæ, qui *Henricum* 8. præceſſerunt, reprobat, ac perimit.

Errores Michaelis Serveti aliorumque Error Bernardini Ochini.

Errores illorum omnium adversùs SS. Triadem vide in *Sabellio* ſæculo 3. & *Tritheitis* ſæculo 6.

Licita eſt modò Polygamia.

D. Thomas in ſuppl. q. 69. art. 1. *David & plures alii Deo acceptiſſimi plures leguntur habuiſſe uxores: unde fuit hoc licitum in Lege veteri, ut major eſſet multiplicatio prolis ad cultum Dei educandæ. Tunc enim cultus Dei carnali propagatione multiplicabatur, & conſervabatur*, nunc autem poſt Chriſti adventum *tempus eſt plenitudinis gratiæ Chriſti, per quam cultus Dei in omnes Gentes ſpirituali propagatione diffuſus eſt; & ideò non eſt modò eadem ratio diſpenſationis* quoad uxorum pluralitatem, *quæ erat ante Chriſti adventum*. Vide ſupra errorem 6. *Mahometis* Sæculo 7.

1. *Chri-*

Errores Socinianorum. 1. *Chriſtus eſt purus homo, ſed dicitur Verbum Dei, quia verba Dei annuntiavit, quomodò Ioannes Baptiſta dicitur vox.*

D. Thomas 1. p. qu. 34. art. 1. & 2. Filius proprie dicitur Verbum in divinis. *Verbum autem propriè eſt interior mentis conceptus, undè Auguſtinus dicit lib. 15. de Trinit. Quiſquis poteſt intelligere verbum, non ſolùm antequam ſonet, verùm etiam antequam ſoni ejus imagines cogitatione involvantur; jam poteſt videre aliquam verbi illius ſimilitudinem, de quo dictum eſt:* In principio erat verbum. Unde Chriſtus, qui eſt Filius Dei, nequit dici Verbum, quia verba Dei in tempore annuntiavit, quomodò Joannes Baptiſta dicitur vox; ſed dicitur Verbum, quod in principio, ſeu ab æterno ex intellectu Patris ſine ullo ſono procedit.

Quod verò Chriſtus ſit Filius Dei, patet ex 1. Joann. 5. *Quis eſt, qui vincit mundum, niſi qui credit, quoniam Jeſus eſt Filius Dei?* Quod autem, & Deus ſit; evidens eſt ibidem. *Simus in vero Filio ejus*: Hic eſt verus Deus.

2. *Homo ante lapſum non habuit juſtitiam originalem.*

D. Thomas 1. p. q. 95. art. 1. Primus homo fuit conditus in gratia: *& hoc videtur requirere ipſa rectitudo primi ſtatus, in quo Deus hominem fecit: ſecundùm illud Eccleſiaſtæ 7. Deus fecit hominem rectum.*

ERRONES SÆCULI DECIMI-SEPTIMI.

Gommarus, & Arminius. ANno 1605. Lugduni-Batavorum gravis exarſit controverſia inter *Franciſcum Gommarum, & Iacobum Arminium* Theologiæ ibidem Profeſſores. Ille Brugenſis fuit. Sed cum ejus Pater ſe Calviniſmo implicuiſſet, una cum illo in Angliam tranſmeavit. Ibi Theologia imbutus, tandem Lugduni Theologicam conſcendit Cathedram: hic verò natus *Aldevvatera* in Hollandia ad fluvium Iſſelam, aliquot annis *Geneva*

Theo-

Theodori Bezæ auditor fuit; deinde in patriam reverſus, primò Amſtelodami Miniſter, poſtremò ad Theologiæ Profeſſoratum in præfata Univerſitate promotus eſt. Præcipua inter ipſos controverſia fuit circa *Prædeſtinationem*, & *reprobationem*: *Gommaro* hac in materia rigidam Calvini hæreſim, *Arminio* Pelagianiſmum tuentibus. Tandem illa in apertum ſchiſma erupit, & reliqua Reip. membra in oppoſitas partes diſtraxit. Dum hæc diſcordia ſtylum, & arma per Hollandiam paſſim commoveret, convocata eſt à Statibus Hollandiæ Synodus Dordracena anno 1619. multis Miniſtrorum ex Germania, & Anglia eò confluentibus, ut ſua authoritate per ſententiam definitivam hanc controverſiam dirimerent. Gommaro ope Magiſtratus, præſertim verò Principis *Mauritii* ſuſſulto lis magis adjudicata, quàm extincta fuit, ac *Barneveldius* authoritate, meritis, ac ætate gravis tanquam *Arminii* fautor, ſeptuagenario major capite ſupplicium luit: atque ita Conventus ille plus ſanguinis, quàm erroris exhauſit. *Barneveldius Patronus Arminii capite plectitur.*

Eadem defenſionis *Arminianiſmi* procella percelebris involutus *Hugo Grotius* arctæ cuſtodiæ in Caſtro *Lovuenſteyn* mancipatus fuit. Sed inde erutus eſt mirabili uxoris ſuæ *Mariæ Regersberg* induſtria. Extorſerat illa à cuſtodibus, importunis precibus licentiam mittendi libros Marito in ſublevamen carceris; dumque illi de more *Grotio* in ciſta deſtinantur, conſilium fidelis conjugis captivus expendens, & occaſionem manu prenſans, ipſemet ſpem inter, & metum fluctuans ciſtæ ſe inſerit, ratiſque cuſtodibus, remitti uxori libros, grata ſarcina in ejus manus illabitur; atque ita *Grotius* feliciter evaſit. *Evaſio Grotii.*

Porrò *Arminiani* vocantur etiam *Remonſtrantes*, Gommariſtæ autem *Contra-remonſtrantes*.

Obtinet hæc *Arminianorum* Secta variis licèt à Magiſtratu turbis agitata Religionis libertatem totam per Hollandiam. Famoſiores Arminianæ Sectæ defenſores hoc Sæculo ſuis fuere Scriptis *Simon Epiſcopius* & *Stephanus Courcelles*.

Epiſcopius Patria fuit Amſtelodamenſis, diu Theologiam

logiam profeſſus eſt in Univerſitate Lugduno-batava.

Simon Epiſcopius. *Stephanus Courcelles.*

Stephanus Courcelles Genevæ (quæ ſedes eſt tenebris hæreſeos devota) lucem aſpexit 1586. Poſtquam aliquot annis Miniſtrum egiſſet in Galliis, in Hollandiam ſe recepit. In Profeſſione Theologiæ ſucceſſit Epiſcopio.

Quantùm ad rigido-Calviniſtas, ſeu *Gommariſtas* illorum cauſam potiſſimùm ſuſtinuere *Joannes Piſcator*, & *Sibrandus Lubbertus*,

Joannes piſcator.

Piſcator Theologiam tradidit in Schola Herbornenſi (*Herborm*) in Comitatu *Naſſoviæ*.

Sibrandus Lubbertus Franekeræ (*Franeker*) in Friſia Theologicam rexit Cathedram. Synodo Dordracenſi interfuit, ibique Arminianos exagitavit. Hinc crebrò in eorum libris vapulat.

Sibrandus Lubbertus. *Conradus Worſtius.*

Conradus Worſtius primò Eccleſiæ Steinfurtenſis (*Steinfurt*) Miniſter, poſteà verò in citata Academia Lugdunenſi Profeſſor variis propoſitionibus Dei perfectionibus adverſis tam Arminianos, quàm Gommariſtas in ſe concitavit.

Hæ ſunt præcipuæ illius aſſertiones.

1. *Deus eſt mutabilis*.

2. *Deus non eſt immenſus*, ſeu *ubique*.

Lucillus Atheiſta.

Eadem tempeſtate Lucilius Natione Italus, *Atheiſmum* per varia Galliȩ loca diſſeminavit. Quamobrem Toloſȩ morti addictus eſt. Ceterùm fuere nonnulli, qui ipſum excuſare auderent, ejuſque impia dogmata in Philoſophiam, quam prȩtexebat, rejicere. Sed tetra Lucilii impietas ſe prodidit, cum ad honorariam, ut ajunt, damnatus pœnam, veniamque à Deo, à Rege, & à Juſtitia petere juſſus reſpondit: *quantum ad Deum attinet, nullum eſſe credo: quantùm ad Regem, nunquam illum offendi: quantùm verò ad juſtitiam, illam ego dæmonibus, ſi tamen demones aliqui exiſtunt, devoveo*. Subjecit blaſphemus, parùm profecturos, qui ſibi mortem inferrent, quòd duodecim eſſent Neapoli egreſſi, & per Europam ad idem docendum diſperſi. Primùm eruta eſt lingua ejus ſacrilega:

lega, deinde combuſtus ipſe: & ne reliquiæ terram contaminarent, illius cineres vento commiſſi ſunt.

Marcus Antonius *de Dominis* olim Societatis Jeſu, poſteà Epiſcopus Segnienſis, deinde Archi-Epiſcopus Spalatenſis, Dalmatiæ, & Croatiæ Primas, innata animi inconſtantia, & œſtro amiſſæ litis de quadam penſione annua, qua Archi-Epiſcopatus oneratus erat, percitus, & quod ſuis ſe eſſe Suffraganeis odio, & contemptui, animadverteret, de Patria & fide deſerenda infauſtum cœpit conſilium: perque Helvetiam, ac ſuperiorem Germaniam in Belgium, atque inde in Angliam trajecit. Illìc benignè à Rege *Jacobo* I. exceptus Librum edidit *de Republica Chriſtiana*. In eo ex fide *Lutherana*, *Calviniſtica*, *Anabaptiſtica*, & *Romana*, unam eandemque *ſanam*, ac *Orthodoxam fidem conflari poſſe* ſuſtinuit, modumque quo illa unio fieret, abſurdiſſimum tradidit. Brevi vitam ejuſmodi pertæſus, & opera Oratoris Hiſpani in Anglia commorantis ſecurus à Pontifice redditus de venia, Angliam deſeruit, ac Romam perveniens, ibi ſcriptum evulgavit, quo ſolemniter, & diſtinctè retractavit, quæcumqne adversùs Eccleſiæ Catholicæ doctrinam evibrarat.

Marcus Antonius de Dominis.

Illius inconſtans animus.

Itaque Catholicus apparuit. Sed clandeſtinum cum Proteſtantibus commercium fovere non deſtitit.

Dum interim Orthodoxum ſe fingit, ſubita morte extinguitur. Scripta ejus diſcutiuntur; ac ex eis undequaque ſe prodit occultata tantiſper Hæreſis. In exemplum, corpus ejus cum ſcriptis impiis in campo Floræ Flammis traditum eſt anno 1624.

Illuminati, quos Hiſpani vocant *los alumbrados*, in eo Regno orti ſunt circa annum 1575. Authoribus eorum per Inquiſitionis ſententiam Cordubæ punitis, in ipſis incunabulis penè oppreſſi fuere, at verſus annum 1623. in diæceſi Hiſpalenſi majoribus viribus emerſerunt. Horum ſeptem Andreas Pacheco Hiſpaniarum Inquiſitor Generalis igni adjudicatis, reliquos vel abjurare errores, vel patriam deſerere compulit.

Illuminati.

Z *Beguar-*

Beguardorum, & *Beguinarum* deliria, & ſpurcitias renovantes docuerunt, *auxilio orationis mentalis & unionis cum Deo* (de qua gloriabantur) *ſeſe eſſe in tali perfectionis gradu conſtitutos, ut operibus bonis, vel Eccleſiæ Sacramentis non indigerent: ſeque valere præfatæ unionis ſubſidio vitam degere ſine ullo vel minimo peccato veniali: ut omnes carnis deſideriis habenas laxare poſſent.* Vide præfatos *Beguardos*, & *Beguinas* Sæculo 14.

Conveniunt cum Beguardis & Beguinis.

Horum abominationes inſtauravit anno 1688. *Michael Molinos Quietiſtarum* Author. De quo vide Opuſculum noſtrum in Prop. damnatas pag. 203.

Et Michaele Molinos.

Independentes.

Independentes maximè *Cromvvelii* temporibus circa annum 1653. prodiere in medium. In hoc illi *Anglo-Calvinianis*, ſeu communi etiam vocabulo *Proteſtantibus* ac *Puritanis*, (de quibus *Sæculo* 16.) adverſantur quòd neque Reges, neque Epiſcopos, neque Seniores ad Eccleſiæ regimen admittant, ſed velint quemlibet ſibi Miniſtrum eſſe *ac quemvis ſine ulla perſona, ac ſexus diſtinctione eſſe legitimum verbi Dei præconem*, idque quovis loco, ac tempore, dum ſentit ſe à Spiritu Sancto ad prædicandum Dei Verbum impelli: ac proinde Templa, Altaria, Pulpita rem eſſe fruſtraneam, & è medio tollendam exiſtimant. Hujus Sectæ Profeſſores plures etiamnum hodie illic ſuperſunt.

Tremblantes ſive Qua-Keri.

Anno Chriſti 1655. quaſi non affatim monſtrorum tum in rebus Politicis tum Eccleſiaſticis *Cromvvelii* temporibus in Anglia foret, nova illic Secta *Tremblantium*, ſeu *Qua-Kerorum* erupit. Cœperunt illi omnes ex inferis furias cientes, in compitis, ac triviis *Londini* comparere ſolo tecti induſio; cætera nudi. Miras viſiones, ſuaque ſomnia tanquam Revelationes divina populo referebant: ac mox velut concionabundi, & divino Spiritu accenſi monebant, homines debere *in timore, & tremore ſalutem operari*. Atque hinc illud *Tremblantium* nomen accepere. Horum aliqui comprehenſi ſunt, & flagellis cæſi, quorum præcipuus erat *Iacobus Nailor*, qui deſerta militia, in qua ſub *Fairfaxio* agebat Caſtrorum metatorem, his Fanaticis ſe Ducem præbuit. Et quamvis publicè ſignatus ſtigma-

ſtigmate, ejus etiam lingua candenti ferro perforata; & ergaſtulo demum ipſe incluſus fuerit, nihil tamen de ſua inſania remiſit. Pergit etiamnum hæc maleſana rabies per varias Angliæ Provincias multorum animos occupare.

Nonnullis etiam Hollandiæ Civitatibus illa ſeſe ſecta ab aliquot annis inſinuavit.

Hæc præcipua circumferuntur illorum dogmata.

1. *Nullus poteſt eſſe Dominus; unde nullus debet alteri ſervire, ſed omnes debent eſſe æqualis conditionis.*

2. *Omnis Cæremonia, ſeu affabilitas ex humana Societate fuganda eſt, unde nullus alium debet ſalutare, nec ei pileum deponere.*

3. *Quilibet habet lumen ſufficiens, ut Scripturam ſacram interpretetur.*

Spinoſa natus eſt Judæus; Religionem Judæorum non abjuravit, nec Chriſtianorum amplexus eſt. Libro, cui titulus *Tractatus Theologico politicus* impreſſo Hamburgi anno 1670. molitus fuit Religiones omnes, præſertim *Judaicam* & *Chriſtianam* deſtruere, & purum putum Atheiſmum invehere. *Spinoſa.*

In eo ſuſtinebat, ſufficere, quod cives rectè, & honeſtè vitam inſtituant, & Magiſtratibus ſuis obtemperent, cæterum *non curandum eſſe, quam quis interius Religionem teneat, dummodò exteriùs, & ſuperficietenùs aliquam, ne regimen turbet politicum, profiteatur.* *Politico. Atheus.*

Aſſeruit porrò, *Deum non eſſe ens infinitè perfectum, & beatum, ſed aliud non eſſe illum, quam virtutem naturæ, quæ in omnibus creaturis diffuſa eſt.*

Docuit etiam, *Prophetias Prophetarum veteris Teſtamenti conſiſtere in eo, quòd hi imaginationem habuerint fortiorem communi, & illas Moyſis in eo, quòd excellentiori præditus fuerit intellectu.* Idque etiam ad Chriſtum extendit.

Primum illius dogma plures hodiè (quæ eſt noſtrorum temporum calamitas) ſectantur *Politici*.

Obiit in Hollandia 1677. 21. Februarii, ut vixerat, Politico-Atheus.

Inveſtigantes, ſeu *expectantes, Sceptici, Quæſtionarii*, vel *Quærentes* eodem hoc tempore prodierunt. *Inveſtigantes ſeu expectantes.*

Suſtinent illi, Jeſum Chriſtum veram aliquam nobis Religionem è Cœlo attuliſſe, & hanc, dum in terris exiſteret, nobis revelaſſe, ſed *nullam Religionem inter Chriſtianos ſtabilitam eſſe veram Chriſti Religionem*.

Hinc omnibus contradicunt, & in genere eas damnant, nondum alicujus partes ſectantes, vel ad electionem ſeſe determinantes. Legunt autem aſſiduè Scripturas ſacras, ut veram Religionem inveniant. Atque hinc *inveſtigantes* &c. appellati ſunt.

Ingens eorum tum in Anglia, tum Hollandia eſt numerus.

Voetius. Gisbertus Voetius (*Voet*) famoſus fuit in Academia Ultrajectina Theologus, Synodo interfuit *Dordracenæ*: inde reverſus rigidum *Calviniſmum* pro aris, ac focis propugnavit. Hinc & animum, & ſtylum acuit in *Cocceium*, de quo ſtatim.

Cocceius. Joannes Cocceius (*Cock*) natione Germanus, Patria Bremenſis, (qua in urbe non *Lutheri*, ſed *Calvini* exercetur Religio) profeſſione Theologus fuit, primò in Patria anno 1630. Deinde *Franekeri* in Friſia 1636. Inde Lugdunum-Batavorum 1650. accerſitus per plures illic annos Theologiam tradidit. Peculiaria quędam auditoribus inſtillans dogmata & Calvini Doctrinam temperans in ſe concitavit *Voetium*. Hinc nati ſunt *Cocceiani*, & *Voetiani* qui etiamnùm hodiè inter ſe diſſident. Moderni Miniſtri in Hollandia in alterutram partem abrepti ſunt. Obiit *Cocceius* anno 1669. Paulò ante deceſſerat *Voetius*.

Porrò, hę ſunt ſolemniores aſſertiones *Coeceii*.

1. *Ab adorato vitulo aureo tantùm incæpit legalis Oeconomia, ſeu lex cæremonialis*. Unde ſuſtinet Cocceius, in pœnam vituli aurei adorati, tam multiplicia populo Iſraelitico injuncta fuiſſe pręcepta cęremonialia.

2. *Fideles veteris Teſtamenti propter ſacrificii expiatorii dilationem fuerunt impuri, ſordidi, habuere non redempti peccatum & conſcientiam peccati*.

3. *Tria ſunt Teſtamenta, æternum, vetus, & novum.*
Cęterùm plures ſunt modò in Hollandia, qui profiten-

fitentur, *quod non ſit neceſſe obſervare diem Dominicum, ſed quod ſufficiat ad cultum Dei quicumque dies hebdomadæ*. Hanc ob rem permulti illic diebus Dominicis ſe Templis ſubducunt. *Errantes circa diem Dominicum.*

Nonnulli hic fortè expectant vitam, & propoſitiones *Janſenii*. Sed de eo, uti & de *Baio* (de quo ſeculo 16. tractandum erat) *aliiſque*, licet erraverint, Sanctę Romanæ Eccleſiæ gremio immortuis, ex profeſſo egimus in libro, cui titulus, *veritas in medio*, ſeu *in propoſ. Damnatas*, ad quem Lectorem benevolum remittimus.

Quia verò noſtros in eo Opuſculo fugit oculos *Edmundus Richerius*, qui etiam, quamvis in errores inciderit, in ſinu expiravit Eccleſiæ, idcircò illum hìc ſubiicimus; ſeparatim tamen ab hæreticis, alioquin juxta ordinem temporis immediatè debebat ſuccedere *Marco Antonio de Dominis*.

Edmundus Richerius Presbyter Lingonenſis, & Doctor Theologus facultatis Pariſienſis libello edito (ſuppreſſo licet nomine) *de Eccleſiaſtica, & politica poteſtate* multùm turbavit Galliam. *Edmundus Richerius.*

Ut turbæ ſopirentur, anno 1612. celebrata eſt Pariſiis menſe Martii Synodus Provincialis à Jacobo Cardinale *Perronio* Archi-Epiſcopo Senonenſi. Libellus in ea proſcriptus eſt. Acceſſit illius condemnatio per Paulum 5. Cæterùm egregiè libellum confutavit *Andreas Duvallius* inſignis Doctor Sorbonicus. Nec tamen à ſuis Richerius ceſſavit molitionibus, quibus plures, in ſuas partes pellexit.

Tandem anno 1629. ſeptimo Decembris ab aſſertionibus ſuis receſſit, declarationem coram dignis teſtibus edens à ſe ſcriptam & obſignatam, qua ſe, præfatumque libellum ſuum, ac quaſcumque propoſitiones in eo contentas Eccleſiæ Romanæ judicio ſubjecit, eam matrem, & Magiſtram omnium Eccleſiarum, & infallibilem veritatis judicem agnoſcens. Hanc declarationem conſignavit eminentiſſimo Cardinali *Richelio* proviſori domus Sorbonicæ.

Hæ ſunt famoſiores ejus poſitiones.

1. *Collationes beneficiorum 1400. annis communi jure*

id eſt, ſacris electionibus factas:, lex divina, & naturalis confirmant.

2. Canone aut Concilio Eccleſiam ſponſam gubernari voluit Dominus, ut Romanus Pontifex abſque aliis Epiſcopis nihil quidquam magni momenti de propriomotu decerneret.

Refelluntur Errores Sæculi decimi-ſeptimi.

1. Deus eſt mutabilis.

D. Thomas 1. p. q. 9. art. 1. *dicitur Malach.* 3. *Ego Deus, & non mutor.*

Errores Conrardi Worſtii.

Eſt enim aliquod primum ens, quod Deum dicimus; hujuſmodi verò primum ens oportet eſſe purum actum abſque permixtione alicujus potentiæ. Omne autem quod quocumque modo mutatur, eſt aliquo modo impotentia. Unde impoſſibile eſt Deum aliquo modo mutari.

2. Deus non eſt immenſus, ſeu *ubique.*

D. Thomas 1. p. q. 3. art. 2. & 3. *Dicitur Ierem.* 23. *Cœlum, & terram ego impleo.* Et Propheta Baruch ait cap. 3. *Magnus eſt, & non habet finem: excelſus, &* immenſus.

Eſt autem Deus ubique per potentiam, præſentiam, & eſſentiam. *Idque conſiderandum eſt ex his, quæ in rebus humanis alicubi eſſe dicuntur. Rex enim dicitur eſſe in toto regno, ſcilicet per ſuam potentiam, licèt non ſit ubique præſens. Per præſentiam verò ſuam dicitur aliquid eſſe in omnibus, quæ in proſpectu ipſius ſunt, ſicut omnia, quæ ſunt in aliqua domo, dicuntur eſſe præſentia alicui, qui tamen non eſt ſecundùm ſubſtantiam ſuam in quâlibet parte domus. Secundùm verò ſubſtantiam vel eſſentiam dicitur aliquid eſſe in loco, in quo ejus ſubſtantia habetur... ſic ergò Deus eſt in omnibus per potentiam, in quantùm omnia ejus poteſtati ſubduntur. Eſt per præſentiam in omnibus, in quantùm omnia nuda ſunt, & aperta oculis ejus, Hebr. 4. Eſt in omnibus per eſſentiam, in quantùm adeſt omnibus, ut cauſa eſſendi.*

Object. Opponebat *Worſtius*: quod eſt ſupra omnia, non eſt

eſt in omnibus rebus: ſed Deus eſt ſuprà omnia, ſecundùm illud Pſalm. 112. *Excelſus ſuper omnes gentes Dominus*, ergo Deus non eſt in omnibus rebus. Cur divina Majeſtas ſit in formica? cur in minimo quoque pulviſculi grano?

Objectioni *Worſtii* ſed quam à tot ſæculis Angelicus præformavit, ſic reſpondet ille art. 1. ad 1. *Deus eſt ſupra omnia per excellentiam ſuæ naturæ, & tamen eſt in omnibus rebus* etiam *minimis, & viliſſimis* (q.22.art.3.) *ut cauſans omnium eſſe.* *Reſp.*

Ex fide Lutherana, Calviniſtica, Anabaptiſtica, & Romana fides una, ſana, & Orthodoxa conſtari poteſt. *Error Antonii de Dominis.*

D. Thomas 3. p. q. 8. art. 1. *Dicitur 1. ad Timoth.* 3. *Eccleſia Dei eſt columna, & firmamentum* veritatis, ſola autem *Romana* eſt Dei Eccleſia, ut ſæpè ſuprà oſtenſum eſt, & ſub finem operis fuſiùs declarabitur; nequeunt verò ſimul combinari veritas, & falſitas, proinde ex fide *Romana*, quæ vera eſt, & ex Lutherana, Calviniſtica, Anabaptiſtica, quæ falſæ ſunt, nequit una ſana, & Orthodoxa fides conſtari.

Quilibet ſinè ulla perſonæ, ac ſexus diſtinctione eſt legitimus verbi Dei præco. *Error Independentium.*

D. Thomas 2. 2. qu. 177. art. 2. *Apoſtolus dicit* 1. *ad Corinth.* 14. *Mulieres in Eccleſiis taceant. Et* 1. *ad Timoth.* 2. *Docere mulieri non permitto ... primò quidem & principaliter* (ait Angelicus) *propter conditionem fœminei ſexus, qui debet eſſe ſubditus viro, docere autem, & perſuadere publicè in Eccleſia non pertinet ad ſubditos.*

Sed nec *cuilibet viro* datum eſt præconem verbi divini induere. Ut quis legitimè prædicet à ſuis mittatur ſuperioribus, neceſſe eſt. *Quomodò prædicabunt, niſi mittantur?* ad Romanos 10.

Porrò *Independentes*, non admittentes Epiſcopos, nec Seniores ad regimen Eccleſię, nec curantes Templa, Altaria, Pulpita, pro ſuæ ſectæ defenſione hoc argumentum adversùs *Proteſtantes*, & *Puritanos* Anglos validè intorquent. Vobis omnibus licuit Eccleſię Romanę doctrinam evertere, quę tot centenis annis ante vos viguerat. Ergo multò magis licebit nobis veſtra Dogma-

ta, veſtras Eccleſias, ritus abolere, quæ quidem omnia tantùm de novo emerſerunt, neque parem cum Eccleſia Romana authoritatem, aut antiquitatem obtinuerunt. Videant, quæſo, illi, niſi ſuo ab errore recedant, quo pacto ab hoc *Independentium* argumento ſe expediant.

Error Tremblantium, ſeu QuaKerorum.

1. *Nullus poteſt eſſe Dominus: unde nullus debet alteri ſervire, ſed omnes debent eſſe æqualis conditionis.*

D. Thomas 2.2. qu.104. art.5. *Apoſtolus dicit ad Coloſſ.* 3. Servi obedite Dominis.. *in ſimplicitate cordis timentes Deum*. Unde Paulus ſupponit, quod hic alii licitè ſint Domini, alii Servi. Sanè ſi omnes æqualis forent conditionis, *non poſſet humanarum rerum ſtatus conſervari*. art. 6. Unde oportet dari Dominos, & Servos.

2. *Omnis cæremonia, ſeu affabilitas è ſocietate humana fuganda eſt; unde nullus alium debet ſalutare, nec ei pileum deponere.*

D. Thomas 2.2. qu. 114. art. 1. tum in argumento ſed contra: *Eccleſiaſtici* 4. *dicitur* Congregationi amabilem te facito: tum in corp. *oportet hominem convenienter ad alios homines ordinari in communi converſatione, tam in dictis, quam in factis, ut ſcilicet ad unumquemque ſe habeat ſecundùm quod decet*. Unde ruit hæc *QuaKerorum* barbaries. Cum efferis moribus animal ſociale exuant; cur non aſperum, incultum, inhoſpitalem incolunt montem Caucaſum?

3. *Quilibet habet lumen ſufficiens, ut Scripturam Sacram interpretetur.*

D. Thomas 2.2. qu.171. art.3. *Dicitur* 2. *Petri* 1. *Omnis Prophetia Scriptura* propria interpretatione non fit. Cum debeat eſſe in rebus ordo, & ſubordinatio, neceſſe eſt, ut inferiores, & rudiores à ſuperioribus, & doctioribus inſtruantur: unde illud lumen interpretandi Scripturam Sacram cuilibet inditum non eſt. Spectat verò potiſſimùm ad Eccleſiam, quæ eſt *columna veritatis*, non ad *privatum quemlibet Spiritum* judicare de vero ſenſu Sanctarum Scripturarum. Sanè quam miſera fuit *QuaKerorum* interpretatio quoad illa verba Scripturæ *in timore, & tremore ſalutem*

veſtram operamini? quæ monſtra non parturit pruritus *privati Spiritus*? an non iiſdem de *privato ſenſu* principiis, licèt nobiſcum averſentur *QuaKeros*, & talia non præbeant argumenta dementiæ, laborant *Sectarii?*

Errores Spinoſæ.

1. *Non eſt curandum, quam quiſque interiùs Religionem teneat, dummodò exteriùs, & ſuperficietenùs aliquam, ne regimen turbet politicum, profiteatur.*

D. Thomas 2. 2. qu. 93. art. 1. *Mendacium maximè perniciosum eſt*, quod fit in his, quæ ad religionem pertinent. *Eſt autem mendacium, cum aliquis exteriùs ſignificat contrarium veritati. Sicut autem ſignificatur aliquid verbo, ita etiam ſignificatur aliquid facto, & ideò* ſi quis aliquam Religionem, ſeu cultum exteriùs profiteatur, (ne regimen turbet politicum) quem interiùs non tenet, proindeque *ſignificetur aliquid falſum*, erit cultus pernicioſus, Deo qui eſt ſumma veritas, & Eccleſiæ, cujus non debet eſſe fucata fides, maximè injurius, & omnis omninò deſtructivus Religionis. An uſque ad ſacratiſſima delubra, ad aras, an ad divina uſque myſteria ars penetrat Machiavello-politica? quouſque talis artis, vel potiùs Atheiſmi Profeſſores aulas Principum, & orbem deludent univerſum?

2. *Deus non eſt ens infinitè perfectum, ſed aliud non eſt, quàm virtus naturæ, quæ in omnibus creaturis diffuſa eſt.*

D. Thomas 1. p. qu. 4. art. 1. *Dicitur Matth. 5. Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter Cœleſtis perfectus eſt.* Et art. 2. *In Deo ſunt perfectiones omnium rerum . . quia Deus eſt ipſum eſſe per ſe ſubſiſtens; ex quo oportet, quod* totam perfectionem eſſendi in ſe contineat. Falſum proinde eſt, quòd non ſit aliud, quam virtus naturæ, quæ in omnibus diffuſa creaturis eſt. *Eſt natura naturans*, ut Patres loquuntur, ſeu Author naturæ, qui creavit omnes naturas. 1. 2. q. 67. art. 1.

3. *Prophetia Prophetarum veteris Teſtamenti conſiſtunt in eo, quod hi imaginationem habuerint fortiorem communi, & illa Moyſis in eo, quod excellentiori præditus fuerit intellectu.*

D. Tho-

D. Thomas 2.2. qu.72. art. 1. *Prophetica cognitio eſt eorum, quæ naturaliter excedunt humanam cognitionem. Et ideò Prophetia ſimpliciter dicta non poteſt eſſe à natura, ſed ſolùm ex revelatione divina.* Si Prophetia non poſſit eſſe à natura, nec igitur Prophetiæ prædictorum Prophetarum conſiſtunt in eo, quod hi imaginationem habuerint fortiorem communi, nec illæ Moyſis in eo quòd excellentiori præditus fuerit intellectu. Ad Prophetiam requiritur quoddam lumen intellectuale ſupernaturale, ſeu excedens lumen naturalis rationis. 2.2. q.71. art.2.

Error Expectantium. *Nulla Religio inter Chriſtianos ſtabilita eſt vera Chriſti Religio.*

D. Thomas 2. 2. qu. 4. art. 6. *Apoſtolus dicit ad Epheſ. 4. Unus Dominus*, una fides. Sanè unitas fidei eſt præcipuus veræ Religionis character, illam verò unitatem tum in capite, tum in doctrina ſibi *Sola* Romana vendicat Eccleſia; ut infrà uberiùs demonſtrabitur, proindè in *illa* reperitur *vera* Chriſti *Religio*; adeòque dici nequit, quòd nulla inter Chriſtianos ſtabilita eſt vera Chriſti Religio.

Quò ruitis miſeri *expectantes?* tantò jam tempore veram inveſtigatis fidem: en illa in Eccleſia noſtra in omnibus *una* tot inter ſectas *diſcrepantes*, veſtros in oculos vel ab oblato lumine ſeſe avertentes inſilit: illam amplectimini, tenete, ſectemini, ab eâ nunquam deſciſcite.

Errores Cocceii. 1. *Ab adorato vitulo aureo tantùm incepit legalis Oeconomia; ſeu lex cæremonialis.*

D. Thomas 1.2. quæſt. 101. art. 1. *Dicitur Exodi 18. Oſtendas* (tu Moyſes) *populo cæremonias, & ritum colendi Deum.* Vitulus autem aureus poſteà tantùm adoratus eſt; ejuſque adorationem Moyſes refert capite 32. Unde ante incepit lex cæremonialis.

Deinde; q.98. art.6. & q.101. art.3. *Homines uſque ad idololatriam circa tempo Arabrahæ ſunt prolapſi.* Unde Jacob. Geneſ. 35. *Convocata omni domo ſua, ajebat: abiicite Deos alienos, qui in medio veſtri ſunt. Et ideò poſt* hæc tempora *neceſſarium fuit, dari cæremonialia, quæ ad cultum* Dei *pertinent, & per quæ ab* ido-

idololatriæ cultu homines revocarentur. Profectò quanta Majeſtate fulgura inter, & tonitrua Deus non pronuntiavit in Monte Sinai Exodi 20. *non habebitis Deos alienos coram me?* nonne hoc præceſſit adorationem vituli aurei?

2. *Fideles veteris Teſtamenti propter Sacrificii expiatorii dilationem fuerunt impuri, ſordidi, habuerunt non redempti peccatum, & conſcientiam peccati.*

D. Thomas 1. 2. q. 98. art. 2. ad 4. *Quamvis lex vetus non ſufficeret ad ſalvandum homines; tamen aderat aliud auxilium à Deo hominibus ſimul cum lege, per quod ſalvari poterant, ſcilicet fides Mediatoris, per quam* juſtificati ſunt antiqui patres. Hinc *Joſue* dicitur (cap. 11.) *univerſa mandata compleviſſe, nec unum quidem verbum prætcriiſſe, quod præceperat Dominus Moyſi*. Et 4. Regum 23. *Ioſias* narratur *feciſſe juxta omnem legem Moyſi*. Non igitur fideles veteris Teſtamenti propter Sacrificii expiatorii dilationem fuerunt omnes impuri, & ſordidi. Licet enim Sacrificium expiatorium differretur; juſtificabuntur tamen per fidem Mediatoris *venturi*, unde illis Sacrificium expiatorium, ſeu mors Chriſti ſalutifera per fidem apprehenſa jam *virtualiter* aderat.

3. *Tria ſunt Teſtamenta, æternum, vetus, & novum.*

D. Thomas 1. 2. q. 107. art. 1. *In una, & eadem Civitate dicitur alia lex, quæ imponitur viris perfectis, qui ſtatim poſſunt exequi ea, quæ pertinent ad bonum commune: & alia lex datur de diſciplina puerorum, qui ſunt inſtruendi, qualiter poſtmodum opera virorum exequantur.. ſic igitur lex nova eſt alia à lege veteri, quia lex vetus eſt quaſi pædagogus puerorum, ut Apoſtolus dicit ad Gal. 3. Lex autem nova eſt lex perfectionis data.. viris perfectis*. Unde *differentiæ, quæ ſunt inter novam legem, & veterem, accipiuntur ſecundùm perfectum, & imperfectum*. Ecce Teſtamentum, ſeu lex non dividitur, & quidem tantùm penes perfectum, & imperfectum, niſi in legem veterem & novam. Proinde non ſunt diſtinguenda tria Teſtamenta, quorum unum ſit *æternum*.

Tò

Tò autem *æternum Teſtamentum* includitur in nova lege. *Et ad hoc deſignandum dicitur in forma calicis novi, & æterni Teſtamenti*. 3.p. q.78. art.3. *Dicitur autem Teſtamentum novum ratione exhibitionis: æternum* verò *tam ratione æterna Dei præordinationis, quàm etiam ratione æternæ hæreditatis, quæ per hoc Teſtamentum diſponitur*. Hinc *Apoſtolus dicit ad Hebræos 9. Ideò novi Teſtamenti mediator eſt Chriſtus, ut morte intercedente, repromiſſionem accipiant, qui vocati ſunt æternæ hæreditatis*.

Error circa diem Dominicam.

Non eſt neceſſe obſervare diem Dominicum, ſed ſufficit ad cultum Dei quicumque dies Hebdomadæ.

D. Thomas 1.2. q.103. art.3. ad 4. *Sabbathum, quod ſignificabat primam creationem, mutatum eſt* modò *in diem Dominicam, in quo commemoratur* nova creatura inchoata in Reſurrectione Chriſti. Unde non haberetur repræſentatio iſta *nova creaturæ*, niſi obſervaretur *dies Dominicus*: adeòque cultui divino non quæcumque dies Hebdomadæ, ſed *Dominica* deſtinata eſt.

Errores Edmundi Richerii.

1. *Collationes beneficiorum* 1400. *annis communi jure, id eſt ſacris electionibus factas, lex divina, & naturalis confirmant.*

D. Thomas 2.2. q.10. art. 12. celeberrimo. *Conſuetudo Eccleſiæ ſemper eſt in omnibus æmulanda*. Fuit verò jam ab aliquot ſæculis Eccleſiæ conſuetudo, quòd collationes beneficiorum *per electiones* non contigerint, unde conſuetudini illi ſtandum eſt. Quod tamen dicendum non foret, ſi collationes beneficiorum *via electionis* eſſent de jure divino, aut naturali, ut hæc aſſertio contendit, conſuetudo enim nequit refragari juri divino, aut naturali.

Sanè ſi electiones Prælatorum eſſent de jure divino, ſequeretur, aut nullos eſſe jam veros Epiſcopos, aut illos peccaſſe mortaliter ſine electione ſuſcipiendo Epiſcopatum. Deinde, non eſt præceptum de electione Prælatorum in Scripturis. Sunt quidem illic exempla electionis (ut v.g. patet in Matth. Act.1.) ſed illa præceptum non faciunt. Unde ruit hæc aſſertio *Richerii*.

2. Ca-

2. *Canone, aut Concilio Eccleſiam ſponſam gubernari voluit Dominus, ut Romanus Pontifex abſque aliis Epiſcopis nihil quidquam magni momenti de proprio motu decerneret.*

D. Thomas 2. 2. q. 1. a. 10. *Dominus Lucæ* 22. *Petro dixit, quem ſummum Pontificem conſtituit: ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus* confirma fratres tuos. Non dixit, *confirmare* à fratribus tuis, ab Epiſcopis, dum quidpiam magni momenti decernendum eſt. Sed *confirma fratres tuos*, eos tibi ſubde, illis eſto & extra Concilium, & in Concilio, ac ubique ſuperior, eos veritatem edoce, eos ſolidiſſimis, & inconcuſſis, quibus omnes hæreſes, errores, portæque Inferi non prævaleant, imbue doctrinis. Unde ſine Epiſcopis, vel Concilio Romanus Pontifex quidpiam magni momenti de *motu proprio* poteſt decernere. Nonne id in primitiva patuit Eccleſia? illa annis 325. ſine generalibus ſtetit immota Conciliis; quis tunc enatas *Saturnini*, *Baſilidis*, *Nicolaitarum*, *Gnoſticorum*, *Marcionis*, *Montani*, aliorumque damnavit hæreſes, nonne exiſtens pro tempore Romanus Pontifex?

Sed & poſt Oecumenica celebrari cœpta Concilia *Manichæi*, *Aerius*, *Jovinianus*, *Helvidius*, *Pelagius*, aliique *ſolius* ſedis Apoſtolicæ authoritate profligati ſunt.

Quin imo Dogmata, Deciſiones, Reſolutiones, Definitiones Conciliorum generalium irrefragabile robur non habent, niſi à Romano confirmentur Pontifice.

Id egregiè exprimit Doctor Angelicus loco citato. Ad ſolam authoritatem ſummi Pontificis pertinet finaliter (poſtquam omnia in Conſiſtoriis, & Conciliis reſoluta ſunt) determinare ea, quæ ſunt fidei, ut ab omnibus inconcuſſa fide teneantur. Vide Opuſculum noſtrum in *propoſ. Damnatas*, pagina 181.

AP-

APPENDIX NOVA AD SÆCULUM XVII.

DE PRÆADAMITIS.

Præadamitæ. PRæadamitæ dici poſſunt homines hi, qui ante Adamum extitiſſe finguntur, vel hi quibus eos extitiſſe fingere placuit, qualis fuit recentior quidam anonymus, qui anno 1655. inter alios errores auſus eſt aſſerere primò, *alios ante Adamum extitiſſe à Deo creatos homines*, quos ideò *Præadamitas* dicebat, & *Adamum non eſſe primum hominem à Deo creatum*, edito ea de cauſa in lucem libro, cui titulus eſt, *Præadamitæ ſive exercitatio ſuper verſus 12. 13. 14. cap. 5. Epiſt. Pauli ad Rom.* & iterùm paulò poſt edito altero, cum hoc præfixo titulo, *Syſtema Theologicum ex Præadamitarum hypotheſi.* 2. *quod Moſes capite primo Geneſeos enarret Gentilium creationem, & capite ſecundo creationem Adami primi Patris non omnium hominum, ſed ſolummodò Iudæorum.* 3. *quod Diluvium Noeticum non fuerit univerſale ſuper omnem faciem terræ, ſed ſolùm ſupra Civitates, & Paleſtinæ Provincias*; 4. *quod Gentiles omnibus vitiis dediti fuiſſent, non tamen peccaſſe*, niſus malæ intelligentiæ verborum D. Pauli ad Rom. cap. 5. verſ. 13. dicentis, *Uſque ad legem enim peccatum erat in Mundo; peccatum autem non imputabatur, cum lex non eſſet*: 5. *quod Adam, & Gentiles mortui ſunt, non quia peccaverint, ſed ex conditione naturæ, hoc eſt quia corpus corruptioni ſubjectum induerint.*

Author iſte anonymus ſummam erga Dei Eccleſiam venerationem ſimulans, verbis, & calamo oppugnare conabatur. Pellem ovinam oſtentans, lupinos undequaque mores exercebat. Tandem divina excitatus gratia, abjuratis ſuæ doctrinæ tenebris, in Catholica luce obiit *Aubervilli* apud Pariſios.

Re-

Refelluntur Errores.

1. Adam non fuit primus homo à Deo creatus, ſed ante ipſum fuerunt alii homines, qui Præadamitæ vocabantur.

In capite primo Geneſeos Moſes nullos Præadamitas commemorat, ſed primi hominis creationem deſcribit. *Creavit Deus hominem &c.* Hunc autem Adamum fuiſſe conſtat ex cap. 2. 3. & ſequentibus, præſertim ex cap. 5. ubi verba primi capitis repetens Moſes, illa de Adamo intelligenda ſignificat. *Hic eſt liber generationis Adam &c. & vocavit nomen eorum Adam in die, quo creati ſunt.* Et Apoſtol. 1. ad Corinth. 15. *Factus primus homo Adam in animam viventem; noviſſimus Adam in ſpiritum vivificantem. Primus homo de terra terrenus: Secundus homo de Cœlo Cœleſtis.*

D. Thomas 1. p. q. 92. art. 2. in corpore. In hoc quædam dignitas primo homini ſervatur, ut ſecundùm Dei ſimilitudinem ſit & ipſe principium totius ſuæ ſpeciei, ſicut Deus eſt principium totius Univerſi; ſed Deus ita eſt principium totius Univerſi, ut omnia ab eo creata ſint, ita Adam erit primus homo, ut cœteri homines ab ipſo ſint procreati.

2. Moſes capite primo Geneſeos enarrat Gentilium creationem, & cap. 2. creationem Adami primi Patris, non omnium hominum, ſed ſolùm Hebræorum.

D. Thomas 1. p. q. 92. art. 2. In arg. ſed Con. ex illo Actuum 17. *Deus, qui fecit Mundum, & omnia, quæ in eo ſunt fecit ex uno omne genus hominum inhabitare ſuper univerſam terram.*

Nam in primo cap. ſicut Moſes commemorat generationes Cœli, & terræ, quando creata ſunt in die quo fecit Dominus Deus Cœlum, & terram &c. ita creationem hominis, cum dicit *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ &c.* Sicut ergò non alii Cœli, non alia terra anteà fuerunt, ita nec alii homines; Quod clarè patet ex verbis cap. 2. verſ. 5. *Et homo* non erat, qui *operaretur terram*; quod falſum eſſet, ſi Gentiles ante

Adam

Adam in primo capite ſomniati, fuiſſent creati.

Preterea Apoſtol. ad Rom. cap. 5. *Propterea*, inquit, *peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt*. Quapropter ſi Adam cenſendus ſolùm eſſet primus parens hebreorum, non autem omnium hominum; ſoli hebrei morerentur, hebreos peccatum originale duntaxat inficeret, & cœteri homines nature morbo eſſent immunes; quod eſt falſum.

3. Diluvium Noeticum, non fuit univerſale ſuper omnem faciem terre, ſed ſolummodò ſuper Civitates, & Paleſtine Provincias.

Cauſa immittendi Diluvium, fuit ut habetur Geneſ. cap. 6. Quia; *Omnis caro corruperat viam ſuam ſuper terram*; & immiſſo diluvio *venit*, inquit Deus, *Finis univerſæ carnis coram me. Requievit Arca menſe ſeptimo, vigeſimo ſeptimo die menſis ſuper montes Armeniæ*. Celſiſſimos Montes ſuperavit Arca; Quo ergo miraculo prohibite ſunt aque, ut ſolos Paleſtine terminos inundarent? Si intra Paleſtinam diluvium graſſatum eſt; fruſtrà commiſiſſet Deus Noè arcam in ſui refugium ædificare, cum extra Paleſtinam brevi, ac facili itinere poſſet tranſmeare.

4. Gentiles omnibus vitiis dediti erant, & tamen non peccabant; *Peccatum enim non imputabatur cum lex non eſſet*.

D. Thomas Lect. 4. ad Rom. 5. *Peccatum erat in mundo* ſcilicet actuale; homines enim multipliciter peccabant contra legem naturæ; unde dicitur Gen. 13. *Homines Sodomitæ peſſimi erant*. Peccatum autem nôn imputabatur cum lex non eſſet; quod eſt intelligendum, non quia imputaretur; quaſi puniendum apud homines, cum quidam legantur ante legem puniti ab hominibus pro peccatis, ut patet Gen. 39. & 40. ſed nôn imputabatur quaſi à Deo puniendum. Tunc enim non credebant homines, quod Deus humana facta, vel puniret, vel prœmiaret ſecundùm illud Job. 22. Circa Cardines Cœli perambulat, nec noſtra conſiderat.

5. Adam, & Gentiles mortui ſunt, non quia peccaverint, ſed ex conditione naturæ, hoc eſt, quia cor-

corpus corruptioni ſubjectum habuerunt.

D.T. ad Rom. 3. Lect. 3. Dicendum eſt autem, quod humana natura dupliciter conſiderari poteſt, uno modo ſecundum principia intrinſeca, & ſic mors eſt ei naturalis; Unde Seneca dicit in libro de remediis fortuitorum, quod mors, natura eſt hominis, non pœna; alio modò poteſt conſiderari natura hominis ſecundùm quod per divinam providentiam ei per juſtitiam originalem proviſum fuit &c. Sic ergo (ſequitur D. T.) poſt quam mens hominis per peccatum eſt à Deo averſa, amiſit virtutem continendi vires inferiores, & etiam corpus, & exteriora; & ſic incurrit mortem naturalem à cauſis intrinſecis, & violentam ab exterioribus nocumentis.

Ulterius repugnat hoc Definitioni Eccleſię; Nam in Concilio univerſali Africę, Carthagine celebrato; anno 418. cujus canones ſub Milevitani Concilii titulo editi ſunt; quorum primus hunc Pelagianorum damnat errorem, ut quicunque dicit Adam primum hominem mortalem factum, ita ut ſive peccaret, ſive non peccaret, moreretur in corpore hoc eſt de corpore exiret, non peccati merito, ſed neceſſitate naturę; Anathema ſit.

Item Apoſt. ad Rom. 5. Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors; nota Apoſt. non dicere, & per conditionem naturæ; ſeu corpus corruptioni ſubjectum, ſed per peccatum mors; Et ad Rom. 8. Corpus quidem mortuum eſt propter peccatum.

ERRONES
SÆCULI DECIMI-OCTAVI.

HOc ſeculo fervet tum in ampla parte Germaniæ, tum in Helvetia *Pietiſtarum* ſecta. Hujus vel Author, vel Promulgator fertur fuiſſe *N. FranK* in Univerſitate Hallenſi in Saxonia Theologiæ Profeſſor. *Pietiſtæ* dicti ſunt tales ab adulterinà, quam verbis, vultu, oculis, toto corporis niſu affectant, pietate. Solitudinem amant: Enthuſiaſmis, revelationibus, ſpe- *Pietiſtæ*

cioſis gradibus perfectionis, imaginaria unione cum Deo, fucata quiete Spiritus ſe paſcunt. Hinc non videntur diferre niſi nomine a *Meſſalianis*, *Beguardis*, & *Beguinis* (de quibus ſeculo 4. & 14.) *Illuminatis*, & *Quietiſtis*: de his ſeculo precedenti egimus. Proinde tot illa damnatarum ſectarum congeries nova refutatione non indiget.

Varii *Pietiſtarum* Miniſtri nuper *Scafhuſii* in Helvetia virgis ceſi ſunt, ac deinde exilio mulctati. Sed in hiſce gloriati ſunt, ſe eſſe imitatores Apoſtoli cujus cupiunt premere veſtigia. Unde nihil de ſua dementia remittunt.

Noviſſima ſecta cujuſdam viſionarii in Gallia. A novorum illorum *Beguardorum*, & *Beguinarum* inſania non multùm diſcrepat miſerum commentum, quod noviſſimè à paucis ſeptimanis Paſtor quidam (*Capè* illi nomen eſt) profudit in Diœceſi Xantonenſi in Gallia.

Docebat, *æqualem à Deo omnibus tribui hominibus gratiam tam peccatoribus, quàm juſtis: Deumque vel in hac vita videri ab hominibus, licet minùs clarè à peccatoribus*.

Hæc & plura hujuſmodi incautæ plebi venditans coram Ampliſſimis Diœceſeos Vicariis citatus eſt. Aliquot Scripture locis errorem fruſtra munire conatus, Doctorum ſententię viſus eſt acquieſcere, promiſitque, quod datum a ſe ſcandalum oppoſitis aſſertionibus coram ſuis eſſet reparaturus. At ecce vix in pagum reverſus magis cœpit deliramentis ſuis infarcire auditores. Quare iterum apud ſuperiores ſiſtitur. Sua acriter tuetur ſomnia, erroris convincitur, illum & ipſe damnat, & in ſerię, ſolidęque retractationis ſuę argumentum, ſcripta quędam, quę pro defenſione aberrationum elucubrarat, in ignem proiicit. Credebatur tunc ſaltem è cerebro eradicaſſe commenta. Itaque ad ſubditos remiſſus eſt. At irrequietarum nequiit comprimere ęſtum idearum. Statim conſcendit ſuggeſtum, & majori, quam unquam ante vehementia, & impetu ex illo detonans ſua ſenſa inſtaurat, propugnat, urget, ſeque in illorum explicationem, expreſſionem, & rationem, quę ipſis verè opponi poterant,

terant, imaginariam ſolutionem eviſcerat.

Fama hac totam per Galliam percrebreſcente, Sereniſſimus Aurelianenſium Dux Galliarum Regens eum ad ſe accerſiri juſſit. Modò Pariſiis, negotio accuratè diſcuſſo, in carcere aſſervatur.

Paſtor ille 45. annos natus eſt.

Theologiæ Doctor eſt in Academia Burdegalenſi. Adeò vel eruditiores (ſi divina deſit gratia) Spiritu vertiginis immerguntur.

LUTHERI, ET CALVINI, SEU SECTARIORUM DOGMATA.

AD *Lutheri* modò, & *Calvini*, ſeu *Sectariorum* me converto Dogmata.

At quid aggredimur? cur illa diſcutienda ſuſcipimus, quæ jam ab ipſis Eccleſiæ incunabulis, à longa remotiſſimorum ſæculorum ſerie prædamnata ſunt? quid eſt aliud *Lutheri*, & *Calvini* doctrina, quàm antiquorum per Eccleſiam Catholicam proſcriptorum inſtauratio errorum?

Uterque docet, *nullam eſſe in homine arbitrii libertatem*. Idem docuit ſæculo 1. *Simon Magus* errore 3. & ſæculo 3. *Manichæi* errore 9.

Uterque docet, *non eſſe neceſſaria ad ſalutem bona opera, ſed ſufficere fidem*. Idem docuit *Simon Magus* errore 4. & ſæculo 4. *Eunomius* errore 1.

Uterque docet, *habenti fidem nihil obeſſe peccata quantumlibet multa, & magna, horum enim malitiam non imputari credenti*. Idem docuit Eunomius errore 2.

Uterque docet, *Deum præcipere impoſſibilia*. Idem docuit *Ptolomæus* ſeculo 2.

Uterque docet, *concupiſcentiam eſſe peccatum*. Idem docuit *Proclus* Montani Diſcipulus eodem ſeculo.

Uterque tollit *Traditiones omnes, & ſolis Scripturis*

omnia vult contineri. Idem docuere ſæculo 2. *Gnoſtici* errore 5. ſæculo 4. *Eunomius* errore 3. *Arius* & *Macedonius* errore 2.

Uterque docet, *Eccleſiam ſolis bonis conſtare, & Eccleſiam olim viſibilem multis ſæculis periiſſe: hoc verò tempore in ſuo tantum cœtu exiſtere*. Idem docuerunt in ſubſtantia ſæculo 4. *Donatiſtæ* errore primo, & ſæculo 12. *Waldenſes* errore 1.

Uterque docet, *omnia peccata eſſe paria, nec ullum dari peccatum ex natura ſua veniale*. Idem ſæculo 4. docuit *Jovinianus* errore 2.

Uterque docet, *non dari Epiſcopos in Eccleſia, qui ſint Presbyteris ſuperiores*. Idem ſæculo 4. docuit *Aerius* errore 1.

Uterque docet, *non eſſe orandum pro defunctis; non eſſe ſervandum jejunium Quadrageſimale, aut alia ſtata jejunia*. Idem docuit citatus *Aerius* errore ſecundo, & tertio.

Uterque negat *invocationem Sanctorum, venerationem ſacrarum Reliquiarum, imaginum Chriſti, & Sanctorum*, & vocat hoc *Idololatriam*. Idem olim fecit ſæculo 5. *Vigilantius* errore primo, & ſecundo. *Xenaias* eodem ſæculo. *Iconoclaſtæ* ſæculo 8.

Uterque non admittit *ſeptem Sacramenta*, ſed tantùm duo, *Baptiſmum, & Cœnam*, unde & *pœnitentiam* Sectarii reiiciunt. *Archontici* ſeculò 2. nulla admittebant Sacramenta. *Novatus* ſæculo 3. errore 2. ſpecialiter negabat *Confirmationem eſſe Sacramentum, & flagitia poſt Baptiſmum perpetrata* nolebat *Sacerdotum miniſterio, & authoritate remitti*.

Calvinus negat *realem Corporis Chriſti in Euchariſtia præſentiam*. Idem negavit ſæculo 11. *Berengarius* errore 1. Lutherus verò aſſerit illic quidem eſſe *realem Corporis Chriſti præſentiam*, ſed ibi *ſimul* contendit *eſſe panem*. Idem aſſeruit *Berengarius* errore 2.

Uterque docet, *Pontificem Romanum non eſſe caput Eccleſiæ*. Idem ſæculo 14. docuit Wicleff propoſitione 37.

Sectarii docuerunt, *proprium Dei opus non minùs eſſe proditionem Judæ, quàm vocationem Pauli*; ex quibus aliiſque verbis Catholici deducebant, *Sectarios* ſuſtinere,

nere, *Deum eſſe authorem peccati*, (*Modernos* illius modò doctrinę pudet .) *Deum* verò *eſſe authorem peccati*, docuit *Florinus* ſęculo 2.

Sola *Sectariorum* doctrina de *merito*, nova eſt ſaltem quoad modum explicandi; ſola, inquam, doctrina de *merito*: illorum enim ſyſtemati de *juſtificatione*, *boniſque operibus*, quę dicunt *eſſe infecta peccato*, prę-luſit pręcitatus *Proclus* ſęculo 2. docens concupiſcentiam, quę in *juſtis* etiam remanet, *eſſe peccatum*.

Unde liquet, *pleraque illorum dogmata* eſſe Hęreſes *antiquas* à tot elapſis, & reconditis ſæculis ab Eccleſia damnatas.

Cum verò fateantur *Sectarii* primis 5. ſæculis veram fuiſſe in Eccleſia Romana fidem; ſeipſos dogmata tunc ab ea profligata renovantes inviti licet damnent, convincant, perimant, neceſſe eſt.

Proindè, illa veterum vibrata in Adverſarios repetitio Hæreſum ineluctabile ſemper fuit invictumque argumentum. Aliis ſane vix armis opus eſt, ut demonſtretur apud nos ſolummodò, non apud eos veram, ut prætendunt, extare Eccleſiam.

Age tamen; præcipua *Sectariorum* doctrinæ capita ſine ulla acrimonia veritati unicè intenti expendamus, vel quod in idem redit, fidem exponamus Catholicam, omnibus abſterſis ei calumniis, nebulis, tenebris, quæ ab adverſariis illi ſunt offuſæ, vel etiamnum offunduntur. Tollatur caligo præjudiciorum. Hæc omnia averſatur veritas. Deformi noſtræ detracta Religioni facie, apparebit digna, quæ ſuſcipiatur.

Porrò licet D. Thomas omnes hactenus errores à *Simone Mago* ad hæc uſque tempora, imò & *Sectariorum* in *priſcis*, ut in hoc operis decurſu vidimus, *Hæreticis* plerumque è Scripturis Sacris, quas ſolas fermè inclamant adverſarii, prædebellarit, modò tamen *Aquinatem*, cum vel umbra citati cujuſdam S. Patris, dum eis refragatur, illos feriat, hoc eorum dantes pæoccupationi, tantiſper ſeponemus.

Pro majori perſpicuitate, & ordine doctrinam Eccleſiæ (quam potiſſimùm ex Concilio Tridentino, ejuſque Catechiſmo colligemus) partiemur in varias

materias. 1. agemus de Invocatione Sanctorum. 2. de cultu imaginum. 3. de cultu Reliquiarum. 4. de Feſtis Sanctorum. 5. de juſtificatione. 6. de merito. 7. de libero arbitrio. 8. de ſatisfactionibus. 9. de Indulgentiis. 10. de purgatorio. 11. de Sacramentis in genere. 12. de omnibus in ſpecie, ultimum reſervantes locum Euchariſtiæ, cum de ea ſit præcipua nos inter, & *Sectarios* controverſia. 13. tractabimus de Sacrificio Miſſæ. 14. de Communione ſub utraque ſpecie. 15. de Traditione. 16. de Authoritate Eccleſiæ. 17. de viſibili illius Capite. 18. concludemus, ſolam Romanam dicendam eſſe veram Chriſti Eccleſiam, adeòque extra *Romanam Eccleſiam* non dari ſalutem.

INVOCATIO SANCTORUM.

Invocatio Sanctorum. SEctarii jam dudum exiſtimarunt, execrabilem à Catholicis in Invocatione Sanctorum, veneratione Imaginum, & cultu Reliquiarum exerceri idololatriam. Tam altè ſubditorum mentes hæc perſuaſio penetravit, ut paſſim populus iſte autumet nos pro Deo vivente mortuos homines: pro ſummo, & ſempiterno Spiritu oſſa, & cineres, ligna, & lapides adorare. Sed tandem ſiniſtræ exuantur ideæ: en dogma Romano-Catholicum ab omni prorſus idololatriæ umbra alienum. Docet, & profitetur Eccleſia cum Scriptura Sacra Matth. 4. (*Dominum Deum tuum adorabis*) & omni retrò Antiquitate, cultum latriæ ſoli Deo utpote rerum omnium conditori, & ſupremo Domino eſſe tribuendum, nec eum ulli omninò creaturæ exhiberi poſſe. In Sanctis enim vel præſtantiſſimis nullum eſt excellentiæ genus, quod à Deo non oriatur, nec virtus ulla, niſi quæ divinæ ſit donum gratiæ, nec ulla nos juvandi niſi precibus facultas. Unde nos non colimus Sanctum quemcumque, ut rerum omnium Authorem (quod certum idololatriæ foret argumentum) ſed ſolum, ut amicum ejus, qui abſolutus, & univerſalis eſt Dominus. Tanti enim Deum facimus, ut etiam eos, quos ipſe in ſublimitate collocavit, aliquo dignos

dignos honore arbitremur. Quod quidem non in injuriam, ſed gloriam Dei cedit: ſicut in honorem Regis cedit, quod ejus aulici honorentur propter eorum relationem ad Regem, nimirum quia ſunt ejus domeſtici, miniſtri, amici.

Deinde, idololatræ diis Sacrificia offerebant: inter Catholicos nihil per umbram ſimile, qui omninò ſacrilegum eſſe profitentur, alteri, quam ſoli Deo Sacrificare. Hinc *Sanctis ab Eccleſia*, inquit Concilium Trid. ſeſſ. 22. cap. 3. *Sacrificium non offertur, ſed Deo Soli, qui illos coronavit; unde nec Sacerdos dicere ſolet* offero tibi Sacrificium, *Petre, vel Paule, ſed Deo de illorum Victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipſi pro nobis intercedere dignentur in Cœlis, quorum memoriam facimus in terris*. Proinde Sanctorum cultus in illorum pro nobis ſiſtit interceſſione apud Deum. Abſit hic igitur vel tenuis quædam ſpecies idololatriæ.

Porrò Eccleſia docet, *bonum atque utile eſſe, ſuppliciter eos invocare*. Concil. Trid. ſeſſ. 25. Eo autem charitatis Spiritu & fraternæ ſocietatis ordine invocandi, ſeu orandi ſunt, quo ad Fratrum in terris viventium auxilium quærendum inducimur. Hoc verò præſtitit Apoſtolus ſcribens 2. ad Theſſ. 3. *Fratres orate pro nobis*. Et ad Coloſſ. 4. *Orationi inſtate orantes ſimul & pro nobis*. Ad Rom. etiam 15. *Obſecro vos, Fratres, per charitatem Sancti Spiritus, ut adjuvetis me in orationibus*. Qua ex doctrina concludit Concilii Tridentini Catechiſmus Catholicorum dogmatum medullam continens *par. 3. tit. de cultu, & Invocatione Sanctorum*; ſi quid Mediatoris dignitas (ut ſemper obiiciunt Sectarii) Chriſto in Scripturis tributa Sanctorum cum Deo regnantium interceſſione minueretur, non minus viventium nobiſcum Fidelium interceſſione eſſe minuendam. Demonſtrat Catechiſmus ille parte 4. tit. *Quis orandus ſit*, immenſum diſcrimen inter modum, quo Dei, & modum, quo Sanctorum auxilium imploramus. *Nam precamur*, inquit, *Deum, ut ipſe vel bona det, vel liberet nos à malis: à Sanctis autem, quia gratioſi ſunt apud Deum, petimus, ut noſtri*

patrocinium ſuſcipiant, ut nobis à Deo impetrent ea, quorum indigemus. Hinc duas adhibemus precandi formulas differentes, ad Deum enim proprie dicimus miſerere nobis, audi nos: *ad Sanctum verò* Ora pro nobis: unde nobis perſuadere debemus, quibuſcumque verbis etiam graviſſimis conceptæ ſint preces ad Sanctos vel directę, vel dirigendæ, eas ad hanc ſolam formam *Ora*, aut *Orate pro nobis* per Eccleſiam intelligi. In Catholicæ confirmationem doctrinę ponderentur verba Tridentini loco citato docentis: *Sanctos una cum Chriſto regnantes orationes ſuas pro hominibus Deo offerre, bonum, atque utile eſſe ſuppliciter eos invocare, & ob beneficia impetranda à Deo per Filium ejus Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui* Solus noſter redemptor, & Salvator eſt, *ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere*. Evidentiſſimum igitur eſt ex mente Concilii, Sanctos invocare nihil aliud eſſe, quam *ad eorum preces confugere, ad beneficia per Chriſtum à Deo impetranda*. Reipſa enim per Chriſtum ſolum, inque ejus ſacratiſſimo, & efficaciſſimo nomine conſequimur, quodcumque conſequimur intervenientibus Sanctis, cum ipſi Sancti non niſi per Chriſtum orent, nec niſi in ejus nomine exaudiantur. Hinc accuratiſſimè obſervandum eſt, orationibus, ſeu precibus ad Sanctos fuſis ſemper ſubnecti haſce particulas per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum. Non intelligimus igitur, qui nobis à Sectariis objectari poſſit, à Chriſto Mediatore nos recedere, cum rogamus ejus membra, quæ noſtra etiam membra ſunt, ejus Filios, Fratres noſtros, ejus Sanctos, primitias noſtras, ut nobiſcum tanquam comprecatores, & pro nobis communem obſecrent Dominum in nomine Communis, & unius Mediatoris Dei, & hominum Jeſu Chriſti.

Object. Reſtat aliud adverſariorum argumentum, quod ſcilicet per preces ad Sanctos directas, occultarum eis tribuamus cogitationum notitiam, quam tamen ſibi Deum reſervare, tot Scripturæ apparet teſtimoniis.

Reſp. Sed profecto *Sectarii* hoc nobis opponentes non ſatis Eccleſiæ percipiunt doctrinam. An ideò ſupra ſuam

eſſer-

effertur ſortem creatura, quod quarumdam rerum notitiam per lucem ſibi à Deo communicatam haurire dicatur? nonne id variis, dum in hac vita degerent, contigit Prophetis? nonne Samuel cognovit omnia; quæ *erant in corde Saulis* 1. Reg. 9.? nonne Eliſæus ſcivit omnia, quę à ſamulo abſente erant perpetrata 4. Reg. 5.? nonne Daniel perſpectum habuit occultum ſomnium Nabuchodonoſoris. Dan. 2.? nonne etiam Petrus Apoſtolus ſcivit fraudem Ananię, & Saphiræ *circa pretium agri* Act. 5.? cur ea negetur cognitio in Patria, quę quibuſdam data fuit in via?

Ceterùm nulli unquam Catholico in mentem venit, Sanctos ex *ſeſe* cognoſcere ea, quibus indigemus, aut etiam tacitas noſtras voluntates. Hoc certè Deo reſervatum eſt. Sufficit Eccleſiæ omni antiquitate ſibi adſtipulante, docere, preces eis eſſe utiliſſimas, qui illas fundunt, ſive illę Sanctis innoteſcant miniſterio, ſocietateque Angelorum, quos illa ſcire, quæ geruntur apud nos, Scriptura teſtatur, *cum ſint adminiſtratorii Spiritus miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis*; Hebr. 1. ſeu Deus ipſe noſtra Sanctis deſideria, & efflagitationes ſingulari révelatione pandat, ſeu denique id ipſis arcanum in infinita ſua eſſentia tanquam in lucidiſſimo ſpeculo (ut eſt communior Theologorum opinio) manifeſtet: de quibus omnibus nihil definivit Eccleſia.

At quocumque pacto id fiat, certè verum eſt, Eccleſiam nihil creaturę in rebus noſtris cognoſcendis, quod ſoli Deo competat, Idololatrarum more tribuere, cum nulla ſit in Sanctis noſtrorum deſideriorum, precum, humanorum negotiorum notitia, niſi quam eis Deus communicet.

Sed, ut pateat, quod Sancti (quomodocumque modo id contingat) noſtras cognoſcant, Deoque offerant neceſſitates, & orationes juvat hic locum pro millibus unum ex quinto capite Apocalypſis v. 8. ſubnectere. Illic *viginti quatuor ſeniores* (juſtorum ſcilicet animę in Cœlo, dum Joannes hęc ſcribebat, collocatę, de quibus utique v. ſequenti habetur, *re-*

demi-

demiſti nos ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione) illic, inquam, dicuntur præfati *ſinguli habuiſſe phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum.* Illæ igitur animæ beatæ deferebant, & offerebant Sanctorum in terra militantium orationes velut odoramenta fragrantia, & incenſa gratiſſima in conſpectu Domini.

CULTUS IMAGINUM.

Cultus Imaginum. CUm is honor, qui Sanctis a fidelibus exhibetur, coram eorum Imaginibus, ſacriſque Reliquiis maximè appareat, quid de illis Eccleſia ſentiat, declarandum eſt. Tridentina Synodus ſeſſ. 25. diſertè, & expreſsè prohibet, ne imaginibus *credatur ineſſe aliqua divinitas, vel virtus, propter quam ſint colendæ, vel ab eis aliquid petatur, vel fiducia in imaginibus figatur: veluti olim fiebat à Gentibus, quæ in Idolis ſpem ſuam collocabant: honos* itaque, *qui eis exibetur, refertur ad Prototypa, quæ illæ* (imagines) *repræſentant: ita ut per imagines, quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus & procumbimus, Chriſtum adoremus, & Sanctos, quorum illæ ſimilitud nem gerunt, veneremur.* Quam procul igitur Eccleſia vel ab umbra idololatriæ remota eſt!

Obiect. At inquies: dicitur Exodi. 20. *non facies tibi ſculptile.*

Reſp. Sanè eo loco non prohibetur facere quodcumque ſculptile, ſed facere *ad adorandum.* Unde ſubditur. *Non adorabis ea, neque coles.* Non ea ſimulachra, aut ſculptilia facies, ut illa adores, aut colas ſicut Deos. Unde ibi tantùm prohibetur uſus imaginum, quas Gentiles conficiebant in ſuorum venerationem Deorum. Et ideò præmittitur: *Non habebis Deos alienos coram me.* Quod verò non abſolutè prohibeantur imagines, patet ex capite 25. Exodi, ubi Deus duos Cherubim exſtrui juſſit ex utraque parte Tabernaculi. *Duos Cherubim aureos & productiles facies ex utraque parte Tabernaculi. Cherub unus ſit in latere uno, & alter in altero.*

altero. Moyſes quoque, Deo mandante, Num. 21. conflavit ſerpentem æneum, quem qui percuſſus, & intoxicatus ſerpentum morſu aſpiciebat; ſanabatur. *Fac ſerpentem æneum, & pone eum pro ſigno: qui percuſſus aſpexerit eum, vivet*. Sed & Salomon 3. Reg. 7. Moyſem æmulatus, *Cherubim ſculpſit* in Templo. Non igitur vetatur in Scripturis de ſe confectio, & uſus imaginum. Falſum proinde eſt, uſum illum (ut & obiiciunt hodiè ſectarii, & olim obiecere *Chriſtianocategori* ſæculo 8.) non aliis rationibus à nobis defendi poſſe, quàm quibus Ethnici cultum idolorum defendebant. Hoc age, demonſtremus.

1. Ethnici *Polytheiſmum*, ſeu multitudinem Deorum credebant. 2. eorum ſimulachris divinitatem affricabant ob reſponſa, quæ Dæmones in eis promebant, & alios hujuſmodi affectus mirabiles. 3. Hinc, ut in falſis ſuis Diis, ita & in eorum iconibus fiduciam figebant, & beneficia ab eis expectabant, quod ex infinitis locis profanæ Hiſtoriæ tum Græcæ, tum Latinæ ſole clarius apparet.

Catholici verò unum Deum credunt; nec in ulla ſtatua, vel imagine divinitatem ponunt: nec fiduciam collocant, nec ab ulla ſtatua, vel imagine beneficia præſtolantur.

Enim vero Sacræ imagines non alium apud nos Catholicos uſum ſibi vendicant, quam, ut per eas Sanctorum in nobis prototyporum memoria refricetur, ut noſtra erga Sanctos, quos illæ exhibent, devotio acuatur, ad eos imitandos provocemur, atque ad ipſos orandos, ut pro nobis ad Deum per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum intercedant, excitemur.

Itaque non oramus imagines, ſed apud imagines. Scimus illas inanimes, viſu, auditu, omni ſenſu carere. Iis ſolummodo loquimur, quorum ſunt imagines. Sanctis, inquam, loquimur, in iiſque ipſum Deum Sanctitatis omnis, & gratiæ Authorem veneramur.

Unde liquet innumera eſſe, quibus ab Idololatris ſecernimur. Quin & hodiè Sectarii hoc in puncto ſenſim erga nos redduntur mitiores.

CUL-

Cultus Reliquiarum.

CULTUS RELIQUIARUM.

EOdem ſenſu accipiendus eſt honor, quem prima Eccleſiæ tempora imitati, Sacris deferimus Reliquiis. Profectò, ſi rectè perpenderent adverſarii, Sanctorum corpora à nobis conſiderari ut Templa, & Organa Spiritus Sancti in eis quondam habitantis, & operantis, & ut victimas olim Deo vel Martyrio vel pœnitentia conſecratas, non facilè adduci poſſent, ut crederent, nos honore ob ea motiva eis exhibito, ab honore ipſi Deo exhibendo ullatenus dimoveri.

Quocirca precor, ut hæc ſequentia expendant Sectarii. Ea ſanè eſt vis amoris, quo in aliquem ferimur, ut ille in ejus proles, & amicos, ac deinde quibuſdam veluti gradibus, ad ea, quæ effigiem ipſius referant, & ad monumenta, quæ ex illo ſuperſint, ac tandem ad omnia quæ quovis modo ejus memoriam refricent, indiviſus extendatur: idem quoque eſt proceſſus honoris; cum honor nihil aliud ſit, quàm timori, & reverentiæ immixtus amor. Sic igitur, & amor noſter & honor erga Deum, ad Sanctos etiam illius filios, cohæredes, amicos, eorumque corpora, ſeu Reliquias, vel quidquid ex iis reſtare poteſt, indiviſè & indivulsè, ſeu ſine ulla divini tum amoris, tum honoris imminutione ſe dilatat, unde omnis Eccleſiæ Catholicæ cultus à Deo proficiſcitur, & ad Deum redit, ac refunditur. Proinde cenſendum non eſt, eo cultu, qui Sanctis, eorumque Reliquiis exhibetur, Deum ad æmulationem provocari. Hinc, quemadmodum Deus licet ab hominibus amari, ad ęmulationem uſque percupidus nihil amori ſibi debito detrahi arbitratur, dum ejus cauſa proximum diligimus; ita & Deus, etſi deferendę ſibi reverentię ad Zelum uſque ſtudioſus (*ego ſum Dominus Zelotes* Exodi 20.) non ab illis ſuum exiſtimat diminutum honorem, dum ſua in eum veneratione directi, illos honorant, quos ipſe honoravit.

Nonne autem Deus Sanctos, illorumque Reliquias hono-

honoravit (ut alia prætercam) & in cadavere, quod cum ſepulti *tetigiſſet oſſa Eliſæi*, *ſubitò revixit*, 4. Reg. 13. & in Paulo, à *cujus corpore ſudaria*, & *ſemicinctia deferebantur ad languidos*, & *languores* fugabant Act. 19.? nonne vel *umbra* venientis Petri ab obviis quibuſque morbos depulit Act. 5.? quanto apud Deum in honore, & pretio ipſum Petrum fuiſſe exiſtimandum eſt, cujus umbræ tantam impertiebatur virtutem?

Cæterùm nobis imponitur, dum à Sectariis accuſamur, quod theatrum, caput, viſcera, medullam Religionis in Sanctorum cultu, & aliis hanc materiam concernentibus reponamus: cum fideles circa hæc puncta hoc tantùm doceat Tridentina Synodus ſcilicet morem illum de colendis Sanctis, eorumque imaginibus & Reliquiis, *bonum eſſe*, *ac utilem*: (ſeſſ. 25.) nec verbum ampliùs adjungat.

At audio: varii hìc ſunt abuſus.

Object. Certè abuſus illi (ſi qui ſint) particularium ſunt abuſus, non Eccleſiæ. Illos è contra deteſtatur Eccleſia.

Reſp. Ponderate, quid circa hæc omnia Tridentinum ſanciat Concilium loco ſæpe allegato. *Omnis ſuperſtitio in Sanctorum invocatione*, *Reliquiarum veneratione*, & *imaginum Sacro uſu tollatur*, *omnis turpis quæſtus eliminetur*.

FESTA SANCTORUM.

Feſta Sanctorum. CUm omnis cultus Sanctorum à Deo (ut vidimus) oriatur, ad Deum redeat, ſeque in illum ut omnis ſanctitatis authorem, & Oceanum exoneret, in Deum quoque defluunt *Feſta Sanctorum*: proinde quemadmodum Sanctorum veneratio, ita & illorum Feſta omnis ſunt idolatriæ expertia. Non eſt igitur cur ea vellicent Sectarii.

Object. Sed prætereà alio ex medio iſta carpunt adverſarii. Illorum ſcilicet celebratio, inquiunt, in Sacra Scriptura non exprimitur.

Reſp. Hìc vos interrogare liceat. Eſtne in Sacris expreſ-

ſum literis, quod obſervanda ſit dies Dominica? legimus quidem *Dominica die* (Apocalyp. 1.) Joanni eſſe revelata myſteria, ſed non legimus, Dominicam diem, calcato Sabbatho, debere regnare. Iſtam tamen ſolemniter colitis. Sed cur ita? quia hoc aſſerit perpetua (id vobis veritas nolentibus extorquet) Traditio Eccleſiæ illum colentis diem ob Reſurrectionem Domini, quę contigit in Dominica. Sed nonne & Traditio patrocinatur Feſtis Sanctorum: at de *Traditionibus*, quas Sectarii reſpuunt; & tamen velint, nolint, in pluribus admittunt, fuſiùs infra.

Deinde: non minoris authoritatis eſt Eccleſia, quam Synagoga: hæc verò præter Sabbathum à Deo præceptum Exodi 20. inſtituit Feſta quædam in memoriam alicujus ſingularis beneficii à Deo accepti. Ita cum Judęi eſſent erepti è ſanguinaria conſpiratione Aman, ſtatutus fuit dies in anno ſolemnis, quo memoria divini in ſe collati beneficii recoleretur, ut patet Eſther cap. 9. Idem præſtiterunt Bethulienſes in recordationem capitis Holofernis manu fœminæ à cervice avulſi. *Dies Victoriæ hujus feſtivitatis ab Hebræis in numerum Sanctorum dierum accipitur, & colitur à Iudæis ex illo tempore uſque in præſentem diem*. Judith. cap. 16. Quidni igitur liceat Eccleſiæ vel ob quædam beneficia à Deo Sanctorum interceſſione impetrata, vel impetranda, vel ob memoriam præclaræ Victoriæ de hoſtibus fidei per eos relatæ, aut quodvis aliud pium motivum, dies quoſdam Sanctorum venerationi conſecrare?

Sed quid plura? cum hodierna Eccleſia *Anglicana* (quam Sectarii fatentur eſſe veram) Feſtos aliquot dies celebret?

JUSTIFICATIO.

Juſtificatio.

AD Juſtificationem modò, quæ ex peccatore reddit hominem juſtum, Sanctoſque (de quibus egimus) germinat, progredimur.

Hanc materiam fatalis Authores diſſidii olim conſide-

ſiderarunt ut ſuarum caput diſputationum, cauſamque principem diſceſſionis ab Eccleſia. Sed ſanè tanta olim contentione, fervore, impetu agitata quæſtio nuda ſententiæ Catholicæ expoſitione tolli poteſt. Hæc igitur docet Eccleſia.

Primò credimus, *remitti nobis peccata gratis divina miſericordia propter Chriſtum*. Hæc ipſa ſunt Concilii Tridentini verba ſeſſ.6. cap.9. in qua Synodo additur capite 8. *Nos ideò dici gratis juſtificari, quia nihil eorum, quæ Juſtificationem præcedunt, ſive fides, ſive opera, ipſam Juſtificationis gratiam promeretur.*

Sed qui fit Juſtificatio? an per juſtitiam in nobis intrinſecè receptam, qua peccata verè tollantur, an per Juſtitiam Chriſti nobis imputatam, qua peccata duntaxat tegantur? illa Catholicorum, hæc Sectariorum eſt ſententia. Itaque juxta iſtam peccata manent in homine, eo fere modo, quo vulnera alicujus, quæ tantùm teguntur, & occultantur ſub veſte, reverà remanent. At hæc aſſertio ex variis locis Scripturæ Sacræ refellitur. Dicitur Joann. 1. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Act. 4. *Pœnitemini, & convertimini, ut deleantur peccata veſtra*. Hebr.9. *Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata*. Micheæ 7. *Proiiciet in profundum maris omnia peccata noſtra*. Ex quibus omnibus teſtimoniis ita concludo. Id quod tollitur, deletur, exhauritur, & longiſſimè proiicitur ab homine; certè non manet in homine: ſed in juſtificatione peccatum tollitur, deletur, exhauritur, & longiſſimè proiicitur ab homine, ut teſtatur Scriptura; peccatum igitur teſte Scriptura, non manet in homine juſtificato.

Deinde; Scriptura peccata metaphoricè ad res corporeas vocat maculas, ſordes, inquinamenta. Jeremiæ 2. *Maculata es in iniquitate tua coram me*. Apoc. 22. *Qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc, & qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc*. Matth. 15. *Non quod intrat in os coinquinat hominem, ſed quod procedit ex ore*. Dum vero maculæ, ſordes, & inquinamenta corporis eluuntur, abſterguntur, & emundantur per externam lotionem, tunc certè nō manent in corpore, ſed evaneſcunt; neque

neque corpus dicitur ampliùs maculatum, ſordidum, inquinatum; ſed mundum, purum, immaculatum: itaque a ſimili ſervata proportione, dùm maculæ, ſordes, inquinamenta animę, peccata ſcilicet per internam lotionem eluuntur, abſterguntur, & mundantur, quod fit in Juſtificatione, certè non manent in anima, ſed omninò diſparent: neque anima dicitur maculata, ſordida, & inquinata; ſed pura, munda, immaculata. De hac lotione loquebatur David Pſalmo 50. *Aſperges me Domine, hyſſopo, & mundabor; lavabis me, & ſuper nivem dealbabor*. Et Ezechiel 36. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris*. Hac lotione mundati erant, de quibus ait Apoſtolus 1. ad Corinth. 6. *Hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis*. Ad hanc nos idem hortatur Apoſtolus 2. ad Corinth. 7. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus*. Peccata igitur non remanent, ſed verè tolluntur, nec proinde teguntur tantùm per juſtitiam Chriſti nobis imputatam.

Object. At dicitur, inquis, Pſalmo 31. *Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates; & quorum tecta ſunt peccata*.

Reſp. Sed cur locus ille non confertur cum aliis? cur non explicatur per tot teſtimonia pręcitata ſole meridiano clariora? cur non ingenuè fateris & tegi, & ſimul tolli peccata, cum utrumque dicatur à Spiritu Sancto, & alterum alteri non repugnet? hoc pulchre explicatur ex proportione vulnerum corporis. Vulnera corporis duobus modis tegi poſſunt. Primò ab ipſo vulnerato. Secundò à Medico. Vulneratus tegit ea veſte, non tollit: medicus emplaſtro tegit, & tollit. Idem fit in peccatis; tegi poſſunt peccata tum ab ipſo peccatore, tum à Deo. Peccator iſta tegit, dum diſſimulat, & quę interiùs latent in animo, non exprimit, quo pacto crimina ſua texit Phariſęus Lucę 18. cum dixit: *non ſum ſicut cæteri hominum raptores, injuſti, adulteri*. Deus tegit peccata, dum infuſione gratię ea ſanat, & tollit, quomodò texit flagitia publicani, qui *deſcendit juſtificatus in domum ſuam*. Quinam ergo Beati ſecundùm vatis Regii teſtimonium? illinè,

Illinè quorum peccata priori, an quorum poſteriori modo tecta ſunt? videant Sectarii, quomodo beati eſſe velint. Nos profectò poſteriori modo eſſe *appetimus*, ut etiam Auguſtinus enarratione in Pſalmum præfatum optabat, cum ait: *Deus ergo tegat vulnera, non tu: nam ſi tu tegere volueris erubeſcens, medicus non curabit: medicus tegat, & curet, ſub tegmine medici ſanatur vulnus; ſub tegmine vulnerati celatur vulnus.* Hinc patet, alio modo tegi peccata juxta Catholicos, alio juxta Sectarios. Catholici docent, illa tegi per internam infuſionem gratiæ, qua non ſolum teguntur, verùm etiam ſanantur. Adverſarii docent, tegi per externam Chriſti juſtitiam fide peccatoris apprehenſam, qua teguntur quidem, ſed non ſanantur.

Dignentur ſanè expendere Sectarii, quantùm derogent pretio & virtuti Sanguinis Chriſti, dum per Chriſti juſtitiam nobis imputatam, peccata tantùm tegi, & occultari volunt, non verò tolli, ac omnino deleri. Sententia orthodoxa non ſolùm non injuria eſt paſſioni Redemptoris, (quod tamen ſemper urſerunt Sectarii) ſed è contra magis per illam relucet dignitas, præſtantia, & excellentia meritorum ejus, dum virtute illorum nobis communicatur juſtitia inhærens, *qua renovamur Spiritu mentis noſtræ, & non modò reputamur, ſed verè etiam juſti, nominamur*, & ſumus. ſeſſ 6. cap. 7.

Itaque Juſtitia Chriſti non imputatur tantùm fidelibus, ſed illa actu, & reipſa Spiritus Sancti operatione tribuitur; ita ut illi *intrinſecè* fiant juſti. *Charitas Dei*, inquit Apoſtolus ad Roman. 5. *diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.*

MERITUM OPERUM.

Fructus Juſtificationis eſt meritum. *Meritum operum.*

Ita Catholici; non ita Sectarii. Scilicet exiſtimant per *illud*, gratiæ Dei, Chriſtique iterùm meritis inferri injuriam. Sed perperam. Hoc in Catholicæ videamus expoſitione doctrinæ.

Bb Præ-

Prælibanda ſunt verba Apoſtoli. *Abundate in omni opere bono ſcientes, quod labor veſter non eſt inanis in Domino.* v. ad Corinth. 13. *Non enim injuſtus eſt Deus, ut obliviſcatur operis veſtri, & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ejus.* Hebr. 6. Et *nolite amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem.* Hebr. 10. Noſtra igitur bona opera remunerationem, & mercedem merentur.

Sed quomodò? per *gratiam filiis Dei per Jeſum Chriſtum miſericorditer promiſſam.* ſeſſ. 6. cap. 16. Librentur & verba paulò poſt ſequentia. *Chriſtus Ieſus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in juſtificatos jugiter virtutem*, ſeu gratiam *influit, illa virtus bona eorum opera ſemper antecedit, & comitatur, & ſubſequitur*: & ſine illa, nullo ea pacto Deo grata, & meritoria eſſe poſſunt. Docet itaque Eccleſia, (ne temeraria meriti opinione, humana ſibi blandiatur ſuperbia) pretium omne, meritumque bonorum operum à gratia ſanctificante, quæ nobis in nomine Chriſti gratis confertur, & à Redemptoris virtute proficiſci. Nulla proinde *per meritum*, gratiæ Dei, Chriſtique *meritis* irrogatur injuria.

Age, illa illuſtremus, roboremus, confirmemus.

In primis celebratiſſimum eſt Eccleſiæ dogma, nihil hominem poſſe cogitare, velle, aut facere quod ad vitam conducat æternam, ſine divinæ gratiæ auxilio. Id abundè Sacræ teſtantur paginæ. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* 2. ad Corinth. 3. *Deus operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.* Ad Philipp. 2. *Sine me nihil poteſtis facere.* Joann. 15. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.* Joann. 6. *Nemo poteſt dicere Dominus Ieſus, niſi in Spiritu Sancto.* 1. ad Corinth. 12.

Unde non ſecus, ac virus infernale, Pelagianam hæreſim, quæ effectus gratiæ enervabat vires naturæ nimiùm extollens, deteſtamur. Originem, & principium omnium bonorum operum, meritorumque noſtrorum a Dei gratia, & infinita miſericordia dependere indignitatis noſtræ, infirmitatis, indigentiæ, imbecilitatis ni-

nimiùm conſcii ingenuè confitemur. Ille, ille eſt, qui *nos coronat in miſericordia, & miſerationibus*. Pſal. 102.

Repoſita eſt quidem *mihi*, inquit Apoſtolus; *corona juſtitia, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus judex*. 2. ad Timoth. 4. Sed cui *redderet coronam juſtus judex*, ſi non donaſſet gratiam miſericors Pater? quomodò eſſet iſta *corona juſtitia*, niſi præceſſiſſet gratia, quæ juſtificat impium? quomodo iſta debita redderetur, niſi priùs illa gratia donaretur?

Hinc Eccleſia in Concilio Tridentino hanc Auguſtini vocem adverſariorum peremptricem ut Catholicæ fidei doctrinam admiſit, *Deus, cum ſuorum coronat merita, nihil quàm ſua dona coronat.*

Sed juvat paulò fuſiùs ipſa Concilii verba allegare, ut Sectarii, ſi veritatem, ac pacem diligant, (quæ duo unice præ oculis habenda ſunt) omnia præjudicia, quæ horribilem doctrinæ noſtræ affricant ideam, aliquando abiiciant. *Licet*, inquit (loco præcitato) *bonis operibus in Sacris literis uſque adeò tribuatur, ut etiam, qui uni ex minimis ſuis potum aqua frigida dederit, promittat Chriſtus, eum non eſſe ſua mercede cariturum: & Apoſtolus teſtetur, id quod in præſenti eſt momentaneum, & leve tribulationis noſtra, ſupra modum in ſublimitate æternum gloria pondus operari in nobis; abſit tamen, ut Chriſtianus homo in ſeipſo vel confidat, vel glorietur, & non in Domino: cujus tanta eſt erga omnes homines bonitas*, ut eorum velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona.

Eandem proſequitur doctrinam ſeſſ. 14. c. 8. *Nos, qui ex nobis tanquam ex nobis nihil poſſumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia poſſumus. Ita non habet homo, unde glorietur, ſed omnis gloriatio noſtra in Chriſto eſt, in quo vivimus, in quo* meremur, *in quo ſatisfacimus facientes fructus dignos pœnitentia; qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre.* Quare omnia petimus, omnia ſperamus, omnia impetramus per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Hoc eſt dogma, hæc eſt ſententia Eccleſiæ, non intelligimus, qui nobis alia poſſit attribui doctrina. Ingemino, infarcio, urgeo. Nec vita, nec ſpes ulla niſi in uno Chri-

ſto Jeſu à nobis collocatur. In illo unicè gloriamur, in eo bona operamur, in illo duntaxat meremur. Imo *cum fecerimus omnia, quæ præcepta ſunt nobis*, certè *ſervi inutiles ſumus* Lucæ 17. Inutiles, inquam, ſi adimpleta à nobis præcepta, ſi bona opera ſecundùm ſe conſiderentur; ſumus verò ſervi utiles, ſi opera illa ſpectentur, ut elicita per gratiam Dei, quæ nobis per Sanguinem Chriſti miſericorditer datur: unde quidquid opera dignitatis, roboris, & laudis habent, totum hoc redundat in dignitatem, vim, & laudem meritorum Chriſti. Hoc declarat ſimilitudo hìc ſuperiùs inſinuata; qua utitur Dominus Joann. 15. *Ego ſum vitis, vos palmites. Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite, ſic nec vos, niſi in me manſeritis*. Quis dicat, detrahi aliquid de gloria vitis, ſi palmites ipſius multum fructum adferant? nemo ſanæ mentis. Quidquid enim vivi ſucci, & humoris habent palmites, hoc totum hauriunt à vite. Unde quò palmites magis ſunt frugiferi, eo magis laudanda eſt vitis. Non igitur detrahitur de gloria meritorum Chriſti, ſi ſervi ejus fructum faciant. Quomodò enim fructum faciunt, niſi quia in Chriſto ſunt, & ab eo ſuccum & humorem divinæ gratiæ participant? quidquid ergo laudis, & virtutis eſt in meritis noſtris, totum id Chriſto adſcribendum eſt.

Object. Incaſſum hic obiicitur, vel Chriſti meritum per ſe ſufficit, vel non. Si ſufficit, fruſtra exiguntur noſtra merita: ſi non ſufficit, inferimus illi injuriam.

Reſp. Dicimus enim, ſufficiens eſſe meritum Chriſti, nec tamen in vanum requiri noſtra merita. Non enim illa requiruntur propter alterius inſufficientiam, ſed quia Deus hæc ſic ordinavit, clementiſſimè ſtipulans, quod bona opera noſtra, (licet aliis ſibi titulis, puta creationis, vel ſupremi in creaturas Dominii debita) acceptarentur, ut Cœleſtis prœmii meritoria, *ex meritis Chriſti*. Unde à Catholicis non ſolùm non deprimuntur, ſed magis attolluntur Chriſti merita, qui non tantùm ſibi potuit mereri, ſed etiam pretioſiſſimo Sanguine nobis vis ad merendum obtinuit.

LIBE-

LIBERUM ARBITRIUM.

EX dictis ſpontè ſua fluit, dari liberum in homine arbitrium, quod definitur facultas agendi, vel non agendi. Ad meritum enim uti & ad demeritum tanquam conditio eſſentialiter requiſita, exigitur libertas. Sine illa nec virtus datur, nec peccatum, proinde nec corona, nec damnatio. Si libertate deſtituti ſumus, in quo Thais fęmina in omnem effuſa libidinem caſtiſſimæ cedet Suſannæ? nonne perfidus Judas æquè fidelis erit, ac dilectiſſimus Chriſti Joannes Evangeliſta? expertes enim libertatis aliter agere non potuerunt: adeòque neque illi malè agendo offenderunt, neque hi quidquam laude, aut mercede dignum rectè operando geſſerunt. *Liberum Arbitrium.*

Sed pręterea dari in homine libertatem, evincunt innumera Sacrarum Scripturarum teſtimonia. Eccleſiaſtici 15. dicitur. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui . . . ſi volueris mandata ſervare, conſervabunt te . . . ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum: quod placuerit ei, dabitur illi.*

Ne quis verò hęc ad hominem in ſtatu Innocentię reſtringat, dicatque, hominem poſt lapſum Adę, libero carere arbitrio: en alia Scripturę loca. *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat Crucem ſuam & ſequatur me.* Lucę 6. & 1. ad Corinth. 7. *Quod vult, faciat, non peccat, ſi nubat: qui autem ſtatuit in corde ſuo*, non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuę voluntatis, *& hoc judicavit in corde ſuo ſervare virginem ſuam, bene facit.* Deinde Apocalypſis 2. *Dedi illi tempus pœnitentiæ, & non vult pœnitere.* Denique *noli repellere conſilia Matris tuæ.* Prover. 3. *Noli prohibere benefacere eum, qui poteſt.* Ibidem. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus*, Matth. 10. *Nolite errare, Fratres.* Jacobi 2. *Nolite diligere mundum.* 1. Joan. 2. Hęc & alia hujuſmodi utriuſque Teſtamenti eloquia, quid aliud, quàm libe-

liberum demonſtrant, & clamitant arbitrium ?

Unde moderni Sectarii, cum eorum prædeceſſores extremis antea viribus libertatem poſt peccatum Adæ amiſſam, & extinctam eſſe, aut titulum eſſe *ſine re*, contendiſſent, illam modò *in homine lapſo* vi veritatis compulſi admittunt. Inconſequenter tamen ad ſua principia; cum velint, hominem poſt lapſum protoparentis neceſſitari ex concupiſcentia ad malum, ex gratia ad bonum. *Neceſſitas* autem tollit libertatem.

Quæſtio quoque de *Juſtificatione*, & *Merito*, quam veluti pomum diſcordiæ primi illorum Authores conſiderarant, potioribus inter eos jam non videtur eſſe præcipua; paucique ſunt qui non agnoſcant, ex hoc quidem capite, nullam prorſus dari a nobis diſcedendi cauſam.

Reputent illi, quid pro pace ſperandum ſit, ſi penitus concepta de nobis ſiniſtra judicia, & iſtum diſceptandi pruritum tandem exuant.

Satisfactiones.

SATISFACTIONES.

POſt luſtratam quæſtionem de *Merito*, quod Chriſti meritis innititur, explananda etiam eſt ratio, qua Deo per ipſius gratiam pro peccatis ſatiſfacere nos poſſe credimus.

Sed prius conſiderandum eſt, tria in peccato (mortali) ſpectanda eſſe; nempè maculam, offenſam, & injuriam. Macula reſpicit ipſum peccatorem, & ſignificat turpitudinem, ſeu fœditatem peccati, quæ eſt in anima peccatoris. Offenſa, ſeu inimicitia reſpicit amicitiam Dei, quia homo, quando peccat, offendit Deum, & lædit amicitiam ejus. Injuria reſpicit jus divinum, quia Deus, cum ſit ſupremus Dominus, jus habet, ut ejus legi obediatur. Hoc jus violat peccator, dum impingit in legem Dei, & ſic injuriam illi irrogat. Porrò hæc tria non eodem modo tolluntur. Macula tollitur per infuſionem gratiæ juſtificantis. Sicut enim macula eſt quædam fœditas animæ, ſic gratia eſt quidam nitor, ſeu pulchritudo, quæ animam in ſe reddit

dit pulchram, & ornatam. Offenſa tollitur per eandem gratiam. Nam gratia non ſolùm ornat animam, ſed etiam Deo gratam amabilemque efficit, ac in priſtinam amicitiam reſtituit. Injuria tollitur per Satiſfactionem, ſeu compenſationem, quam Deus exigit.

Quia verò injuria illa (cum inferatur Deo qui eſt Majeſtatis infinitæ) eſt infinita, ideò communi conſenſu docent Catholici, ſolum Chriſtum Deum ſimul & hominem idoneum fuiſſe, qui pro *infinita Perſonæ ſuæ dignitate* ſufficientem pro injuria iſta Satisfactionem offerret.

Porrò duplici ratione potuit infinitam illam nobis ſatisfactionem communicare, aut plenam peccatorum remiſſionem, nulla ſibi reſervata pœna, impertiendo, aut majorem pœnam minori, æternam ſcilicet temporali commutando. Hac priore via in Baptiſmo ſtatim utitur; alteram adhibet in ea venia, quam Baptizatis largitur in peccatum relapſis. Divinæ enim juſtitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptiſmum ignorantes deliquerint: aliter verò, qui ſemel à peccati, & dæmonis ſervitute liberati, & accepto Spiritus Sancti dono, ſcientes *Templum Dei violare, & Spiritum Sanctum contriſtare* non formidaverint. Unde Deus eò compellitur ſumma peccatorum ingratitudine, qui tantæ immemores clementię primis ejus donis fędè abuſi ſunt, eò, inquam, compellitur, æternam quidem eis pœnam verè pęnitentibus remittens *temporalem* verò imponens.

Quod autem condonata culpa, nonnunquam pœna ſubeunda reſervetur, id perſpicua, & illuſtria in ſacris literis exempla dumonſtrant. Moyſes, & Aaron, licet eis remiſſum à Deo foret peccatum incredulitatis, ob illud tamen in pœnam non potuerunt ingredi terram promiſſionis, ad quam ita anhelabant. *Dixit Dominus ad Moyſem, & Aaron*, (Num. 20.) *quia non credidiſtis mihi, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis*. David poſt impetratam adulterii & homicidii veniam, punitus eſt morte filii, quem ex adulterio ſuſceperat. *Dominus tranſtulit peccatum tuum, verumtamen filius qui natus eſt tibi morte morietur*. 2. Reg. 12.

liberum demonſtrant, & clamitant arbitrium ?

Unde moderni Sectarii, cum eorum prædeceſſores extremis antea viribus libertatem poſt peccatum Adæ amiſſam, & extinctam eſſe, aut titulum eſſe *ſine re*, contendiſſent, illam modò *in homine lapſo* vi veritatis compulſi admittunt. Inconſequenter tamen ad ſua principia; cum velint, hominem poſt lapſum protoparentis neceſſitari ex concupiſcentia ad malum, ex gratia ad bonum. *Neceſſitas* autem tollit libertatem.

Quæſtio quoque de *Juſtificatione*, & *Merito*, quam veluti pomum diſcordiæ primi iſtorum Authores conſiderarant, potioribus inter eos jam non videtur eſſe præcipua; paucique ſunt qui non agnoſcant, ex hoc quidem capite, nullam prorſus dari a nobis diſcedendi cauſam.

Reputent illi, quid pro pace ſperandum ſit, ſi penitus concepta de nobis ſiniſtra judicia, & iſtum diſceptandi pruritum tandem exuant.

Satisfactiones.

SATISFACTIONES.

POſt luſtratam quæſtionem de *Merito*, quod Chriſti meritis innititur, explananda etiam eſt ratio, qua Deo per ipſius gratiam pro peccatis ſatisfacere nos poſſe credimus.

Sed prius conſiderandum eſt, tria in peccato (mortali) ſpectanda eſſe; nempe maculam, offenſam, & injuriam. Macula reſpicit ipſum peccatorem, & ſignificat turpitudinem, ſeu fœditatem peccati, quæ eſt in anima peccatoris. Offenſa, ſeu inimicitia reſpicit amicitiam Dei, quia homo quando peccat, offendit Deum, & lædit amicitiam ejus. Injuria reſpicit jus divinum, quia Deus, cum ſit ſupremus Dominus, jus habet, ut ejus legi obediatur. Hoc jus violat peccator, dum impingit in legem Dei, & ſic injuriam illi irrogat. Porrò hæc tria non eodem modo tolluntur. Macula tollitur per infuſionem gratiæ juſtificantis. Sicut enim macula eſt quædam fœditas animæ, ſic gratia eſt quidam nitor, ſeu pulchritudo, quæ animam in ſe red-

dit

dit pulchram, & ornatam. Offenſa tollitur per eandem gratiam. Nam gratia non ſolùm ornat animam, ſed etiam Deo gratam amabilemque efficit, ac in priſtinam amicitiam reſtituit. Injuria tollitur per Satiſfactionem, ſeu compenſationem, quam Deus exigit.

Quia verò injuria illa (cum inferatur Deo qui eſt Majeſtatis infinitæ) eſt infinita, ideò communi conſenſu docent Catholici, ſolum Chriſtum Deum ſimul & hominem idoneum fuiſſe, qui pro *infinita Perſonæ ſuæ dignitate* ſufficientem pro injuria iſta Satisfactionem offerret.

Porrò duplici ratione potuit infinitam illam nobis ſatisfactionem communicare, aut plenam peccatorum remiſſionem, nulla ſibi reſervata pœna, impertiendo, aut majorem pœnam minori, ęternam ſcilicet temporali commutando. Hac priore via in Baptiſmo ſtatim utitur, alteram adhibet in ea venia, quam Baptizatis largitur in peccatum relapſis. Divinæ enim juſtitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptiſmum ignorantes deliquerint: aliter verò, qui ſemel à peccati, & dæmonis ſervitute liberati, & accepto Spiritus Sancti dono, ſcientes *Templum Dei violare, & Spiritum Sanctum contriſtare* non formidaverint. Unde Deus eò compellitur ſumma peccatorum ingratitudine, qui tantæ immemores clementię primis ejus donis fędè abuſi ſunt, eò, inquam, compellitur, æternam quidem eis pœnam verè pęnitentibus remittens *temporalem* verò imponens.

Quod autem condonata culpa, nonnunquam pœna ſubeunda reſervetur, id perſpicua, & illuſtria in ſacris literis exempla dumonſtrant. Moyſes, & Aaron, licet eis remiſſum à Deo foret peccatum incredulitatis, ob illud tamen in pœnam non potuerunt ingredi terram promiſſionis, ad quam ita anhelabant. *Dixit Dominus ad Moyſem, & Aaron*, (Num. 20.) *quia non credidiſtis mihi, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis*. David poſt impetratam adulterii & homicidii veniam, punitus eſt morte filii, quem ex adulterio ſuſceperat. *Dominus tranſtulit peccatum tuum, verumtamen filius qui natus eſt tibi morte morietur*. 2. Reg. 12.

Ubi conſiderandæ ſunt duæ particulæ. Una eſt, *Deus tranſtulit peccatum tuum*, id eſt, condonavit tibi culpam. Altera, *verumtamen morietur Filius tuus*: id eſt tametſi Deus condonaverit tibi culpam, exigit tamen à te pœnam. Quidni Deus eodem nunc pacto in peccatum animadvertat? præſertim cum juſtum ſit, imò nobis ſalutare, quod Deus, dum peccatum nobis, æternamque ſimul quam promeriti eramus, pœnam remittit, temporalem aliquam infligat, qua nos in officio contineat: nè peccata (dum nihil pœnæ perſolvendum eſt) leviora putantes, velut injurii, & contumelioſi Spiritui Sancto, in graviora labamur, *theſaurizantes nobis iram in die iræ*. Ad Rom. 2. Procul dubio enim magnoperè nos à peccato arcent, & quaſi freno quodam cohibent hæ pœnæ ſatisfactoriæ, majoremque pœnitentibus cautelam, vigilantiam, curam, conatum, & ſuarum ſeduliorem potentiarum gubernationem imprimunt.

Cæterùm ex dictis inferri nequit, nos operibus noſtris pœnalibus Chriſti ſatisfactioni eſſe injurios, quaſi non plenè lytrum Redemptionis noſtræ perſolverit. Certè integrum à Servatore ſalutis noſtræ pretium ſolutum eſt; nihil illi pretio utpote infinito deeſt; nec pœnæ, poſt culpam condonatam temporales luendæ ſunt, quod id pretium ullatenus deficiat; ſed quia tum pacta promiſſaque in Baptiſmo data poſtmodum peccantes turpiſſimè violavimus, tum quia idcircò Deus juſto nos vult metu, ſalubrique diſciplina refrænare.

Neque verò ita noſtra eſt ſatisfactio hæc, quam pro peccatis noſtris exolvimus, ut non ſit per Jeſum Chriſtum, quemadmodum nobis objiciunt Sectarii, in eo vim argumenti figentes: *nam qui ex nobis tanquam ex nobis nihil poſſumus, eo coöperante, qui nos confortat, omnia poſſumus. Ita non habet homo, unde glorietur, ſed omnis noſtra gloriatio in Chriſto eſt, in quo vivimus, in quo meremur*, in quo ſatisfacimus, *facientes fructus dignos pœnitentiæ*: qui ex illo vim habent; *ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre*. Hæc docet Eccleſia in celeberrima Synodo ſeſſ. 14. cap. 8. Nō igitur ex ſatisfactionibus noſtris ſatisfactio Domini noſtri

noſtri Jeſu Chriſti vel obſcuratur, vel aliqua ex parte imminuitur, ſed illuſtratur potiùs, & extollitur; cùm omnis ſatisfactio noſtra efficaciam hauriat ex ſatisfactione Chriſti. Unde ſine illa nullius valoris eſſet pœnitentia noſtra. Atque hinc, ex ſatisfactione, inquam, Chriſti, ſi compatimur, & conglorificabimur. Ad Roman. 8.

INDULGENTIÆ.

DUm Eccleſia peccatoribus difficilia, & laborioſa injungit opera, iique illa ſubmiſſo adimplent animo, id dicitur ſatisfactio; dum verò propter eximiam pœnitentium pietatem, aliave bona opera, quæ iis ipſa præſcripſerit, de debita quidquam illis pœna remittit, hoc dicitur Indulgentia. *Indulgentia.*

Nihil aliud de Indulgentiis credendum proponit Eccleſia in præfato Concilio ſeſſ. 25. quam *poteſtatem eas conferendi à Chriſto Eccleſiæ conceſſam eſſe, earumque uſum Chriſtiano populo maximè eſſe ſalutarem*. Additque, *retinendum illum, adhibita tamen moderatione, ne nimia facilitate Eccleſiaſtica diſciplina enervetur*. Singulæ expendantur particulæ.

Poteſtas hæc conferendi Indulgentias, à Chriſto Eccleſiæ conceſſa cenſetur Matth. 16. Ubi dicitur Petro: *Quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis*. Cum enim hæc verba ſint generalia, continent omnem poteſtatem tollendi quælibet vincula, & obſtacula, quibus homines impediri queunt ab ingreſſu Patriæ, inter quæ ſunt peccata tam quoad pœnam, quam quoad culpam. Promittitur ergo illis verbis Petro ſumma poteſtas non ſolùm abſolvendi à peccatis in Sacramento pœnitentiæ, ſed etiam à pœnis, cenſuris, aliiſque, quæ hominem quovis modo ligatum tenent, & remorantur à conſecutione vitæ æternæ. Poteſtas autem illa Petro promiſſa, fuit data Joan. 20.

Eccleſia hac poteſtate uſa eſt antiquiſſimis temporibus, ut patet ex facto Pauli, qui *donavit* inceſtuoſo

(2. ad

(2. ad Corinth. 2.) partem pœnæ, quam ſubire debebat, idque *in perſona Chriſti*, id eſt, ac ſi Chriſtus donaſſet, adeoque, & in conſcientia, ſeu foro interno. Continuatio deinde ejuſdem poteſtatis obſervatur in primis, temporibus *S. Cypriani*, cum ad commendationes Martyrum carcere detentorum Eccleſiæ præpoſiti partem pœnarum pœnitentibus relaxabant. Atque ita perpetuò Eccleſiæ Præſules pro majori fervore pœnitentium, ac ob alias cauſas minuere ſoliti ſunt tempora pœnitentiæ ſeu pœnarum, ut ajebant, Canonicarum, id quod jam vocamus *concedere Indulgentias*.

Porrò fundantur Indulgentiæ in communione bonorum operum. Membra enim ejuſdem Corporis *myſtici*, non ſecùs ac *phyſici* inter ſe communicant: atque ita primariò infinita Chriſti merita, in charitate exiſtentibus (in quos jugiter ille, ut caput in membra influit) applicantur ab Eccleſia per modum ſolutionis pœnarum temporalium, dimiſſis eorum peccatis debitarum; ſecundariò autem, & dependenter à Servatoris meritis, bona Sanctorum opera quæ reſpectu ipſorum ſuperabundantia fuerunt in ratione *ſatisfactionis*, ab illa iiſdem in gratia exiſtentibus in præfatam pœnarum relaxationem aſſignantur tanquam propria, ob dictam communionem, in qua obeunt injuncta pietatis Officia.

Cæterùm Indulgentiarum uſus Chriſtiano populo maximè ſalutaris eſt, quia nimirum peccatis, eorumque pœnis Fideles liberati, in alio ſæculo citiùs ad Dei conſpectum perveniunt.

Uſus ille retinendus eſt, *debita* tamen *moderatione adhibita, ne nimia facilitate Eccleſiaſtica diſciplina enervetur*. Omnes autem circa Indulgentias abuſus reſectos vult Eccleſia. Quantùm illa ingemuit, dum tempeſtate Lutheri tam graviter hac in materia peccatum eſt! conſidera, quæ Decreta Concilium Tridentinum ſeſſione citata in iſta ſcandala evibrarit. *Abuſus, qui in has* (Indulgentias) *irrepſerunt, & quorum occaſione inſigne hoc Indulgentiarum nomen ab Hæreticis blaſphematur; Sacro-Sancta Synodus emendatos, & correctos cupiens, præſenti Decreto generaliter ſtatuit, pravos quæ-*

ſtus

ſtus omnes pro his conſequentiis, unde plurima in Chriſtiano populo abuſuum cauſa fluxit, omninò abolendos eſſe. Quibuſdam verò interjectis ſtatutis, tandem hiſce verbis concludit: *Sanctarum Indulgentiarum munus piè, ſanctè, & incorruptè omnibus fidelibus diſpenſetur.*

PURGATORIUM.

Cum remiſſo peccato mortali, & pœna æterna condonata, ordinariè ſuperſit pœna temporalis ſuſtinenda, (ut patuit in Davide aliiſque) quam homo multoties hìc non adimplet, cumque juſti (*ſepties in die cadit juſtus* Prov. 24.) crebro immoriantur peccatis venialibus, neceſſe eſt, & ut relicta pœna perſolvatur, & noxa venialis expietur in altera vita: adeoque præter infernum in peccato mortali decedentibus devotum, debet ſupereſſe *Purgatorium*, locus, inquam, in quo animæ ab omnibus iſtis plenè purgentur. *Nihil enim coinquinatum intrabit in regnum Cælorum.* Apocalyp. 21. Unde *Sancta, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur.* 2. Mach. 12. Libros autem Machabæorum, licet ii non contineantur in canone Judæorum, ut ſacros, & canonicos primis temporibus recepit Eccleſia: hinc incaſſum huic loco renituntur Sectarii. *Purgatorium.*

Quamobrem adducta eſt omnis retrò antiquitas, ut pro fidelibus in gratia & charitate defunctis, preces, eleemoſynas, jejunia, ſacrificiaque offerret, cum certa fide crederet, hiſce illos plurimum juvari. Juvantur autem per iſta, ob arctiſſimam inter ſe unionem membrorum unius corporis, qualia membra ſunt nobiſcum illi, qui in charitate defuncti ſunt: ex hac unum alteri membrum ſuccurrit.

Concilium Tridentinum, dum nobis credendum proponit, animas in purgatorio detentas fidelium juvari ſuffragiis, non definit quæ ſit ibi pœnarum ratio: nec alia hujuſmodi, in quibus indagandis magnam vult adhiberi cautionem, & prudentiam, prohibetque, *ne incerta, vel ſpecie falſi laborantia* à quopiam *evulgentur.*

Dum

Dum his intendo, in ſequentem incido Calvini locum lib. 3. Inſt. cap. 5. paragr. 10. *Ante mille, & trecentos annos*, inquit, *uſu receptum fuit*, *ut precationes fierent pro defunctis*. Et paulò poſt: *ſed omnes fateor*, *in errorem abrepti fuerunt*. Superſederem argumento ex antiquitate eruto (ut hìc ſub initium monui) ſed cum illud ſit, ut loquuntur, ad hominem, ideò ipſum produco. Igitur *ante mille & trecentos annos* mos *ille receptus erat*. At quam diù ante illos mille trecentos annos? quando, inquam, mos ille exorſus fuit *orandi pro defunctis*? a quo incepit? quando incepit? in qua Eccleſia? an nullus ævo illo puriſſimo, ſerpenti fuit errori refragatus? aſſignetur, obſecro, tempus, quo incepit. Profectò neceſſe eſt pro aſſignatione temporis, devolvi ad naſcentis Eccleſiæ cunas, quod ex ipſis *Calvini* verbis facilè colligitur. Jam enim binis illis ſæculis præcedentibus, ſeu *ante mille*, inquit, *& trecentos annos precationes illæ uſu receptæ erant*. Cum illa ſuffragia publico orthodoxæ Eccleſiæ uſu *tunc* (ante præfata ſæcula) recepta forent, an dubitandum eſt, hoc fluxiſſe ex orthodoxa & Apoſtolica Diſciplina? ſin aliquo privatorum errore mos ille inſinuatus eſt; iterum peto, quinam illi privati fuerunt? ubi cæpere? quando cæpere? an nemo ex tot Præſulibus, tot ex Martyribus fuit qui ſe errori opponeret, qui *rem ad Scripturas exploraret*, & nota cenſoria percelleret? at non pauci, ſed *omnes*, ait, *in errorem abrepti fuerunt*. Qui ſunt illi *omnes*, qui fuerunt in errorem abrepti, privatamne, an publicam ſuſtinuerunt perſonam? certè illi, qui iis vixere temporibus, binis ſcilicet ſæculis ante annos 1300. ſub Nerone, Domitiano, Trajano, Severo, aliiſque, vel Apoſtoli, vel Martyres plerique fuerunt. An illi omnes errarunt? an errarunt ipſimet Apoſtoli?

Hìc inextricabili vos irretitis Labyrintho. Non audetis confiteri erraſſe *Apoſtolos*, cum veſtram Eccleſiam aſſeratis eſſe *Apoſtolicam*; & ecce jam illos erraſſe, ex Calvini verbis deducitur.

SACRA-

SACRAMENTA.

REctus doctrinæ ordo poſtulat, ut jam loquamur de Sacramentis, quibus Chriſti merita in nos tranſfunduntur.

Novæ legis Sacramenta non ſacra tantùm ſigna ſunt, quæ gratiam indicent, nec ſigilla quę datam confirment (ut volunt Sectarii) ſed divinę virtutis inſtrumenta, quę gratiam non ſolùm ſignificant, ſed & efficiunt, eamque non ponentibus obicem conferunt. Baptiſmus enim, (ut quod docetur, exemplo notius fiat) dum, adhibitis certis, & ſolemnioribus verbis aqua extrinſecus abluimur, hoc ſignificat; divina gratia omnem peccati maculam, & turpitudinem interiùs ablui, & animas noſtras pręclaro illo Cęleſtis juſtitię dono ornari: ſimulque ea corporis ablutio illud in anima efficit, quod ſignificat. Unde Catechiſmus Romanus parte ſecunda, definiens Sacramentum, illud dicit *eſſe rem ſenſibus ſubjectam, quæ ex Dei inſtitutione ſanctitatis, & juſtitiæ, ſeu gratiæ ſanctificantis tum ſignificandæ tum efficiendæ vim habet.* *Sacramenta.*

Hinc non incongruè Sacramenta appellantur à Theologis quędam veluti vaſa Chriſti Sanguinem continentia, nec non ſcaturigines aquę ſpiritualis in vitam ęternam ſalientis, ac demum fontes illi Servatoris, ab Iſaia Propheta his verbis pręnuntiati. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.*

Illos ſanè miſericordię fontes hi obſtruunt, hi Chriſti merita (pro quibus ita ſe dimicare aſſerunt Sectarii) minuunt, obſcurant, enervant, qui virtutem inſtrumentalem cauſandi gratiam denegant Sacramentis.

Porrò Sacramenta novi fæderis agnoſcimus nec plura nec pauciora, quam ſeptem à Chriſto inſtituta, videlicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium.

Singula expendamus. Loco ultimo viſum eſt reſervare quęſtionem de Euchariſtia tanquam omnium ponderoſiſſimam.

BAPTI-

BAPTISMUS.

Baptiſmus.

ECcleſia docet, Baptiſmum omnibus adultis in re vel in voto, parvulis verò, cum votum ſuſcipiendi Sacramenti elicere nequeant, *in re* omnino neceſſarium eſſe ad ſalutem: atque ita ad eos credimus, niſi reipſa Baptiſmum ſuſcipiant, nullo modo redemptionis gratiam pervenire, ideòque in Adamo morientes nullam cum Chriſto nanciſci partem. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei*. Joan. 3.

Ratio quoque hoc evincit. Nullus enim poteſt ſalutem conſequi, niſi per Chriſtum, ac proinde niſi Chriſto incorporetur, ſitque membrum ipſius. Unde dicit Apoſtolus ad Rom. 5. *Sicut per unius delictum in omnes homines, in condemnationem, ſic & per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem*. Ad hoc autem datur Baptiſmus, ut aliquis incorporetur Chriſto factus membrum ipſius, unde dicitur ad Gal. 3. *Quicumque Baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*. Proinde ſine Baptiſmo nullus poteſt conſequi ſalutem.

Hoc in puncto nobis etiam adſtipulantur Lutherani, miranturque, omnimodam illam in parvulis Baptiſmi neceſſitatem fuiſſe negatam à Calvino: quam quidem antiquitùs nemo auſus eſt in dubium vocare, adeò hæc firmiter omnium mentibus inhærebat.

Non veritus eſt ille, nec verentur hodiè, qui Reformati dicuntur, permittere, ut parvuli nulla inſigniti Chriſtianæ Religionis teſſerâ vix nati, non renati in Chriſto Jeſu ex hac vita miſerè diſcedant; non verentur hoc, inquam, permittere, ſi fortè non adſit præfixus publicis Conventibus ſuis dies, quo ſolo Baptiſmum conferunt.

Crudelis certè praxis, cui vel apud eos talium liberorum parentes ſuorum ſortem miſerati, ſæpiùs, at fruſtra refragati ſunt,

Scilicet allegant illi infantes fidelium naſci Sanctos, atque hinc docent, Baptiſmum non eſſe inſtitutum, ut

ut infantes per illum efficiantur Sancti, ſed ut eorum ſanctitas per Baptiſmum obſignetur. Baptiſmum enim nihil aliud eſſe aſſerunt, quam *publicum ſigillum*, quo Eccleſia teſtatur filios fidelium ſanctos eſſe. Hinc itaque profluit mos iſte non Baptizandi parvulos, niſi diebus *publico Conventui ſuo* deſtinatis.

At falſum omninò eſt, filios fidelium naſci Sanctos, iſtaque ſententia ex Scripturis apertè refellitur. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertranſit*, in quo omnes peccaverunt. Ad Rom. 5. Et 1. ad Corinth. 15. In Adam omnes moriuntur. Unde omnes prorſus *fidelium* & infidelium filii, qui ex parentibus per carnalem generationem procreantur, naſcuntur natura filii iræ ad Epheſios 2. Hinc non efficiuntur ſancti; ſeu filii Dei, niſi renaſcantur in Deo per Baptiſmum juxta illud Joann. 3. *Niſi quis renatus fuerit denuò, non poteſt videre Regnum Dei*. Et paulò infrà. *Oportet vos naſci denuò*. Proinde filii fidelium non naſcuntur Sancti, ſed eos *Baptiſma* efficit Sanctos: adeòque ſi de vita periclitentur, non expectandus eſt pro Collatione Baptiſmi indictus Concioni dies, ſed ſine mora ſalutiferis undis perfundendi ſunt.

CONFIRMATIO.

Confirmatio verum eſt Sacramentum. Nihil enim aliud ad propriam Sacramenti rationem requiritur, quam ut ſit ſignum ſenſibile à Deo inſtitutum ad conferendam gratiam ſanctificantem. Sic autem *Actorum* 8. *Cum audiſſent Apoſtoli, quod* Samaritani *Baptizati eſſent in nomine Domini Ieſu; tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum*. Ecce illa manuum impoſitio poſt Baptiſmum erat ſignum ſenſibile, vi cujus conferebatur Spiritus Sanctificās. Hęc itaque erat Sacramentum à Baptiſmo diſtinctum; quod Eccleſia ab initio Confirmationis Sacramentum appellare conſuevit. Hujus etiam fit mentio Act. 19. ubi Paulus poſtquā nonnullos Baptizavit in nomine Jeſu, *impoſuit*

Confirmatio.

ſuit

Obiect. *fuit ſuper eos manus*, *& venit ſuper eos Spiritus Sanctus*.

Imò ais; Spiritus Sanctus tunc viſibiliter in linguis igneis, alioque donorum exteriorum apparatu in eos effundebatur; modò nihil ſimile contingit; cur igitur illa manuum impoſitio rationem nunc Sacramenti ſibi vendicet?

Reſp. Profectò cum illius impoſitionis adhiberi ſolitæ is præcipuè effectus ſit, ut Spiritus Sanctus *interiùs* illabatur, ſuaque nobis impertiatur dona, eo prætextu non debuit à Sectariis rejici, quòd jam Spiritus Sanctus in nos conſpicuus non deſcendat. Sufficit ab eodem Spiritu mentem intrinſecè illuſtrari, & roborari.

Eccleſia impoſitionem illam jam indè ab Apoſtolorum temporibus religioſiſſimè, & conſtantiſſimè retinuit: Sacro etiam adhibito Chriſmate, quo hujus Sacramenti vis (in quo tribuitur plenitudo Spiritus ad robur ſpirituale) explicatiori internæ Spiritus Sancti unctionis ſignificatione demonſtretur.

Sed ecce & ipſum nomen *Confirmationis*, unctionem, gratiam, ſeu Spiritum Sanctum expreſſa 2. ad Corinth. 1. Qui confirmat *nos Deus*, *& qui* unxit nos, *& dedit pignus* Spiritus *in cordibus noſtris*. Facilè ſaltem capiebant fideles, ad quid alluderetur.

At quid plura? cum hodierna Eccleſia Anglicana (quam Sectarii fatentur eſſe veram) Baptizatis, per Epiſcopos (qui & apud Acatholicos hujus ſunt Sacramenti Miniſtri) Confirmationem quoque conferat? Ita Anglorum Liturgia, quæ præſcribit etiam ritum rectè Confirmationem adminiſtrandi.

POENITENTIA.

Pœnitentia. SI ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum eſſet, ut Juſtitiam in Baptiſmo ipſius beneficio, & gratia ſuſceptam conſtanter tuerentur; non fuiſſet opus, aliud ab ipſo Baptiſmo Sacramentum ad peccatorum remiſſionem eſſe inſtitutum. Quia autem Deus *dives in miſericordia* (ad Epheſ. 2.) cognovit figmentum noſtrum, illis etiam vitæ remedia contulit, qui ſeſe po-

poſteà in peccati ſervitutem, & dæmonis poteſtatem tradidiſſent; Sacramentum videlicet Pœnitentiæ, quo lapſis poſt Baptiſmum beneficium mortis Chriſti benigniſſimè applicatur. Unde Eccleſia olim condemnavit *Novatianos*, quod nullum dicerent dari in Eccleſia remedium, quo peccata poſt Baptiſmum commiſſa remitterentur; quare illi divinæ miſericordiæ terminos ſtatuebant: è contra verò moderni Sectarii de ſupremi Numinis clementia præſumentes exiſtimant, ſolam memoriam Baptiſmi jam ſuſcepti, cum fide remiſſionis peccatorum ad eorum remiſſionem ſufficere, proindèque Pœnitentiam, ſeu ipſam peccatorum Confeſſionem non eſſe à Chriſto Domino inſtitutam.

Sanè pro aſtruenda Confeſſionis inſtitutione, conſideranda tantùm ſunt verba Joan. 20. ubi Chriſtus à mortuis excitatus inſufflavit in Diſcipulos ſuos dicens: *accipite Spiritum Sanctum*, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, *& quorum retinueritis, retenta ſunt*. Hiſce verbis Jeſus Chriſtus Sacerdotes ſui ipſius Vicarios reliquit, tanquam præſides, & Judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Chriſti fideles ceciderint: conſtat autem Sacerdotes judicium hoc, incognita cauſa ſeu peccatis, exercere non poſſe; proinde citatis verbis ipſa peccatorum confeſſio perſpicuè à Chriſto inſtituta eſt. Unde Sacramentum pœnitentiæ eſt tribunal quoddam Sacrum; in quo tanquam reus peccator ſiſtitur ipſe ſui accuſator, & teſtis: cauſa, ſeu materia tribunalis, eſt peccatum poſt Baptiſmum commiſſum: in eo tanquam Judex Sacerdos reſidet: quemadmodum igitur Judex forenſis nequit pronuntiare ſententiam, niſi præhabita cauſæ notitia, ita nec Sacerdos poteſt circa peccata exercere judicium, niſi illa ſibi pandantur: hoc autem eſt *Confeſſio*.

Ex dictis ſequitur, Confeſſionem non eſſe *inventum humanum*, ut Sectarii commenti ſunt. Res enim ita difficilis, & humanæ ſuperbiæ adeò repugnans, qualis eſt confeſſio omnium peccatorum etiam occultorum maximè pudendorum, nunquam in totam Eccleſiam induci potuiſſet, niſi eam Chriſtus ſuprema, abſoluta, divinaque authoritate præcepiſſet.

Unde nec ut Fideles confiterentur, Concilium Lateranenſe injunxit capite *utriuſque ſexus*, ſed determinavit præceptum divinum quantùm ad tempus confitendi; ſtatuendo ſcilicet, ut tale præceptum Confeſſionis ſaltèm ſemel in anno ab omnibus, & ſingulis, cum ad annos diſcretionis perveniſſent, adimpleretur.

Cæterùm Confeſſionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia gravis nimiùm videri poſſet, niſi tot tantiſque commodis, & conſolationibus, quæ indè profluunt, levaretur. Ex Confeſſione ſcilicet profluit utilitas, & tranquillitas conſcientiæ. Nunquam enim pacato eris animo, niſi peccata, quę conſcientiam onerant, per ſinceram confeſſionem expiaveris. Simile quid eſt in morbo corporis. Dum ęger es, ſumenda eſt amara potio, quę nauſeam provocat: interdum etiam tolerandę ſunt ſectiones, uſtiones & alia remedia, quę cum ingenti dolore conjuncta ſunt. Si hęc reſpuis, aut miſerè vivendum, aut moriendum eſt. Sicut igitur, qui ęgro eſt corpore, medicum adit, ut ab eo juvetur; nec conſiderat moleſtias, & cruciatus, qui ſubeundi ſunt, ſed ſanitatem, & vigorem membrorum, qui non niſi per ingratas, & acerbas medicinas recuperari poteſt: ita pariter, qui ſauciam habet conſcientiam, confeſſarium conveniat, neceſſe eſt; nec attendat, quàm hoc ſit arduum, ſed potiùs quanta & pax, & tranquillitas animi, per hoc obtineri queat.

Spiritualia hęc medicamina non pręſenti ſolùm ęgritudini ſanandę deſtinata ſunt, verùm etiam adversùs relapſum, hominem fulciunt, roborant, muniunt. Unde confitendi verecundia delinquendi cupiditati & licentię frenos iniicit, & improbitatem coercet.

His adde Confeſſionis utilitatem, quę ad vitę ſocietatem & conjunctionem magnoperè ſpectat: conſtat enim ſi Sacramentalem Confeſſionem à Chriſtiana diſciplina exemeris, pernicioſiſſimis omnia criminibus referta fore, quę homines abrepti conſuetudine peccati palam tandem committere non verebuntur. Quid inter cętera, proclivitatem in rem alienam cohibet? nonne tum pudor aperiendi furtum, tum ſtricta reſtituendi ablata obligatio?

Unde

Unde credere non poſſumus, tot ab adverſariis conſiderari commoda poſſe, quin eorum jacturam deſiderent, illiuſque eos Reformationis pudeat, qua tam ſalubris, ſanctuſque uſus olim ſuos in officio continens ſublatus eſt.

EXTREMA UNCTIO.

EXtrema Unctio non modò pœnitentiæ, ſed & totius Chriſtianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia eſſe debet, conſummativa, verum eſt novæ legis Sacramentum: id colligitur ex Jacob. 5. *Infirmatur quis ex vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit cum Dominus, & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei.* Quo ex loco ſic licet diſcurrere. Signum ſenſibile ex inſtitutione divina cum promiſſione gratiæ per illud conferendæ eſt verum Sacramentum, ſed hæc reperiuntur in Extrema Unctione; ſenſibilia enim ſunt oleum, ipſaque unctio olei, & oratio, quæ ſuper infirmum funditur, adeſt etiam promiſſio gratiæ mediante illo ſigno ſenſibili conferendæ dum ſubditur, *ſi in peccatis ſit, dimittentur ei*, qua etiam gratia ægroti anima alleviatur, & roboratur: veri proinde illa ſibi vendicat rationem Sacramenti. *Extrema Unctio.*

Et certè quemadmodum Servator noſter ſervis ſuis de ſalutaribus remediis adverſus omnia omnium hoſtium tela proſpiciens, auxilia maxima in Sacramentis aliis præparavit, quibus Chriſtiani conſervare ſe integros, dum viverent, ab omni contagione peccati poſſent; ita non poſſumus non ſuſcipere Clementiſſimi benevolentiam Redemptoris, qui ſub finem quoque vitæ, dum humani generis hoſtis omnes in nos tentationum, verſutiarum, fraudumque vires exerit, firmiſſimo hominem præſidio contra Dæmonis inſultus munire dignatur. Præſidium illud eſt extremæ Unctionis Sacramentum. Illud animam ſpicula mortis reformidantem, variarumque paſſionum æſtu quaſſatam ſublevat, ſolatur, erigit, magnamque in ea divinæ miſericordiæ

 fidu-

fiduciam excitat. Cur tantùm igitur & nobis, & ſibi munimen eripere volunt Sectarii?

Object. Ideò ſcilicet (audire illos videor) hoc vobis eripimus; quia *Extrema iſta Unctio* nihil eſt aliud, quam *gratia curationum*, de qua Marcus loquitur capite 6. *Ungebant oleo multos ægros* (Apoſtoli) *& ſanabant*; illa verò gratia jam dudum ceſſavit.

Reſp. Sed hoc facilè retellitur. Præfata enim Unctio (apud Marcum) adhibebatur indifferenter omnibus ægris, ſive decumbentibus & in diſcrimine vitæ conſtitutis, ſive aliis: extrema autem unctio adhibetur *tantùm* de vita periclitantibus. Deinde, altera unctio ſimpliciter curabat corpora, hæc verò præcipuè ordinatur ad curationem ſeu ſalutem animæ; ita ut non intendat ſanitatem corporis, niſi quatenus iſta ſaluti animæ expedierit.

ORDO.

Ordo. CUm Scripturæ teſtimonio conſtet, (Apoſtolicam omitto Traditionem, quæ pro omnibus etiam Sacramentis militat) per Sacram ordinationem, quæ verbis & ſignis exterioribus perficitur, gratiam conferri, non eſt cur quiſquam dubitet, *Ordinem* verè eſſe Sacramentum: dicit enim Apoſtolus 1. ad Timoth. 4. & 2. ad Timoth. 1. *Admoneo te, ut reſuſcites gratiam, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum*.

Deinde: nonne in Teſtamentò veteri & Sacerdotes, & Levitæ ſpeciali ritu Deo conſecrabantur? nonne *ſanctificabantur ad miniſterium* Levit. 21.? pluſ ſanè debetur novæ, quàm antiquæ legi, plus ſponſę Eccleſię, quam ancillę Synagogæ, plus corpori, quam umbrę, major proinde virtus, cum ad nobiliora etiam, ſacratiora, & auguſtiora munia deſtinentur, Eccleſiæ Miniſtris tribuitur.

Sed jam dudum fatentur adverſarii (in *Confeſſione fidei art.* 35.) ſe ex numero Sacramentorum non planè eximere Miniſtrorum conſecrationem, ſed ſolùm ab his eam Sacramentis ſecernere, quę toti ſunt Eccleſię communia.

At illud & nos profitemur. Non enim Ordo omnibus communis eſt, ut v. g. ſunt Euchariſtia, & Baptiſmus.

His adde rurſus, quòd Eccleſia Anglicana, ſeu *Proteſtantium* in Anglia (quam Reformati ut veram admittunt) Ordinem Sacerdotalem ſolemniter conferat, Epiſcopos conſecret, aliaque exerceat, ſine quibus ad Sacra miniſteria Laicos non promovet.

Itaque cum & *Epiſcopos* nobiſcum admittat Eccleſia Anglicana, ex eo ſaltem capite non habent Calviniſtę, Presbyteriani, ſeu Puritani, cur à fide deſciſcant Catholica. *Epiſcopatus.*

Sed nonne & Act. 20. dicit Apoſtolus, *attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanct s poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit Sanguine ſuo.*

Nonne etiam ſæculo 4. (quo Romanam, veram fuiſſe Chriſti Eccleſiam fatemini) *Aerium* damnavit antiquitas, quod negaret, *Epiſcopum* ſimplici eſſe Sacerdote ſuperiorem?

MATRIMONIUM.

NOlunt Sectarii Matrimonium eſſe Sacramentum; illud coarctant ad contractum civilem. Oppoſitum docet Romana Eccleſia. *Matrimonium*

Eſt enim in matrimonio ſignum aliquod externum: ſive ſenſibile, & gratia Sanctificans illi annexa. Signum ſenſibile, eſt mutuus conſenſus in traditionem corporum verbis; vel indiciis æquivalentibus expreſſus. Gratia colligitur ex verbis iſtis Apoſtoli ad Epheſios 5. *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.* Conjunctio enim viri cum fœmina ſignificat conjunctionem Chriſti cum Eccleſia. Hæc autem conjunctio eſt per gratiam, & charitatem, & ratione hujus dicitur Chriſtus ſponſus, & Eccleſia illius ſponſa. Ut igitur connubium viri cum fœmina hanc poſſit ſignificare unionem Chriſti cum Eccleſia, oportet, ut ſit inter fideles conjuges non tantùm unio

quędam naturalis, aut carnalis, qualis etiam inter Gentiles reperitur, ſed unio quoque ſpiritualis, quę in gratia, & charitate conſiſtit: ac proinde Matrimonium hanc gratiam impertiri debet, ut in eo ſubſiſtat ſignificatio perfecta unionis Chriſti cum Eccleſia ab Apoſtolo aſſerta.

Deinde: ad inſolubile vinculum tolerandum cum una, gratia Dei neceſſaria eſt. Nam profectò res difficillima eſt, ita uni mulieri alligari, ut nulla de cauſa, nec per ullam diſpenſationem poſſit vinculum ſolvi, nec alia uxor ſuperinduci vivente prima. Fides etiam inviolatè ſervanda eſt. *Thorus* debet eſſe *immaculatus* ad Hebr. 13. Studendum eſt unioni animorum, quę ſępè abeſt ab unitis corporibus, proles Sanctè educanda incumbit, illi quoque temporales ſunt relinquendæ facultates. Quis autem credat, Deum rem tam difficilem inſtituiſſe, & non ſimul gratiæ auxilium ad tot emergentes in eo ſtatu ſuperandas difficultates contuliſſe?

Potrò circa recenſita Sacramenta quædam reſtant conſideranda. Cur potiùs vobis, Sectarii, circa Sacramenta, quæ negatis, Eccleſia verò admittit, cur vobis, inquam, potiùs, quàm Eccleſiæ Catholicæ credatur? docet hæc, per illa conferri gratiam dignè ea ſuſcipientibus. Habet Scripturæ loca, quæ in hunc ſenſum exponat, habet tot elapſorum ſæculorum authoritatem, tot viros celebres, ſeu integritatem, ſeu eruditionem ſpectes, (quibus ſuperſedeo) ſibi ſuffragantes, habet denique ſuum in decernendo pondus. Vos verò nec ex Scripturis verbum habetis, quo contrarium conſtet, nempe nec Pœnitentia, nec Confirmatione, nec Extrema Unctione, Ordine, Matrimonio gratiam ea ſine obice recipientibus tribui. Reſtat igitur, ut non Scripturis hanc Eccleſiæ ſententiam oppugnetis, (nam nullæ ſunt, quibus hoc fiat) ſed tantùm, ut negetis, hæc omnia, quę Eccleſia circa illa Sacramenta docet, & profitetur, rectè adſtrui ex Scripturę locis, quę pro ſe allegat. Quo ſanè quid impudentius dici poteſt? Quis enim vobis ab uno alterove ſeculo exortis, majorem exponendarum Scripturarum authoritatem

tem

tem adſcripſerit, quam vetuſtę Eccleſię, quæ vobis etiam fatentibus, expers erroris fuit? hæc autem præfata Sacramenta ſemper admiſit.

Hoc certè perpendatis, velim, Sectarii, non aliter hic vos pugnare, quam antiquos omnes, recentesque (quos etiam vos quibuſdam in punctis oppugnatis) errorum Profeſſores; ſcilicet negando, ita exponendas eſſe Scripturas, ut exponit Eccleſia. Cur igitur & vos erroris arguitis Anabaptiſtas, Mennoniſtas, alioſque qui non juxta ſenſum Eccleſiæ, ſed ſuum Scripturas exponunt; atque has ita exponentes in hæreſium voraginem prolabuntur? cur illis minus liceat, quàm vobis divinas interpretari, & explanare paginas? ſed certè & vos erratis, & illi, dum non exponitis Scripturas, ut exponit Eccleſia: illius eſt judicare de vero ſenſu Sacrarum literarum, cum errare nequeat, utpote *columna, & firmamentum veritatis*. 1. ad Timoth. 3.

Sed de Eccleſia fuſius infrà.

EUCHARISTIA.

Realis præſentia Corporis & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia.

TAndem devolvimur ad quęſtionem omnium momentoſiſſimam, verſantem circa realem Corporis & Sanguinis Jeſu Chriſti in Euchariſtia præſentiam; quæ proinde latius deducenda eſt.

Poteſt aliquis tribus potiſſimùm modis eſſe pręſens alicubi. Primò per ſignum, figuram, vel imaginem ſui, quo pacto Imperator eſt præſens in effigie, quę illum repræſentat. Secundò per apprehenſionem, quo pacto amicus amico præſens eſt, dum de illo reipſa cogitat. Tertiò per ſeipſum, quo pacto ſol eſt præſens in Cœlo, Rex in ſolio.

Hoc poſito; certum eſt apud omnes tam Catholicos, quam adverſarios, Chriſtum præſentem eſſe duobus prioribus modis in Euchariſtia. Primò, quia per externas ſpecies panis, & vini, tanquam per ſigna quædam divinitatis inſtituta, Chriſti Caro, & Sanguis ibi repræſentantur. Secundò, quia ex illa repræſentatione,

Chriſtum fide apprehendimus. Eſt igitur præſens in Euchariſtia repræſentativè, & apprehenſive. Iiſdem modis fuit preſens in Sacramentis, & Sacrificiis antiquæ legis. Primò quia illa Chriſtum figurabant. Secundò quia Judæi per fidem in Chriſtum venturum credebant.

Tota difficultas eſt de tertio modo; an ſcilicet Chriſtus non ſolùm per figuram, & apprehenſionem; ſed etiam per ſeipſum *verè*, *realiter*, & *ſubſtantialiter* ſit præſens in Euchariſtia. Id negant Calviniſtæ, affirmant verò Catholici; quod modò demonſtrandum eſt.

In primis itaque Dominus noſter Jeſus Chriſtus Euchariſtiæ Sacramentum à ſe inſtituendum promiſit verbis, quę illam Chriſti in eo præſentiam omninò declarant: hiſce nimirum Joannis 6. *Panis, quem ego dabo, Caro mea eſt pro mundi vita. Caro mea verè eſt cibus, & Sanguis meus verè eſt potus. Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam. Amen, dico vobis, niſi manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Promiſſum illud Dominus implevit, in ultima cœna inſtituendo Sacramentum Corporis, & Sanguinis ſui verbis hiſce ponderoſiſſimis, clariſſimis, lucentiſſimis: Hoc eſt corpus meum; Hic eſt Sanguis meus. Matth. 26. Marci 14. & Lucæ 22.

Inſtitutionem illam ſibi à Domino revelatam eſſe Apoſtolus teſtatur 1. ad Corinth. 11. his verbis: *ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis; quoniam Dominus Jeſus in qua nocte tradebatur, accepit Panem, & gratias agens, fregit, & dixit: Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur; ſimiliter & Calicem poſtquam cœnavit, dicens. Hic Calix Novum Teſtamentum eſt in meo Sanguine.... qui manducat, & bibit indignè, judicium ſibi manducat, & bibit non dijudicans Corpus Domini.*

Verba hæc accipimus, ut ſonant, nec magis à nobis quærendum eſt, cur literali, ac proprio inhæreamus ſenſui, quàm à viatore, cur regiam ſequatur viam.

Unde hæc ſacratiſſima & evidentiſſima teſtimonia

Cal-

Calviniſtæ fruſtra obſcurare, & eludere conantur, contendentes ea tropicè, Metaphoricè, figuratè, ac impropriè ſumi, accipi & intelligi debere, ut accipiuntur voces, *Petra*, *Lapis*, *Oſtium*, & ſi quæ ſint aliȩ ſimiles, quæ de Chriſto in Sacris literis prædicantur.

Sanè ex rationibus, circumſtantiis, & conſiderationibus in Sacro textu expreſſis, aut fundatis evincitur, prædicata *Carnis*, aut *Corporis*, & *Sanguinis* in hoc Sacramento propriè, & non Metaphoricè eſſe accipienda; ſecus ac ſumuntur *Petra*, *Lapis*, *Oſtium*, dum de Chriſto dicuntur.

Ad hoc verò obſervandum eſt primò, quòd Dominus famoſo ſexto capite Joannis non tantùm dixerit carnem ſuam eſſe cibum, & Sanguinem eſſe potum; ſed *verè* cibum, & *verè* potum. Nuſquam autem legitur, quod Dominus ſe dixerit eſſe *verè* petram, *verè* lapidem, aut *verè* Oſtium. Secundò conſiderandum eſt, quod Dominus oborto Judæorum, & nonnullorum quidem è Diſcipulis ſuis gravi ſcandalo, aut murmure propter ipſius de hoc Sacramento Sermonem, perſtiterit tamen in ſententia de veritate, ac neceſſitate manducandȩ carnis ſuȩ, Sanguiniſque bibendi.

Sed ut hujus argumenti vis percipiatur, en hiſtoriam illius ſcandali ex Sermone *Joan.* 6. Ubi verſu 41. *Murmurabant Judæi*: & v. 53. *Litigabant ad invicem, dicentes: quomodo poteſt hic nobis Carnem ſuam dare ad manducandum?* dixit tamen eis *Jeſus* (v. 54.) *Amen, amen dico vobis; niſi manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Dein v. 55. *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam.* Et v. 56. *Caro mea vere eſt cibus, & Sanguis meus verè eſt potus.*

Sed ecce ſcandalum ferit vel Diſcipulos. *Multi ergo audientes ex Diſcipulis ejus* (v. 61.) *dixerunt: durus eſt hic Sermo, & quis poteſt eum audire?* nihilominus v. 62. *Jeſus dixit eis: hoc vos ſcandalizat?* & ſtatim adiecit v. 63. *Si ergo videritis Filium hominis aſcendentem, ubi erat priùs?* volens ſcilicet rem unam mirabilem alia æquȩ mirabili confirmare. Sed cum hȩc ſublimiora fo-

forent Myſteria; *ex hoc* (*v.* 67.) *multi Diſcipulorum ejus abierunt retrò*; *& jam non* (id eſt nec ampliùs) *cum illo ambulabant*. Unde Chriſtus *ad duodecim*, ſeu Apoſtolos v. 68. dixit: *numquid & vos vultis abire?*

Profectò divinæ Chriſti ſapientiæ, & bonitati non congruebat, ut, multis e Diſcipulorum grege ſcandalizatis, & deſerentibus eum, Apoſtolos data eis abeundi niſi crederent, libertate, ſeu optione tam periculosè tentaret, ſciſcitando, num & ipſi cum aliis Diſcipulis incredulis, ac deſertoribus *abire vellent*; ſi in illo Sermone non veram Carnem ſuam, ſed figuram carnis ſuæ intellexiſſet. An conveniebat benigniſſimæ Servatoris indoli, ita cum Diſcipulis, ac Apoſtolis ſuis agere, & quodammodò iis illudere? certè ſi non propriè, ſed *figuratè* tantùm locutus fuiſſet, viſo graviſſimo ſcandalo ex ſuis verbis oborto, facilè illud ſedare potuiſſet, & unico verbo manducationis Corporis ſui *in figura*, difficultatem omnem non modò elevare, ſed penitùs adimere, & profligare.

Tantùm verò abfuit, ut verbum illud, *in figura* (quod quæſtionem dirimere poterat) adhibuerit; ut è contrà propoſitæ firmiter, immobiliter, ineluctabiliter inhærens veritati ipſos Apoſtolos ad credendum, vel abeundum vehementiùs urſerit.

Quantùm verò ad Tò *Petra*, *Oſtium*, *Lapis*, quæ de Chriſto dicuntur: *Petra erat Chriſtus* 1. ad Corinth. 10. *Ego ſum Oſtium*. Joann. 10. *Lapis angularis*. Ad Epheſ. 2. Quantùm ad illa; inquam, in locis allegatis additur ſubjectum, vel prædicatum, ex quibus ſenſus tropicus, vel metaphoricus maniſeſtè deprehenditur; immediatè enim, antequam Paulus diceret; *Petra autem erat Chriſtus*; dixerat loquens de Hebręis: *bibebant autem de ſpiritali conſequente eos Petra*: proindeque ſermo erat de Petra ſpirituali, & de ejus ſigno. Pariformiter dum Chriſtus ſe dixit eſſe *Lapidem*, *vel Oſtium*, ex antecedentibus, vel conſequentibus apertè colligitur ſe loqui de Lapide, & Oſtio ſpirituali. At verò in hoc Sacramento oppoſitum contingit: verba enim, quę Chriſtus adjunxit prędicato ſui Corporis & Sanguinis dicens, *quod pro vobis tradetur*. 1. ad Corint. 11.

11. *Qui pro multis effundetur*. Marci 14. verba illa omnem elidunt Metaphoram, Tropum, Figuram, aut Allegoriam: quod enim traditum fuit, erat verum Chriſti Corpus, & Sanguis, qui effuſus eſt, erat verus ejus Sanguis, non autem eorum repræſentatio, & figura: ut etiam nobiſcum fatentur Calviniſtę; cum credant Chriſtum verè paſſum, & mortuum fuiſſe: vera autem paſſio, & mors paſſionem, & mortem omnem figurativam, & Metaphoricam excludunt.

Deinde, ſi quidquam valeret Calviniſtarum diſcurſus de Corporis, & Sanguinis *figura*, probarèt ille, non ſolùm licere verba illa Chriſti, *Hoc eſt Corpus meum*; in ſenſu Metaphorico uſurpare; ſed etiam iſta, *Verbum Caro Factum eſt*. Hęc enim verba non magis expreſsè ſignificant aſſumptionem Carnis à Verbo, quam iſta, *Hoc eſt Corpus meum*, realem exiſtentiam Corporis Chriſti ſub ſpeciebus Panis. Quin imo *Sociniani* ſenſibus iſtis Metaphoricis abrepti pręfata verba, *Verbum Carò Factum eſt*, in figuram aliquam detorſerunt, magnumque Incarnationis miraculum inficiati ſunt. Poterat nos Deus, inquiunt, ſine tot Ambagibus ſervare; modò nobis culpas condonaret, doceretque nos, quod abundè poterat, tum id, quod ad doctrinam, tum id, quod ad morés pertinet, viri cujuſdam Spiritus Sancti donis referti & verbis, & exemplis: nec *Deum* propterea Incarnari oportebat. Unde pręcitata verba, *Verbum Caro Factum eſt*, figuraliter (ajunt) & Metaphoricè intelligenda ſunt. Illos tamen nobiſcum oppugnatis, Calviniſtæ, ſtrenueque aſſeritis, verba iſta eſſe in ſenſu literali, & obvio accipienda. Quæ cum ita ſint; ſi in iſtis verborum proprietatem retinendam eſſe exiſtimètis; cur non & in illis, *Hoc eſt Corpus meum*? aut ſi hæc tropis, & figuris exponatis, cur non & alia, *Verbum Caro Factum èſt*? quænam eſt ratio diſcriminis? nonne utrumque ingens eſt myſterium? anne divina ad Incarnationis Arcanum coarctata eſt potentia? cur igitur hoc apud vos ſenſum ſibi vendicat literalem, iſtud verò ad Figuras, Tropos, & Metaphoras relegatur?

Accedit, quòd hoc Sacramentum fuerit à Domino

no inſtitutum pridiè mortis ſuæ per modum Teſtamenti, ut patet locis Matth. Marc. & Luc. præcitatis, ubi Calix, aut Sanguis à Domino in ultima cœna propinatus Apoſtolis, dicitur *eſſe novi Teſtamenti*, vel *Novum Teſtamentum*. Verba autem, quibus conditur Teſtamentum, debent eſſe clara, aperta, perſpicua; ab omnibus tropis, figuris, parabolis, ambiguitatibus remotiſſima, ne, unde lites extingui deberent, inde potiùs iſtæ pullulent. Sic & vetus Teſtamentum, quod novi umbra erat, diſertis, & evidentibus verbis antiquis Patribus datum fuit Exod. 24. An igitur credibile ſit, Chriſtum figuratis, & obſcuris locutionibus Novum, quod condebat, voluiſſe involvere?

Prætereà: ſi nihil aliud ſit in Sacramento Euchariſtiæ præter figuram Corporis Chriſti, cur intonat Apoſtolus 1. ad Corinth. 11.? *probet ſeipſum homo, & ſic de Pane illo edat, & de Calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indignè, judicium ſibi manducat, & bibit: non dijudicans Corpus Domini*. Unde *reus erit Corporis, & Sanguinis Domini*. Quomodò quis reus erit Corporis, & Sanguinis Domini indignè manducati, ſi Corpus Domini non manducet, ſed ejus figuram?

Object. At audio: Sacramentum hoc, inquiunt Reformati, locis citatis vocatur Panis. *Probet ſeipſum Homo, & ſic de Pane illo edat, & de Calice bibat*. Eadem habentur *Joan.* 6. *Panis, quem ego dabo: Panis de Cœlo: qui manducaverit ex hoc Pane, vivet in æternum*. Itaque in hoc Sacramento eſt *Panis*, non *Corpus Domini*, ſed tantùm ejus figura.

Reſp. Reſpondetur in primis, Sacramentum hoc iis in locis vocari non Panem ſimpliciter, ſed cum addito; *Panem, quem ego dabo*: *Panem de Cœlo*: *Panem hunc*, *Panem illum* &c. Quibus verbis *Pani* ſubjunctis, vel annexis indicatur, quod Panis ille ſit alterius naturæ, quàm communis: nimirum Cœleſtis, & vivificus, ipſaque Caro, & Corpus Chriſti, de quibus ibidem agitur.

Deinde; licet hoc Sacramentum in SS. literis ſimpliciter, & ſine addito vocaretur *Panis*; non idcircò cenſendum eſt, quod in eo ſubſtantia Panis perſeveret. Sæpè enim id, quod jam eſt, ex eo quod fuit, appel-

lamus.

lamus. Virga Aaron, quæ verſa in colubrum, certè virga non erat, tunc tamen dicitur virga: ſcilicet, quia ex *virga* mutata erat in ſerpentem: *projecerunt ſinguli* (Exodi 7.) *virgas ſuas, quæ verſæ ſunt in Dracones: ſed devoravit virga Aaron* (quæ jam tamen erat ſerpens) *virgas eorum*, quæ itidem erant ſerpentes. Adam dicitur *Terra*, *Limus*, *Pulvis*, *Cinis*, quia de terra, limove conflatus eſt: idem Adam, poſtquam Deus ex una coſtarum ejus fœminam formaverat, etiamnum eam vocat *os* ex oſſibus ſuis, Cæcus natus jam à Chriſto illuminatus adhuc vocatur *cæcus* natus. Sexcenta ſuppetunt ejuſmodi exempla. Sic igitur & hoc Sacramentum nonnunquam in Scriptura appellatur *Panis*, quia ſcilicet ante Conſecrationem, *Panis* erat.

Apparent quidem ſenſibus, etiam poſt Conſecrationem, *panis*, *&* *vinum*: ſed fides, ejus, *qui omnia, quæcumque vult, facit*, efficaciſſimis attendens verbis, nullam hic ſubſtantiam agnoſcit aliam, quam quæ iiſdem illis verbis deſignatur, hoc eſt, verum Corpus Chriſti, verumque Sanguinem, in quæ panis, & vinum mutata ſunt, eaque mutatio dicitur *Tranſubſtantiatio*: ſeu converſio totius ſubſtantiæ panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Chriſti: remanentibus duntaxat Panis, & vini accidentibus. ***Tranſubſtantiatio.***

Quare evaneſcit omnis argumentatio præſertim à ſenſibus petita, dum attendimus eum loqui, cujus ſuprema ſenſibus præſtat authoritas, cujus potentia naturæ dominatur univerſæ, & qui verbis, id quod dicit, operatur. Si Deus in principio creavit Cœlum & Terram, & omnia, quæ in eis ſunt ſolo verbo ſuo juxta illud Geneſ. 1. *Fiat Lux, & facta eſt Lux &c.* Si tanta eſt virtus in Sermone Domini, ut inciperent eſſe, quæ non erant, quantò magis operatur, ut ea, quæ erant (*panis & vinum*) in aliud (Corpus, & Sanguinem Chriſti) commutentur ſeu tranſubſtantientur? nec adverſarios turbet hæc vox *Tranſubſtantiatio*. Si enim mutatio ſolius formæ *Transformatio* dicatur, & mutatio exterioris figuræ etiam in Evangelio vocetur *Transfiguratio*, cur mutatio totius ſubſtantiæ in aliam non poterit rectè *Tranſubſtantiatio* dici.

Ei igitur aures, mentemque præbemus, qui ait, id, quod accipimus, & manducamus, Corpus ſuum eſſe; ea vis verborum Chriſti eſt, ut iſta prohibeant, externas illas ſpecies ad ſubſtantiam Panis referre, cogantque nos, iſta referre ad præſens Chriſti Corpus.

Expoſita modò Eccleſiæ doctrina de hiſce potiſſimùm verbis; *Hoc eſt Corpus meum*: non eſt omittendum, quid de illis ſentiat, quæ Chriſtus ſubjunxit: *Hoc facite in meam Commemorationem*.

Ac primum non eſt dubium, quin Chriſtus id agat, ut mortem, quam pro nobis pertulit, eo in myſterio memoria recolamus docente Apoſtolo, atque ex his verbis inferente, nos hoc Sacramento percipiendo, *mortem Domini annuntiare*. 1. ad Corinth. 11. Non eſt autem exiſtimandum, illa Dominicæ mortis recordatione veram Corporis ipſius præſentiam excludi. Imo, qui præjudiciis non laborat, is manifeſtè intelliget, præſentiæ reali commemorationem illam inniti. Non enim præcepit Chriſtus, ut ejus meminerimus tantùm, ſed ut Carnem ejus comedendo, Sanguinemque bibendo, illius meminerimus. Series ipſa penſetur; viſque verborum Apoſtoli. Non id dicit, quod Calviniſtæ intelligere videntur, panem Euchariſtiæ, vinumque, ſui nobis Corporis, ſuique Sanguinis tantum memoriale quoddam, ac monumentum futurum; ſed monet, ut id agendo, quod præcipit, id eſt, ſumendo Corpore ejus, & Sanguine, ipſius meminerimus. Quid enim Corpore, & Sanguine ſuo efficaciùs reperire poterat, quo ſui memoriam nobis penitùs inſereret, infigeret, imprimeret? profectò ſi Liberos tam ſuavis ſubit Patris, paternæque charitatis recordatio, cum accedunt ad tumulum, quo ejus corpus conditum eſt; quàm præſens debet in nobis memoria, quàm ardens charitas excitari, dum ſub involucris Sacris, myſticoque illo, ut ita dicam, ſepulchro, ipſiſſimam tenemus Chriſti pro nobis immolati Carnem, vivam illam Carnem, atque vivificam: ac Sacrum Cruorem, amore, quo fuſus eſt, etiamnum fervidum, divinoſque in nos ignes vibrantem?

Object. At SS. Patres, inquiunt Calviniſtæ, ſæpè docent,

ac

ac tradunt, Euchariſtiam eſſe *Sacramentum*, & *ſignum commemorativum* Chriſti pro nobis Paſſi; Chriſtus proindè non eſt ſubſtantialiter præſens in Euchariſtia: non enim (ut contendunt) dantur *ſigna* rerum *præſentium*, ſed tantùm abſentium: nec ulla res poteſt eſſe ſui ipſius *Sacramentum*, & *ſignum*. *Reſp.*

Sed certè frequentiſſimè dantur *ſigna* rerum præſentium, nec ullatenus implicat, quod res quæpiam ſui ipſius, ſub diverſa ratione, & conſideratione ſit *Sacramentum*, & *ſignum*. Plura ſuppetunt tam in rebus divinis, quàm humanis exempla, quæ id probent.

Columba quæ ſuper Chriſtum à *Joanne* Baptizatum viſibiliter deſcendiſſe, & manſiſſe legitur *Joan.* 1. erat *ſignum* Spiritus Sancti, non abſentis certè, ſed *præſentis*, ac in Chriſtum tunc illapſi.

Illę etiam *linguæ igneæ*, quę *ſuper Apoſtolos* die Pentecoſtes *ſediſſe Act.* 2. referuntur, ejuſdem Spiritus Sancti in eos illabentis; & tunc illis facultatem tribuentis loquendi variis linguis, *ſigna* erant, non *commemorativa*, aut *prognoſtica*, ſed *demonſtrativa*. Idem eſt de ſeptem legis novę Sacramentis, quę *præſentis* gratiæ *ſigna* ſunt operatoria à Chriſto inſtituta.

Sermones itidem noſtri, ſeu ore prolati, ſeu calamo deſcripti, *ſigna* ſunt cogitationum noſtrarum, non abſentium, præteritarum, aut futurarum, ſed *præſentium*, quas, utique animo formamus, & concipimus, dum loquimur, aut ſcribimus.

Belli quoque Dux facilè poſſet ſeipſum in Theatro ſub larva repræſentare, olim dimicantem, ac Triumphantem, Eſſet verò Dux ille in tali caſu *ſui ipſius* ſignum demonſtrativum ſub diverſa ratione.

Sic igitur Chriſtus latens in Euchariſtia, paniſque ſpeciebus, & accidentibus tectus, & quaſi veſtitus, Sacramentum eſt, & ſignum à ſe inſtitutum, quo ſeipſum repræſentat illud ultima in cœna inſtituentem, & poſtridie in Cruce expirantem, & fideles ſua gratia nutrientem. Proinde ſignum eſt ſui ipſius *inſtituentis*, *patientis*, ac *nutrientis*.

Sed nonne ſatis ſit, reponunt adverſarii, Chriſtum in Euchariſtia nobis adeſſe *per fidem*? ſeu *per fidem* à nobis ſpiritualiter comedi? *Object.*

Faci-

Reſp. Facilè ad hoc reſpondetur, & ſermonis ambiguitas diluitur. Aliud eſt, Chriſtum nobis per fidem præſentem adeſſe, aliud, quod præſens ſit, per fidem nos cognoſcere. Priores illæ particulæ denotant non adeſſe reverà Chriſtum; ſed morali tantum, ut ajunt, præſentia, poſteriores verò, quàm certa, ac vera fides eſt, tam *certam*, ac *veram* prædicant eſſe *præſentiam*, utpote innixæ verbis Chriſti, quæ quod ſignificant, infallibiliter operantur.

Deinde tò *per fidem* nos non diſcernit à Patribus antiquæ legis, qui credebant in Chriſtum; ſubindèque ſpirituali manducatione per fidem Corpus ejus comederunt: unde ſi fideles novi Teſtamenti non manducent *realiter*, & *ſubſtantialiter* Carnem Chriſti ſub ſpeciebus Euchariſticis contentam, ſed ſpiritualiter tantùm, & per fidem, ſequitur, Fideles novi Teſtamenti non eſſe quoad manducationem Corporis Chriſti in conditione diverſa, ac meliori, quam fuerint Patres fœderis antiqui. Hoc verò falſum eſt, ut conſtat ex verbis Chriſti *Joan.* 6. promittentis ſe daturum fidelibus novi Teſtamenti Carnem ſuam manducandam modo quodam, quo fideles veteris Teſtamenti illam non comederunt: ait enim: *non Moyſes dedit vobis Panem de Cœlo; ſed Pater meus dat vobis Panem de Cælo verum, Panis Dei eſt, qui de Cœlo deſcendit, & dat vitam mundo... Patres veſtri manducaverunt Manna in deſerto, & mortui ſunt. Hic eſt Panis de Cœlo deſcendens, ut ſi quis ex ipſo manducaverit, non moriatur.* Ut ergo detur diſcrimen fideles inter novi & antiqui Teſtamenti, illi Corpus Chriſti, *verè*, *realiter*, & *ſubſtantialiter*, quod de Cœlo deſcendit, ſub ſpeciebus Panis comedant, neceſſe eſt.

Huc ſcilicet collimabant omnia, quæ in lege priſtina obſervabantur.

Immolatam pro peccatis Hoſtiam comedere Judæis (Lev. 6.) prohibuerat Deus, ut nempe veram ſcelerum expiationem nec lege, nec animantium Sanguine fieri doceret, eaque prohibitione populus univerſus quodam veluti interdicto tenebatur, ne remiſſionis peccatorum reverà poſſet eſſe particeps. Corpus igitur

Chri-

Chriſti, veram ſcilicet hoſtiam pro peccatis immolatam, verè oportebat à fidelibus manducari, nimirum ut iſti impletam eſſe in novo Teſtamento peccatorum remiſſionem vera illius manducatione intelligerent.

Sanguinis etiam eſum Genti Judaicæ interdicebat Deus, cujus prohibitionis ea præcipuè ratio erat, quod *Sanguis nobis datus ſit, ut ſuper Altare in eo expiemus pro animabus noſtris.*(Lev. 17.) Contrà ergo Servator ſuum ideò nobis bibendum propinat Sanguinem, quod *effunditur in remiſſionem peccatorum.* Matth. 26.

Tam igitur verè, ac realiter in Sacra menſa Chriſti Carnem Sanguinemque ſumimus, quàm verè in novo Teſtamento expiantur peccata, Chriſtique Sacrificii participes efficimur.

Sed ecce jam ipſos adverſarios ad doctrinam Eccleſiæ propiùs accedentes.

Perinde illi, ac nos, aſſerunt, Chriſtum in Sacra cœna propriæ ſubſtantiæ nos facere participes, eundemque *nos alere, & vivificare Corporis ſui, ſanguiniſque ſubſtantia*: Habemus proinde in Euchariſtia Corpus, & Sanguinem Chriſti (vel ipſis fatentibus Calviniſtis) reipſa præſentia, quod enim nobis *ſecundum propriam ſuam ſubſtantiam* communicatur, id reipſa præſens adſit, neceſſe eſt. *Catech. Dom. 53. conf. fidei art. 36.*

Non quidem me latet hanc ab ipſis ita communicationem exponi, ut *Spiritu* eam dicant fieri & *per fidem*: ſed certè nequit fieri, ut Corpus, quod Spiritu duntaxat, ac per fidem communicatur, idem intelligatur reverà, & ſecundùm *propriam* communicari *ſubſtantiam* quod tamen ipſi fatentur. Unde adverſarii negantes realem Chriſti in Euchariſtia præſentiam, & aliunde admittentes Corpus ejus, & Sanguinem nobis ſecundùm *propriam* communicari *ſubſtantiam*, ſibi apertè repugnant.

Sed & divina providentia permiſit, ut aliud quoddam dogma traderent, quod verum eſſe nequit, niſi ſuppoſita Eccleſiæ de hoc myſterio doctrina.

Docent itaque, Chriſtum nobis in Euchariſtia, ait Illuſtriſſimus ex Condomenſi Epiſcopus Meldenſis (*in aurea expoſitione Doctrinæ Catholicæ*) certo quo-

dam modo dari, qui neque Baptiſmo, neque Evan-
„ gelii prædicationi conveniat, quique huic my-
„ ſterio omninò ſit proprius.

„ Ipſiſſima adduco, inquit Illuſtriſſimus, illorum
„ Catechiſmi verba, quo loco exponit, quæ ad
„ cœnam pertinent. Ibi diſertis verbis ait Cate-
* Cat. „ chiſmus, * *non ſolum verè nobis in cœna Chriſtum*
Dom. „ *dari, & quoad propriam ipſius ſubſtantiam:* * ſed
53. „ *licet nobis verè, & per Baptiſmum, & per Evange-*
* Dom. „ *lium communicetur, tamen ex parte tantum ibi, &*
25. „ *non plenè communicari.* Ergo in cœna infert Epi-
„ ſcopus, *plenè*, & non ex parte datur.

„ Utrum quid ex parte, an plenè accipiatur, mi-
„ rum eſt, quantùm interſit. Quare ſi alibi Chri-
„ ſtus ſemper ex parte tantum, in cœna autem *ple-*
„ *nè* recipiatur, ſequitur, adverſariis conſentienti-
„ bus, atque ultrò præeuntibus, quærendam eſſe in
„ cœna eam communicandi rationem, quæ ita ſit
„ huic Sacramento propria, ut neque Baptiſmo,
„ neque prædicationi conveniat. At ſimul id quo-
„ que ſequitur, communicationem illam à ſola fide
„ non pendere, cum fides in omnes omninò Chriſtia-
„ ni hominis actus diffuſa & in cœna reperiatur. Et
„ verò obſervatu dignum eſt, quantumvis Calviniani
„ Baptiſmum, & Evangelii prædicationem cœnæ Do-
„ minicæ æquaverint, eò ſcilicet, quod Chriſtus in
„ hiſce actionibus verè communicetur; auſos tamen
„ non fuiſſe in Catechiſmo dicere, eundem nobis Chr.
„ quoad propriam ſubſtantiam in Baptiſmo & in prædi-
„ catione dari, quod de cœna dicere minimè dubitarunt.

„ Intellexere ergo, niſi cœnæ tribueretur certus
„ quidam Chriſti poſſidendi modus, qui huic Sacra-
„ mento peculiaris eſſet, omninò non conſtare myſterii
„ rationem: neque porro ut id fiat, adduci poſſe fidem,
„ quæ omnibus Chriſtiani hominis actibus ſit commu-
„ nis. Quare ex ipſorum doctrina omninò concluden-
„ dum eſt, eſſe aliquem in Euchariſtia verum Corporis
„ Chriſti & Sanguinis reipſa percipiendi modum, qui
„ per fidem non fiat: quòd ſanè eſt in ipſiſſimam coin-
„ cidere de hoc Sacramento Eccleſiæ doctrinam.

Quis

Quis hìc non ſuſpiciat vim illam occultam veritatis, quæ citata hæc eis verba, *nobis in Eucharistia propriam Corporis, ac Sanguinis Chriſti ſubſtantiam communicari*, extorſit? quis verò aliunde non ęgrè ferat, lugeat, deploret adverſariorum cęcitatem, conceſſo hoc antecedenti, ſeu admiſſa *propria Corporis, & Sanguinis Chriſti in hoc Sacramento ſubſtantia*, tam pervicaciter inficiantium ſequelam ſponte ſua inde fluentem, ac reſultantem, *veram* ſcilicet, *realem*, & ſubſtantialem *Chriſti in Eucharistia* præſentiam, & ob illud præcipuè punctum tam dira nobis bella moventium?

Sed & in illo negotio habentes *Lutheranos* nobis adſtipulantes: quin imo *Calviniſtæ* (ita diſponente Numine) profeſſi ſunt, eos, licet ſibi in iſta quæſtione refragantes, ad Sacræ quoque cœnę communionem eſſe admittendos: item ex doctrina *nullum venenum contineri*, nihil quod animę periculum creet, nihil quod ſalutis, ac fidei fundamenta deſtruat, aut quo inter fratres concordia, & communio exuatur.

O providentiam Dei admirabilem! quoties hęc egit, ut diſſidentes, atque exacerbatos in Catholicos, *Calviniſtarum* animos emolliret, ac ab eis denſa, quibus involuti ſunt, prejudicia removeret? en quo conſilio, quo ordine eos Deus ad Eccleſiam, veramque fidem amplectendam pedetentim diſponat. Moderatioribus inter adverſarios ſenſim ſiniſtrarum de dogmatibus noſtris opinionum caligo abſtergitur: tot procellis videtur ſuccedere malacia: in Lutheranis realem Chriſti præſentiam nobiſcum ſuſtinentibus nullum illi agnoſcunt fidei periculum, nullamque rationem diſſolvendi concordiam. Cur repentè, dum nos Catholici ex ipſorummet verbis Euchariſticam urgemus præſentiam: quamque in Lutheranis nec ſaluti, nec fidei fundamentis repugnare profitentur; cur repentè, inquam, in nos ab iis exciti *una Eurusque, Notuſque ruunt creberque procellis Africus!* cur punctum illud, inter principes à nobis diſſidendi cauſas annumerant, quod in *Lutheranis* affirmant non tollere concordiam?

Iterum, iterumque Calviniſtas obteſtor, ut lucem

 veri-

veritatis toties à Deo miſerante ſibi oblatam, perque tot arcanorum ſuorum conſiliorum ſeriem ſibi magis magiſque præparatam, jamque affundi incipientem, non reſpuant, ſed benignè, placidè, alacriter recipiant, ſenſuſque & *intellectum captivent in obſequium fidei*.

Lutheranorum Impanatio.

Porrò Lutherani etſi nobiſcum quoad præſentiam Corporis, & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia conſentiant, differunt à nobis tamen dupliciter: primò, quòd cum Chriſti Corpore etiam ſuſtineant adeſſe ſubſtantiam *panis:* unde *Impanatores* dicti ſunt.

Iſte autem error convellitur per toties citata Chriſti verba: *Hoc eſt Corpus meum*: quod certè non foret verum, ſi ſubſtantia *panis* ibi remaneret, nunquam enim ſubſtantia panis eſt Corpus Chriſti; ſed potius eſſet dicendum; Hic *eſt Corpus meum*: nec dicendum fuiſſet à Chriſto *Ioan. 6. Panis quem ego dabo, Caro mea eſt*: ſed in pane *quem ego dabo, Caro mea eſt*.

Secundò à nobis diſcrepant, quod non admittant Chriſti præſentiam, niſi *in uſu*, ſeu *manducatione Corporis*: Hinc non adorant illud vel in Sacrificio Miſſæ, vel dum iſtud a Catholicis in ſupplicationibus circumfertur, vel dum aliàs populo venerandum exhibetur.

Corporis Chriſti præſentia ante uſum.

Sanè cum nobis compertum ſit, potentiſſimis, ac efficaciſſimis Chriſti verbis id effici, omne, quòd illa enuntiant, meritò credimus, ſtatim illa, ac prolata ſunt, ſuum eſſe in cœna effectum ſortita, proindèque, quod eſt conſectaneum, veram Corporis adeſſe præſentiam *ante manducationem*, docemus, agnoſcimus, & profitemur.

Corpus Chriſti adorandum.

Cæterùm adverſariorum Doctiores quique ac prudentiores dudum nobis conceſſerunt, efficere Chriſti in Euchariſtiam præſentiam, ut ab iis, qui in illam credunt, meritò Chriſtus adoretur: unde, ſuppoſita præſentia, nullum eſt modò nos inter, & ipſos de iſta adoratione litigium.

SACRI-

SACRIFICIUM MISSÆ.

Eccleſia docet, Euchariſtiam non tantùm eſſe Sacramentum, ſed etiam novæ legis *Sacrificium*. Id negant tum Lutherani, tum Calviniſtæ. *Sacrificium Miſſæ.*

Unde illi commenti ſunt Religionem ſine *Sacrificio*, *Altari*, *Sacerdote*; quod ne quidem efferatiſſima aggreſſa eſt unquam barbaries. Inveniuntur enim qui Deum verum obliti ſunt populi, qui verò *Sacrificia*, nulli. Sed hiſce omiſſis, Scripturas conſulamus.

Certè Deus nullo unquam tempore ſuam reliquit Eccleſiam ſine Sacrificio, quod in argumentum ſupremæ Majeſtatis illi offerri debeat. Nam in ſtatu legis naturæ reperimus publicum Sacrificium Deo oblatum per Abelem, Noë, Abrahamum &c. In lege Moyſaica plurima erant inſtituta Sacrificia, Holocauſta, Victimæ, Libamina: an in nova lege omnium perfectiſſima vero, & publico Eccleſia Chriſti ſit deſtituta Sacrificio? minimè verò.

Voluit ſcilicet Dominus noſter Jeſus Chriſtus dilectæ ſponſæ ſuæ Eccleſiæ viſibile, ut hominum natura exigit, pridiè mortis ſuæ relinquere Sacrificium, quo cruentum ſemel in ara Crucis peragendum repræſentaretur, ejuſque memoria (*hoc facite in meam commemorationem* Lucæ 22.) uſque in finem ſæculi quotidie ſumma cum utilitate ab Eccleſia, per univerſum orbem diffuſa coleretur. Hinc ad Hebr. 4. *Se Sacerdotem ſecundùm Ordinem Melchiſedech in æternnm* conſtitutum exhibens Corpus, & Sanguinem ſuum ſub ſpecie panis, & vini Deo Patri pro nobis obtulit.

Pro nobis, inquam. Diligentiſſimè enim advertendum eſt, non eſſe à Domino dictum: *Hoc eſt Corpus meum*, *quod* vobis *datur*, aut *quod* vobis *tradetur*; ſed *quod* pro *vobis datur* Lucæ 22. aut *quod* pro *vobis tradetur*. 1. ad Corinth. 11.

In Euchariſtia quippe ratio Sacramenti conſiſtit in eo, quod Corpus, & Sanguis Domini ſub ſpeciebus

panis, & vini tanquam ſpiritualis animarum alimonia, & refectio nobis *dentur*; ratio verò Sacrificii in eo ſita eſt, quod Corpus, & Sanguis Domini ſub iis ſpeciebus vi verborum tanquam gladio verbi Dei ſeparata ponantur; ſolum utique Corpus ſub ſpecie Panis, & ſolus Sanguis ſub ſpecie vini; atque ita paſſio, & mors Domini repræſentetur, & celebretur, ipſeque Chriſtus pro *nobis* myſticè immoletur, & Deo Patri offeratur *in remiſſionem peccatorum*.

Euchariſtiam igitur, quatenus eſt Sacramentum, his in effectu verbis Dominus expoſuit: *accipite*, & *manducate Corpus meum ſub ſpecie Panis*, tanquam verum animæ veſtræ nutrimentum, *qui* enim *manducat meam Carnem*, & *bibit meum Sanguinem*, *habet vitam æternam*. *Ioan.* 6.

Quatenus verò Euchariſtia eſt Sacrificium, his in effectu verbis à Domino exponitur: Corpus meum; quod edendum *vobis datur*, pro *vobis* etiam *datur*, & immolatur. Unde Chriſtus æquivalenter hæc dicit. En prò vobis ſolvo, pro vobis Patri ſatisfacio, pro vobis mortem Patri offero. Unde per Sacrificium hoc Pater generi humano maximè redditur propitius. Atque hinc illud meritò vocatur *propitiatorium*.

Hoc Sacrificium eſt quoque *Holocauſticum*. Cùm enim *Holocauſticum* Deo exhibeatur in *ſignum ſupremi Domimii*, *quod Deus habet in vitam*, & *in mortem*; illud perfectiùs exprimi nequit, quam per mortem unigeniti Filii ſui, quam is ſemel cruentè toleratam, incruentè in Sacris Altaribus gladio verborum continuò offert Patri.

Quare etiam cum hoc Sacrificium cum Sacrificio Crucis in re oblata conveniat, & ſola incruentæ oblationis ratione ab eo differat, omnium Sacrificiorum tam legis naturæ, quàm Moyſaicæ differentias, ut Sacrificium Crucis, in ſe complectitur, adeòque non ſolùm dicitur *Propitiatorium*, & *Holocauſticum*; ſed & *Euchariſticum* ſeu *gratiarum actionis*, & *pacificum*, ſeu *impetratorium* beneficiorum ſpiritualium, ac temporalium.

Cæterùm Euchariſtiæ Sacrificium prænuntiatum fuit *Malach.* 1. ubi Propheta ſic Deum Judæis loquentem in-

introducit. *Non eſt mihi voluntas in vobis; & munus non ſuſcipiam de manu veſtra. Ab ortu enim ſolis uſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus*, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda. Præſenti tempore Malachias utitur phraſi prophetica, ob certitudinem eventus. Hic autem nomine *oblationis mundæ*, intelligi nequeunt Oratio, Eleemoſyna, contritio cordis, & alia hujuſmodi bona opera, quæ Scriptura nonnunquam Sacrificia nuncupat, eò quod Propheta Sacrificium novum promittat: perſamiliare enim erat Judæis, Deum orare, Eleemoſynas elargiri, aliaque præſtare opera. Adde, quòd apud Sectarios ſit axioma receptiſſimum; omnes actiones noſtras eſſe immundas: Propheta autem loquitur de *oblatione munda*. Perperam hæc etiam intelligerentur de Agnis, Tauris, & cœteris animalibus, quæ in unico, & ſolo Salomonis Templo immolabantur: Promittitur enim Sacrificium, quod offerendum ſit in omni loco. Nec hujus vim argumenti declinaverit is, qui dixerit, Prophetam illic loqui de Sacrificio cruento in Cruce per Chriſtum conſummato: quia in unico Calvariæ Monte id fuit immolatum: reſtat igitur, ut loquatur Malachias de Sacrificio Miſſæ, quod ubique offertur. In omni loco mihi ſacrificatur, & *offertur oblatio munda*.

Non obſcurè etiam Apoſtolus hoc innuit Sacrificium, dum hæc ſcribit Corinthiis. 1. 10. *Non poteſtis Calicem Domini bibere, & Calicem Dæmoniorum: non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ Dæmoniorum*. Ut enim pro Dæmoniorum menſa, Altare in quo eis ſacrificabatur, intelligendum eſt; ita etiam menſa Domini nihil aliud niſi Altare, in quo Domino offertur Sacrificium ſignificare poteſt.

Porrò Miſſæ Sacrificium adeò nos à Crucis Sacrificio (ut potiſſimùm Catholicis objectant adverſarii) non ſeparat, ut illi nos potiùs intimè conjungat, cum & ad id referatur totum, & inde, quidquid habet virtutis, pretii, valoris, ponderis, efficaciæ, tanquam ex fonte hauriat.

Atque hæc eſt Eccleſiæ Catholicæ doctrina in Concilio expreſſa Tridentino; quod Sacrificium Miſſæ ideò docet eſſe inſtitutum, ut per illud *Sacrificium ſemel in Cruce peragendum repræſentaretur, ejuſque memoria in finem uſque ſæculi permaneret; atque illius ſalutaris virtus in remiſſionem eorum, quæ à nobis quotidiè committuntur, peccatorum applicaretur.* Seſſ. 22. c. 1.

Unde in Miſſa novam nobis propitiationem non quærimus, qua de integro placetur Deus; quaſi non foret Sacrificio Crucis divinæ factum ſatis juſtitiæ, vel qua aliquid ſalutis noſtræ pretio veluti imperfecto, & inſufficienti adiiciatur: pretium illud, quod pro nobis ex intimis charitatis viſceribus Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſolvere dignatus eſt, ſufficiens eſt, immenſum, & infinitum; nihil ei proinde addi poteſt: ad hoc tantùm ordinatur ſacrificium Miſſæ, ut per illud fructus, virtus, & beneficium ſacrificii Crucis nobis peccatoribus applicetur.

Hinc ingens illa argumenti Machina, quam ex epiſtola ad Hebræos nobis Sectarii opponunt, facilè deſtruitur. Incaſſum ſanè illi contendunt ex Apoſtolo, à nobis evacuari Crucis ſacrificium. Sed ipſam famoſæ Epiſtolę doctrinam ex præfato Illuſtriſſimo Meldenſi percelebris memorię perſtringamus.

„ Apoſtoli in ea epiſtola conſilium eſt, nos ut doceat, non potuiſſe peccatorem debitam mortem effugere, niſi aliquem ſuo loco ſubmitteret, qui pro ſe moreretur: jam quamdiu nil niſi cęſas pecudes ſua vice homines ſubjecerint, nihil aliud ſuis Sacris effeciſſe, quàm ut ſe mortem promereri palam profiterentur: cumque tam iniqua permutatione pecudis ſcilicet cum homine, nullo modo poſſet juſtiſſimo Deo ſatisfieri, iteratam quotidie fuiſſe victimarum cędem; ut nempe pecudes ita ſubſtitutas, hominibus pœnę, mortique eximendis non ſufficere certiſſimè appareret; at poſtquam pro peccatoribus mori Chriſtus voluerit; nihil fuiſſe, quod pro noſtrę redemptionis pretio ampliùs repeteret Deus, cui eſſet ſpontanea digniſſimæ Perſonę ſubrogatione abundè ſatisfactum: unde

at-

„ argumentando concludit Apoſtolus, non modò nul-
„ lam aliam poſt Chriſtum hoſtiam (ut ante fie-
„ bat.) cruente immolandam, ſed ne ipſum quidem
„ Chriſtum amplius quàm *ſemel* morti poſſe offerri. Una quippe *oblatione* (profuſo Sanguine infiniti valoris) *conſummavit in ſempiternum ſanctificatos*. Ad Hebr. 9.

Judicet nunc Lector omnis expers præjudicii, & æternæ ſalutis (cui unicè incumbendum eſt) ſtudioſus, an huic diſcurſui refragetur ſacrificium Miſſæ. Eò ſcilicet collimat Apoſtolus, ut demonſtret præſtantiam ſacrificii Crucis. Illud ita perfectum eſt, ut non ſolvi iterum debeat Redemptionis noſtræ pretium. Id primò abundè ſolutum eſt. Itaque non opus eſt, ut Chriſtus pro ſalute noſtra rurſus moriatur. Nam *ſemel* moriendo ſufficientiſſimè Deo Patri ſatisfecit pro nobis. Eò, inquam, tantùm vergit mens Apoſtoli. An ideò excludit ille, quod non poſſit fieri memoria, & applicatio ſacrificii Crucis? nonne ipſemet (perinde ac Lucas 22.) 1. ad Corinth. 11. recenſitis verbis illis; *Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur*, diſertè dixit: Hoc facite in meam commemorationem? memores nempe eſtote ſumendo Corpus, & Sanguinem meum cruenti ſacrificii jam in Cruce peragendi: illud jugiter in incruento Miſſæ ſacrificio recolite; virtutemque ejus vobis applicare nunquam deſiſtite. Hæc certè & non alia (quam nobis affricant Sectarii; quod ſcilicet per celebrationem Miſſæ velimus derogare ſacrificio Crucis tanquam imperfecto, & inſufficienti) hæc inquam, eſt Eccleſiæ doctrina in Concilio præcitata ſeſſione declarata, quam denuò allegamus. *Dominus noſter in cœna noviſſima, qua nocte tradebatur, Corpus ſuum, & Sanguinem ſub ſpeciebus Panis, & vini Deo Patri offerens viſibile Eccleſiæ, ſicut hominum natura exigit; reliquit ſacrificium, quo cruentum illud ſemel in Cruce peragendum repræſentaretur*, (non iteraretur, quaſi ſacrificium Crucis fuiſſet imperfectum) *& quo ejus memoria in finem uſque ſæculi permaneret*; atque illius ſalutaris virtus in remiſſionem eorum, quæ a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur.

COM-

COMMUNIO SUB UTRAQUE SPECIE.

Communio ſub utraque ſpecie.

EX præcedentibus liquet, in Euchariſtia rationem Sacrificii diſtinguendam eſſe à ratione Sacramenti. Sacrificium eſt, quatenus Chriſtus in ea myſticè immolatur, ſolo corpore ejus ſeparatim vi verborum poſito ſub ſpecie *Panis*, & ſolo Sanguine ſub ſpecie *vini*. Utraque ſpecies, & utriuſque ſpeciei ſumptio pertinet ad eſſentiam Sacrificii, & utramque ab Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus Sacerdotibus conſecrari, & ſumi Chriſtus in ultima Cœna præcepit.

Quatenus verò Euchariſtia eſt Sacramentum; ea quidem ſub utraque ſpecie à Chriſto inſtituta eſt; non tamen illius ſumptio *ſub utraque ſpecie* à Servatore præcepta, ut volunt Sectarii in hoc imitati *Huſſitas*, de quibus ſupra ad ſæculum 15. Unde aliud eſt inſtitutio, aliud præceptum. Chriſtus inſtituit officium prædicandi, baptizandi, ordinandi, & plura alia, & tamen Laici apud adverſarios non ideò exiſtimant ſe divino præcepto ad iſta obligari. Ita igitur & Communio ſub utraque quidem ſpecie a Chriſto inſtituta eſt; attamen non ſequitur, illam eſſe omnibus Laicis promiſcuè preceptam. Sunt ergo quædam *ſubſtantialia*, quæ ſervanda Chriſtus præcepit & hæc quæ ſint, ex *Eccleſiæ* mente, quæ myſteriorum Chriſti *depoſitoria* manſit, & Scripturarum eſt interpres, diſcernendum eſt. *Subſtantiale* igitur in præceptis, quæ Chriſtus de hoc Sacramento ſumendo dedit, illud eſt; quod ſumatur à fidelibus Corpus, & Sanguis Domini quæ ſint iis in cibum, & potum ſpiritualem: *accidentale* verò eſt, utrùm Corpus ſub ſpecie cibi, Sanguis ſub ſpecie potus ſumatur; an è converſo, vel ſub utraque. Quod vel inde patet: quia qui Joann. 6. (ex quo capite tota adverſariorum vis colligitur) *utrique* ſpeciei ſumendæ tribuit effectus ſpirituales eximios, ita mox eoſdem *uni* tribuit ſpeciei. Sanè qui dixit, niſi *manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem,*

non

non habebitis vitam in vobis: dixit quoque: *ſi quis manducaverit ex hoc Pane, vivet in æternum.* Et qui dixit: *qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam*, dixit etiam: *Panis, quem ego dabo, Caro mea eſt pro mundi vita.* Et qui dixit: *qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in illo*, dixit item, *qui manducat hunc Panem, vivet in æternum*: Imo, ut egregiè obſervavit noſter *Petrus de Raguſio*, qui hanc adverſus Huſſitas veritatem acerrimè in Concilio Baſileenſi propugnavit, Chriſtus citato capite Joannis, undecies hujus Sacramenti meminit ſub *ſpecie Panis*, ſub nomine autem *Carnis*, *& Sanguinis* non niſi *quater*, ut ſcilicet oſtenderet, ſumptionem *utriuſque ſpeciei* non eſſe de ſubſtantia *Sacramenti*, nec à ſe preceptam, ſed *unam* ſpeciem ſufficere: præſertim cum ſub *unica* totus Chriſtus contineatur ob naturalem illam concomitantiam, qua Caro Chriſti realiter unita eſt Sanguini, animæ rationali, & Perſonæ Verbi. Unde tantumdem ſub alterutra ſpecie, quàm ſub utraque comprehenditur. Totus enim & integer Chriſtus ſub panis ſpecie, & ſub quavis ipſius ſpeciei parte, totus etiam ſub vini ſpecie, & ſub ejus partibus exiſtit.

Cæterùm primi fideles Act. 2. v. 42. referuntur, *perſeverantes in communione fractionis Panis.* Et v. 46. *Frangentes circa domos Panem*: & cap. 20. v. 7. *una Sabbathi conveniſſe ad frangendum Panem.*

Variis etiam occaſionibus in primitiva Eccleſia ſumebatur hoc Sacramentum ſub ſola ſpecie *Panis*. Fideles enim, cum metu perſecutionum non poſſent frequenter ad Eccleſias convenire, Sacram Euchariſtiam in domos ſuas deferebant, & decenti loco ſervabant de manu propria opportunis accipiendam temporibus.

Solebat etiam hoc Sacramentum ſub ſpecie tantùm *Panis* ab itinerantibus & navigantibus circumferri, ne in mortis diſcrimine hujus viatici effectu privarentur. Eodem modo ſæpiùs ægrotis, lectoque affixis, nec valentibus accedere ad Eccleſiam illud adminiſtrabatur.

Me-

Memorat quoque S. Leo Papa libr. 4. de Quadrageſima, Manichæos, ut ſe ſimularent Catholicos, communicaſſe cum Catholicis; quod intelligi nequit de Communione ſub utraque ſpecie, ſed ſolùm de Communione ſub ſpecie *panis*; quia Manichæi ſuperſtitiosè abhorrebant à vino (ut vidimus ad ſæculum 3.) tanquam à felle Draconis, & veluti à Dæmone creato, ejuſque potum ſacrilegum eſſe arbitrabantur.

Liquet igitur in primitiva Eccleſia ſolitos fuiſſe communicare fideles ſub unica ſpecie *panis*. Nullum proinde præceptum fuit divinum Communionis ſub utraque ſpecie; alioquin illud omnes præcepti capaces tunc obligaſſet.

Fuit quidem tempus aliquod occaſione (ſcilicet iſtius erroris Manichæorum) quo præcepit Eccleſia ſumptionem *utriuſque* ſpeciei, ut illi nimirum detegerentur, & à *veris* ſecernerentur Catholicis. Sed hoc ad ſolam ſpectabat diſciplinam, & ceſſavit præceptum, deſinente errore.

Succeſſit ætas, ut ſic loquar, media; qua in diverſis Eccleſiis (ſæculo 13.) diverſus mos vigebat. Cum verò poſtremis temporibus promiſcui populi negligentia multa fierent, unde res tanta minùs reverenter habebatur, Calix Laicorum omninò omiſſus eſt; decretumque, uſum Calicis eis prohibens in Concilio Conſtantienſi primò promulgatum eſt: quod poſteà à Tridentino eſt confirmatum.

Et ſanè illud edere *Eccleſia* potuit, cum in Sacramentorum diſpenſatione, *ſalva illorum ſubſtantia*, ea ſtatuere, vel mutare valeat, quæ ſuſcipientium utilitati, vel ipſorum Sacramentorum venerationi pro rerum, & circumſtantiarum quarumlibet varietate magis expedire judicaverit juxta illud Apoſtoli 1. ad Corinth. 4. *Sic nos exiſtimet homo, ut diſpenſatores Myſteriorum Dei*.

Unde ita id fecit, ut ſibi reſervaret Communionis ſub utraque ſpecie reſtituenda facultatem, prout illam circumſtantiis, paci, & concordiæ magis poſſe conducere exiſtimabit.

Fruſtrà igitur culpant adverſarii Communionem ſub ſola ſpecie Panis.

Sed

Sed ecce accuſatio praxis noſtræ abundantiſſimè refellitur vel ex hoc ſolo argumento ad hominem, quod nimirùm ipſi Calviniſtæ in Gallia, dum ibi tolerarentur, hoc Sacramentum abſtemiis ſeu vini impatientibus ſoliti fuiſſent adminiſtrare ſub ſola ſpecie panis. Hoc videre eſt in ipſorum Synodo Pictavienſi celebrata anno 1560. in qua hæc habentur. *Iis adminiſtrari debet cœnæ panis, qui Vinum bibere nequeunt; ſic tamen ut contemptum abeſſe proteſtentur &c.*

Certè non eſſe Communionem ſub utraque ſpecie à Chriſto præceptam, hoc ſtatuto indicarunt: alioquin negandum omninò fuiſſet Sacramentum, percipere illud *integrum* non valentibus, nec propterea quidquam audendum adverſus præſcriptam à Chriſto rationem; cum diſpenſari nequeat in præceptis divinis. Nec ideo ejuſmodi, abſtemii, ſub *neutra* ſpecie (ubi *utraque* jure divino obligaret) Chriſtum ſumentes meritò culpari poſſent; quibus ipſa infirmitas excuſationi eſſet.

At æquo durius fore adverſariis viſum eſt, iis ſpeciem ſaltem *unam* non concedere, qui alteram percipere non poſſent: ex qua Indulgentia nos Catholici legitimè deducimus, in verbis, quibus utramque nobis ſpeciem Chriſtus (dum hoc condebat Sacramentum) propoſuit, eſſe aliquem interpretationi locum, eamque interpretationem Eccleſiæ authoritate, quæ & fidiſſima eſt Myſteriorum Chriſti cuſtos, & *columna veritatis*, 1. ad Timoth. 3. fieri oportere.

TRADITIO.

Nunc exponenda ſuperſunt, quæ de Traditionibus quoque de Eccleſiæ tum authoritate, tum ejus viſibili in terris capite nos Catholici credimus. *Traditio.*

Traditiones rejiciunt *Sectarii.* Illas & olim reſpuebant Gnoſtici, Neſtorius, Eutyches, aliique Eccleſiæ hoſtes infenſiſſimi. Nonne mirum eſt, *Proteſtantes*, qui illorum ſpurciſſima, & ſceleratiſſima nobiſcum averſantur dogmata, hoc in puncto iis ſuffragari? exiſtimant ſcilicet à Catholicis per Traditiones graviſſimas Sa-

cris

cris paginis utpote continentibus, ut dictitant, omnia ad fidem, vel mores neceſſaria, irrogari injuriam. Sed hoc ineptum ipſorum commentum eſt. Sanè Scriptura Sacra non omnia complectitur, quæ ad fidem, vel mores requiruntur: proinde nullatenus illi ſumus injurii; atque ideò hac in cauſa eam tantùm deficientem volumus; quia deficientem eſſe voluit, cui per alia media mundum erudire placuit, Deus. Talia media ſunt Traditiones, ut patet in ſtatu legis naturæ, Moyſaicæ, & gratiæ.

In lege quidem naturæ bis mille, & ampliùs annis myſteria fidei fuerunt credenda, *ſine fide enim impoſſibile eſt placere Deo* ad Hebræos 11. illa tamen non erant in Scripturam redacta (cum primus omnium ſcriptor Canonicus Moyſes extiterit) adeoque ad traditiones recurrẽdum erat, ut quid agendum foret, innoteſceret.

Object. At, inquies, lex vetus utpote ſcripta omnia comprehendebat ad fidem requiſita.

Reſp. Sed neque hoc ſubſiſtit. Ubinam Scriptura expreſſit, quod lex per Moyſem data eſſet lex Dei, non figmentum Moyſis? quòd Geneſis, Exodus, aliique libri cultum, & mandata Dei concernentes verè eſſent illi libri, quos Moyſes Spiritu Sancto inſpirante conſcripſerat? ſola igitur hoc Traditio docuit. Deinde Judæi fide tenebant, fœmellas æquè, ac maſculos concipi in peccato originali; nihil eo certius: Proinde fide credebant, illas ſalutem conſequi non poſſe niſi per quoddam remedium à Deo inſtitutum: quod autem, & quale fuerit hoc remedium, nuſquam extat in veteri Teſtamento; illius itaque cognitio ſoli Traditioni innitebatur: hæc verò Traditio erat ad ſalutem neceſſaria, cum ſine remedio non poſſent ſalvari fœmellę, qualęcumque tandem illud fuerit, ſeu fides parentum, ſeu quidpiam aliud. Porrò in lege veteri Traditiones viguiſſe, ipſę Sacrę literę crebrò commemorant. *Interroga Patrem tuum, & annuntiabit tibi, majores tuos, & dicent tibi.* Deuteron. 32. & Pſalm. 77. *Quanta mandavit Patribus noſtris nota facere ea Filiis ſuis, ut cognoſcat generatio altera: Filii, qui naſcentur, & exurgent, & narrabunt Filiis ſuis.*

Sed

Sed quid de lege nova? ſuntne in illa omnium figurarum termino, & totius perfectionis ſeminario etiam Traditiones ad fidem neceſſariæ? ſunt enim verò: imo cum Chriſtus Eccleſiam ſuam Evangelii prædicatione conſtituerit, prima Chriſtianæ Religionis norma fuit verbum non ſcriptum: neque ideò ſuam amiſit authoritatem, quòd ei poſteà novi Teſtamenti Scripturæ poſt aliquos evolutos annos, adjunctæ ſint. Hinc liquet, Traditionem fuiſſe Sacris priorem paginis, & Eccleſiam in ſuis ſtetiſſe incunabulis ſine Scripturis, nunquam verò ſine Traditionibus. Unde pari reverentia admittimus Traditionem ſeu Verbum Dei ſola voce traditum, ac Verbum Dei ſcriptis mandatum. *Cum accepiſſetis à nobis*, inquit Apoſtolus 1. ad Theſſal. 2. *Verbum auditus Dei* (en Traditio, illa enim eſt, quæ auditu percipitur) *accepiſtis illud non ut Verbum hominum, ſed* (*ſicut eſt* vere) *Verbum Dei*. Paris proinde Traditio roboris eſt, & ponderis cum verbo ſcripto; ſicut mandatum Principis eadem fulget apud ſubditos authoritate, ſive ſcripto, ſive viva voce proferatur.

Sed & Traditiones recipiendas eſſe, urget Apoſtolus 2. ad Theſſ. 2. *State*, inquit, & tenete Traditiones *quas didiciſtis, ſive per Sermonem, ſive per epiſtolam noſtram*.

Nec valet reſponſio adverſariorum contendentium, per Tò *Traditiones*, intelligi ipſas Scripturas; clarè enim diſtinguit Apoſtolus verbum non ſcriptum ſeu ore prolatum (*per Sermonem*) a verbo ſcriptis tranſmiſſo (*per epiſtolam noſtram*); proinde per Traditiones non intelliguntur ipſæ Scripturæ: ſed ad rem noſtram disertè docet Paulus; illas haud ſecùs, quàm Scripturas coli debere. Unde habemus hic duo & Traditiones eſſe aliquas, quæ in Scripturis non ſint, & illas æque, ac Scripturas eſſe tenendas, & obſervandas.

At audio: per nos licet, inquiunt adverſarii; dantur, & dentur Traditiones aliquæ *ad fidem non neceſſaria*; ſecus verò, quæ ſunt *de fide*: omnia enim ad fidem ſpectantia in Sacris panduntur Bibliis. *Object.*

Hic

Reſp. Hic eſt Sectariorum Achilles, ſed ipſo Therſite debilior; imo adverſus Sectarios directè dimicat. Quid enim? nonne cum Catholicis de fide credunt, dari tres Perſonas in divinis? & tamen *fidei profeſſionem, qua credimus in Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum è quibus Scripturis habemus?* inquit Baſilius Magnus, libr. de Spiritu Sancto cap. 27. allegans pro illius Myſterii aſſertione perpetuam Eccleſiæ Traditionem. Ubinam legiſtis, Deum Patrem, *ingenitum*, vel *innatum*, & tamen verum eſt? fidei quoque eſt, Spiritum Sanctum procedere à Patre, & Filio: ex Scriptura tamen id apertè non conſtat: proceſſus quidem Spiritus Sancti à Patre exprimitur Joannis 15. *cum venerit paracletus, quem ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me*, ſed quid apertè legitur de Proceſſione ejus à Filio? & tamen articulus fidei eſt, eum ab utroque procedere; hæc igitur omnium animis per Traditionem impreſſa ſunt. Certè ipſum fidei Symbolum, quod vocatur *Apoſtolicum*, ubinam integrum in Sacris Codicibus ſcriptum reperitur? ubinam articulus fidei de deſcenſu Chriſti ad inferos in illis eſt obvius? inter alia porro fidei dogmata video Sectarios magno animi fervore Baptiſmum parvulorum adverſus Anabaptiſtas propugnantes: ſed cur ita laboratis, Sectarii, ſi omnem eliminetis Traditionem? profectò ſi pura conſulatur Scriptura, cum majori fundamento, quam vos, diſcurrunt Anabaptiſtæ producentes illud Matth. 28. *Euntes docete omnes Gentes, Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: & illud Marci 16. *Qui crediderit, & Baptizatus fuerit, ſalvus erit*: parvulus autem nec doctrinæ, nec fidei capax eſt, ſed adultus; adeòque Baptiſmus ad adultos reſtringendus eſt: quo igitur argumentò convincuntur Anabaptiſtæ? Traditionibus. Ipſam Scripturam Sacram, ad quam veluti ad arcem confugitis, undenam conſtat eſſe divinam, veram, genuinam? cur creditis, quatuor tantùm dari Evangelia, & non plura, vel pauciora? cur creditis, eſſe Evangelium ſecundum Matthæum, & non ſecundùm Bartholomæum, aut aliud quempiam Apoſto-

ſtolum? cur creditis, nonnullos libros Apoſtolorum nomen præ ſe ferentes ſpuria ſcripta eſſe, furtoque in dignitatem tantorum nominum adoptata? cur admittitis epiſtolam Pauli ad Romanos? cur unam tantum? cur duas potius ad Theſſalonicenſes? & ſic de aliis. Hic hęret aqua: quid reſpondebitis? nonne veritas è vobis incaſſum renitentibus eruit, & fateri vos jubet, veros, indubitatos, & ab adulterinis diſtinctos codices haberi per Traditionem? unde vos ipſi verbotenus Traditiones projicitis; revera autem recipitis.

Sed ulterius videamus, qui veſtris, prætenſi reformati, vos ſuffocetis Principiis. Cur nobiſcum, everſo Sabbatho (qua de re etiam pag. 382.) diem celebratis Dominicam? cur nobiſcum celebratis Natalem Domini, ejuſque in Cœlum Aſcenſionem, etiamſi hæ ſolemnitates in Dominicam non incidant? ſcilicet hæc omnia, Traditionum Oſores, à *Traditionibus* derivata ſunt: *Dominicam*, & *haſce* colendo *Feſtivitates* in laqueum vos coniicitis, è quo vos expedire non poteſtis.

Ex dictis facilè convellitur illud, quod nobis toties obieciſtis. *Licet nos* (ad Gal. 1.) *aut Angelus de Cœlo Evangelizet vobis præterquam quod Evangelizavimus vobis, Anathema ſit.* *Object.*

Sanè Apoſtolus non dicit *præterquam*, ſeu *præter id quod Scriptum* eſt, ſed *præter id, quod* Evangelizavimus: verbum autem *Evangelizatum* tam Traditionem, quàm Scripturam complectitur. *Reſp.*

Inconcuſsè igitur, & ineluctabiliter recipiendas eſſe Traditiones, nos Catholici demonſtramus.

AUTHORITAS ECCLESIÆ.

EX his omnibus colligitur, quanta ſit Eccleſiæ Authoritas. Illius namque eſt judicare, & declarare, quinam ſint Libri Canonici, quive Apocryphi; illius eſt certam diſtinguere Scripturam à dubia: illa etiam eſt, quæ fideliſſimam Traditionum ad fidem ſpectantium ſibi vendicat cuſtodiam. Quidni etiam ſit controverſiarum fidei judex? illud ei munus competere, umani- *Authoritas Eccleſia.*

mis eſt, & conſtans Orthodoxorum ſententia. Inter Sectarios alii pro Judice allegant Scripturam Sacram, alii privatum cujuſque Spiritum, utpote (ut ajunt) capacem qui diſcernat veram Scripturam à non vera, & verum illius ſenſum à falſo. Unde iſti ſeſe veritatis criterium poſſidere arbitrantur. Sed illorum omnium, quàm ſit perverſum judicium, perluſtremus.

Inter controverſias fidei, una ex potiſſimis verſatur circa ipſam Scripturam. In hac autem ipſa Scriptura nequit eſſe judex; tum quia ſubjectum controverſiæ nequit eſſe judex controverſiæ; tum quia, priuſquam utamur teſtimonio Scripturæ ad probandam alicujus dogmatis veritatem, priùs nobis conſtare debet, librum illum, unde depromitur teſtimonium, eſſe verè Scripturam, non verò eſſe librum ab aliquo impoſtore confictum. Hæc autem omnia ex Scripturis (ut numero pręcedenti vidimus) conſtare non poſſunt; nec præcisè per ipſas Scripturas, poſſumus probare, ipſas eſſe veras Scripturas Spiritus Sancti impulſu exaratas: unde recurrendum eſt ad Authoritatem Eccleſiæ, *quæ eſt columna, & firmamentum veritatis*, & quæ proinde nos ſecuros reddat de veritate Scripturarum. Quomodo igitur Sectarii, qui negant infallibilem authoritatem diſcernendi veram Scripturam à falſa, reſidere penes Eccleſiam, & tamen ſinè cujus judicio nullus eſt Genuinus Scripturę liber, quomodò illi, inquam, efficaciter arguere queunt ex Scriptura, quin imò illam determinare judicem ad lites omnes circa fidem decidendas? Accedit, cum vis Scripturæ non conſiſtat in ſono verborum, ſed in ſenſu, qui eſt illius vita, & anima, ſæpiſſimè de illius ſenſu moveri controverſias; interpres itaque, & judex, qui decernat, quis ſit ſenſus ejus Genuinus, nequit eſſe Scriptura. Sicut in republica lex non poteſt eſſe judex de ſenſu legis, dum de illo ambigitur, ſed præter legem requiritur animatus judex, qui mentem, & ſenſum legis exponat: ita igitur tot in litibus vel circa ſenſum Sacrarum literarum vel circa fidem, moreſve exortis, in tot difficultatibus, in tot diſcrepantibus opinio-

nibus

nibus, opus eſt vivo judice, qui finalem, & irreformabilem proferat ſententiam, ille autem judex eſt Eccleſia.

Non ita, ajunt Sectarii. Finalis illa in obviis quibuſque difficultatibus prolatio ſententiæ ſpectat ad literas Sacras: ex uno enim Scripturarum loco alius erit explicandus. *Object.*

At peto; num ille alius Scripturarum locus, quem ad alterum exponendum adhibes, expoſitione ipſe non egeat. Eget omninò. Alioquin nullæ olim extitiſſent hæreſes; nulla ferveret lis hodiè inter nos, ſi plerique Scripturarum loci ita cœterorum interpretationi ſervirent, ut ipſimet nec in varios inflecti ſenſus poſſent, nec interpretationi etiam ſubjacere. Enim verò cur ita diſputamus de ſenſu Scripturarum; ſi unus locus per alium facillimo negotio, & de ſe explanetur? cur igitur à nobis olim deſciverunt inter alios Ariani? *errant Catholici*, ajebant illi, *in Scripturis exponendis*, *nos eas rectè exponimus*. Sed cur Ariani, juxta vos, errabant Catholici in explicatione Scripturarum, ſi unus locus per alium facillimo negotio, & de ſe explanetur? ſanè non alia modò Sectariorum vox eſt, quam illa, quæ quondam fuit Arianorum. Scripturæ non ritè exponuntur à Catholicis, inquiebant Ariani; Scripturæ non ritè exponuntur ab iiſdem, inquiunt nunc Sectarii. Unde autem hoc probant Ariani, unde modò Sectarii? una, eademque utuntur ratione. Afferunt verba Scripturæ, ea examinant, de iis diſceptant, de iis judicant, quod ipſorum judicio eſt conſonum, audaci Majeſtate pronuntiant. Tum hæc verba intonant Ariani. *Pater major me eſt*. Joan. 14. &c. Quod ſi ab Arianis petieris, cur in notos ſenſus ſuos Scripturas exponant; replicabunt, faciles legentibus eſſe Scripturas, ſibique liquidò ex ipſarum lectione, & collatione conſtare, ita eas eſſe exponendas. Jam interroga Lutheranos, Calviniſtas, Anabaptiſtas, alioſque, cur eum Scripturarum ſenſum teneant, quem circa ſua ſequuntur dogmata, non reſponſum aliud feres, quàm illud Arianorum, imò non aliud dedere ulli Errones, nec aliud unquam dabunt. *Reſp.*

Nihil profectò eſt, quod non poſſit aliquo prætextu,

argumento, colore defendi, ab iis præcipuè, qui judices vivos, loquenteſque defugiunt. Scripturæ quidem certæ ſunt, divinæ, colendæ; quis id inficiatur? ſed ſunt mutæ, ſed illud ſibi lumen vendicant, quod ſuperbos perſtringat oculos. Iis tacentibus poteſt imponi, eas, ſi animatum, eumque irrefragabilem declines judicem, quamcumque in partem torqueas, ejus denique tales tibi ſententiæ videantur, quales in animo ipſe habes; uti oculus coloratum intuens vitrum, domos, homines, campos eo colore cenſet, quo tinctum eſt vitrum. Unde, Sectarie, tuo tantum credens judicio, ipſe tibi es Eccleſia, Eccleſiaſtes, Paſtor, Ovis, & omnia. Quamvis enim inter vos alius Calvinum, alius Lutherum ſectetur, tu eis tamen non adſtipularis, niſi quatenus judicas eos Scripturis conſentire. Si judicas conſentire; non ideò credes, quia ita Congregationi, quia ita Eccleſiæ tuæ, ſed quia tibi ſic viſum eſt: ſi judicas non conſentire, qua ratione poteris à tua cogi Eccleſia? diceretne illa, *audi Eccleſiam: ei obtempera, illius audi miniſtros, noli altum ſapere: mihi non tibi credendum eſt?* at certè reponeres: *Eccleſiam, & miniſtros ego audio, quatenus illi audiunt Scripturas: illis ſuffragor, quatenùs id quod ab eis promitur, Scripturis conforme eſt. An tu te, Eccleſia mea, infallibilem dicis? quo jure, aut privilegio errare non poſſis, quæ contendis Romanam potuiſſe errare, imo erraſſe Eccleſiam? dicis Romanam errare, & ego te, niſi, quod mihi proponis, id cum Sacris conveniat literis*. Video ergo, Sectarie, te non à tua regi Eccleſia, ſed a ſenſu, quem è Scripturis ipſe colligis, ſeu à *privato* tuo Spiritu.

At nonne cernis *privato illo* Spiritu omnia confundi, ac everti? nonne ille in parentibus veſtris circa eadem verba, diverſa procudit dogmata? Calvinus ſcilicet judicavit ſenſum illorum verborum Chriſti; *Hoc eſt Corpus meum*, eſſe hunc, *hic Panis figura eſt Corporis mei*. Lutherus verò illum reſpuit dicens, *Panem non eſſe figuram Corporis, ſed cum pane eſſe verè Corpus Chriſti*. Nonne Spiritus ille innumerabilium fuit errorum ſeminarium? imo nulla unquam fuit ſecta, eſt, & erit, quæ Spiritu *privato* ducta doctrinam ſuam

in Bibliis fundatam eſſe non exiſtimet, aut exiſtimatura non ſit. Cur igitur vos hodiè nobiſcum novos Arianos ſeu *Socinianos* exagitatis? ſanè illi Biblia ex mente ſua exponunt: cur illis non liceat in puncto Filii Dei, quod vobis in aliis controverſiis licere arbitramini? ſed cur & mihi fas non ſit privilegio Spiritus privati novum dogma efformare? cur tot ſententię, opiniones, Errones, & Errores non ſint, quot ſunt in orbe capita? cúr & *noviſſimè* proteſtantes Helveti animadverterunt in *Pietiſtas Spiritu privato* afflatos? ſanè vel *illos*, & quoslibet Errones rectè procedere exiſtimetis neceſſe eſt, vel exuatis oportet principium veſtrum, quòd *Spiritus privatus ſit judex controverſiarum*.

Sed placuit tandem ſuperis, ut adverſarii, poſtquam Eccleſię authoritatem in decidendis de Scripturarum ſenſu, & fide controverſiis velut intolerandam Tyrannidem omnia Spiritui privato attribuentes traducere conati eſſent, placuit, inquam, ut adverſarii eandem quoque ipſi admittere coacti ſint, ac innumeris diſſenſionibus componendis illam velut certum adhibere remedium, atque ita ſuis tanta contentione ſtabilitis directè repugnare Principiis. Illud clariſſimè demonſtrat formula literarum à Synodo Victoriacenſi conſcripta anno 1617. & à provinciis uſurpanda, quoties ad Synodum nationalem legatos mittent. His eſt concepta verbis. *Promittimus coram Deo, iis omnibus nos ſubiiciendos, quæ à Sancto veſtro cętu conventa, & decreta erunt, iiſque nos parituros, & ea omni noſtra facultate executuros, eò quòd nobis perſuaſum ſit fore, ut Deus ei præſideat, voſque Spiritu Sancto in omni veritate, & æquitate per verbi ſui regulam dirigat.* Non id hìc agitur, ut provincię Synodi alicujus Decretum ſuſcipiant tum, cum eam ad Scripturę mentem dixiſſe compererint: quin potiùs Synodo ſe ante ſubjiciunt, quàm congregata ſit, ideòque ſe ſubmittunt, quod perſuaſum habeant *fore, ut Spiritus Sanctus ei cœtui præſideat*. Si tam pręclarè de Synodo congreganda Sectarii ſentiant ob aſſiſtentiam Spiritus Sancti in ſupremis judiciis Eccleſię affuturam, ſanè nihil ampliùs ipſi Catho-

lici poſtulant. Negarunt quidem illi, cum primò jugum excutere aggreſſi ſunt, teneri Chriſtianos privatum judicium Eccleſiæ judicio ſubdere; poſteà verò, ut diſcordiæ ex privatis judiciis ortæ, & oriri natæ præſuffocarentur, compulſi ſunt, ut admitterent id, quod primò ſeceſſionis a Romana Eccleſia tuendæ gratia ſpreverunt. Multò etiam longiùs proceſſum fuit in Synodo nationali ad ſanctæ fidei (Gallicè *Sainte Foy*) habita anno 1578. Tum temporis agebatur de pace cum Lutheranis componenda per *formulam profeſſionis Fidei Generalis*. Expreſſum fuit Synodi Decretum his verbis. *Nationalis hujus Regni Synodus ... miniſtros delegavit quatuor rerum ejuſmodi peritiſſimos, quibus expreſſè injunxit, ut ad diem, & locum ſignatum ſe ſiſtant cum literis, & mandatis ampliſſimis miniſtrorum omnium ſeniorum, quotquot è provinciis hujus Regni ſunt delegati: quod ſi fieri non poſſet ut prædicta profeſſio* per omnes provincias examinaretur, *eorum prudentiæ, & ſano judicio permiſſum eſt, ut concedant*, definiant, *quæcumque in deliberationem adducentur Capitula ſive de* doctrina, *ſive de quacumque alia re pertinente ad utilitatem, reconciliationem, & quietem omnium Eccleſiarum*. Hæc Illuſtriſſimus Meldenſis in præcitato non ſemel aureo Opuſculo. En quid providentia Dei permiſerit. Infirmitatis judicii nos accuſarunt toties Sectarii, quod Eccleſiæ judiciis pareremus; quæ eſſet cœtus conflatus ex hominibus errori obnoxiis; id verò inconvenientiſſimum judicabant; & ecce in nationali Synodo, quæ Calvinianas omnes Galliarum Eccleſias repræſentaret, illi ipſi Eccleſiæ contemptores ſolemni ritu convocati fidem ſuam quatuor miniſtris conſignare non dubitarunt, adeò propria depoſita ſententia, ut omnimodam eis facultatem quidlibet definiendi de doctrina, impertirentur. Et etiamnum Heterodoxi dubitent Eccleſiæ toto orbe diffuſæ, quæ per tot ora Pontificum, totque Concilia ſelectiſſimis omni ex parte referta viris ſua fudit oracula, ſe ſubmittere? illa, illa eſt, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione Sanctarum Scripturarum; illa de rebus fidem, & mores con-

concernentibus definitivam, irrefragabilem, inconcuſſam, infallibilem profert ſententiam cum *ſit Columna, & firmamentum veritatis.* 1. ad Timoth. 3.

VISIBILE CAPUT ECCLESIÆ

EXpenſa authoritate Eccleſiæ, videamus illius Caput, ſeu Paſtorem, Rectorem, & Monarcham. Certum eſt etiam apud Acatholicos, à Chriſto fuiſſe fundatam Eccleſiam, eumque illius Monarcham extitiſſe viſibilem: hoc disertè docet Apoſtolus ad Epheſ. c. 1. *Omnia ſubjecit ſub pedibus ejus, & ipſum dedit Caput ſuprà omnem Eccleſiam, quæ eſt Corpus ejus.* Et cap. 5. *Vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ.* Sed quæſtio eſt, an Chriſtus poſt viſibilem ſuam præſentiam ab oculis fidelium in Cœlum ablatam, ita ſit Eccleſiæ caput inviſibile per continuum in eam gratiæ influxum, ut nullum ſui Vicarium, ſed caput aliquod viſibile ad externam Eccleſiæ gubernationem in terris reliquerit. Negant Sectarii, ſed ſuis refragantes Principiis, cum fateantur primis ſæculis veram extitiſſe Eccleſiam; tunc autem floruerunt & ſanctiſſimi, & ſapientiſſimi Jeſu Chriſti Vicarii, & Eccleſiæ moderatores: affirmant verò Catholici, & evidenter. Chriſtus enim ſupremus Eccleſiæ Monarcha regendi formam, quam ipſe cœperat, abiens reliquit poſteris: nec enim prudens, ſapiens, & potens legiſlator à ſe vix fundatum regimen moriens ſolet velle evertere: nec ſolet velle, ut à quopiam evertatur. Monarchicum igitur Eccleſiæ Regnum reliquit. Optimum enim regimen multitudinis eſt, ut regatur per unum: quod patet ex fine regiminis, qui eſt pax: pax quippe, & unitas ſubditorum eſt finis regentis; unitatis autem congruentior cauſa eſt unus, quàm multi, unde regimen Eccleſiæ, cum ſit rectiſſimè ordinatum, ſic fuit diſpoſitum, ut unus toti Eccleſiæ præeſſet. Idque conſtat ex Scriptura, ubi Eccleſia dicitur & *unum Ovile* Joan. 10. & *unum Corpus*, & *unus Spiritus* ad Epheſ. 4. Si unum Corpus, & unus Spiritus eſt Eccleſia; ergo uni de-

Viſibile caput Eccleſiæ

buit ſubeſſe capiti, & Paſtori. Et ſanè cum Synagoga ſemper fuerit gubernata ab uno viſibili capite, nempe à Pontifice, cui omnes Judæi erant ſubjecti, ut patet Deuteron. 17. à fortiori Eccleſia debuit gubernari ab uno viſibili capite: niſi dicatur, meliùs fuiſſe proviſum Ancillæ ſynagogæ, quàm ſponſæ Eccleſiæ, meliùs umbræ, quàm corpori, meliùs figuræ, quàm rei figuratæ, omniumque figurarum conſummatrici.

Petrus primum viſibile illius caput.

Sed quis fuit ille, quem Chriſtus Monarchiæ ſuæ viſibilis, ſeu Eccleſiæ caput viſibile conſtituit? reſpondeo cum Scriptura, & univerſali, nec unquam interrupta Traditione: *ille fuit* Petrus. Ille eſt, non alius; cui Chriſtus Matth. 15. promiſit, quòd eſſet futurus fundamentum Eccleſiæ (*ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc Petram edificabo Eccleſiam meam*) quodque eſſet accepturus claves Regni Cœlorum (*& tibi dabo Claves Regni Cœlorum,*) ergo promiſit illi, quod futurus eſſet caput ſuæ Eccleſiæ: quod enim in ædificio eſt fundamentum, hoc in corpore eſt Caput, in Civitate Rector, in Regno Rex: & cui traduntur claves Urbis, is illius Princeps, vel Gubernator inſtituitur; dicere autem, quin vel cogitare, Chriſtum ſummè veracem, & fidelem non ſtetiſſe verbo promiſſo, ſed illud violaſſe, horrendum planè eſt & impium. Quin imò nonne Chriſtus promiſſionem ſolemniſſimè adimplevit, dum poſt Reſurrectionem ſuam dixit Petro: *paſce Oves meas*? hìc quæro: vel omnes oves fuerunt Petro commiſſæ, vel ſolùm aliquæ: ſi tantùm aliquę: quænam ſunt illæ? quandoquidem Chriſtus illas non limitaverit, ſi enim limitaſſet ad oves unius Civitatis, aut Regni, tunc alias oves ſine Paſtore reliquiſſet; cum nulli alteri ſic Oves ſuas ſicut Petro commiſerit: ſequitur ergo, à Chriſto dicente Petro, *paſce Oves meas*; illi traditam eſſe curam ſui ovilis, adeòque omnium ejus ovium: ergo Petrus fuit à Chriſto conſtitutus Paſtor, Caput, Rector, Moderator, & Monarcha univerſalis Eccleſiæ. Hinc in Evangeliis, & actibus Apoſtolorum Petrus inter Apoſtolos & primus cenſetur, & primus nominatur, & eſſe dicitur.. *Duodecim Apoſtolorum nomina ſunt hæc: primus Simon,*

qui

qui dicitur Petrus. Matthæi 10. Cur primus? an à vocatione? ne hoc putes. Andreas eo modo primus fuit. Nam & prior Chriſtum ſecutus eſt: & Petro deinde nuntiavit; *invenimus Meſſiam, & adduxit eum ad Jeſum* Joan. 1. Cur igitur *primus*? niſi quia altiorem eſt ceteris potentiam nactus? unde *primus* eſt inter Apoſtolos tum poteſtate, tum dignitate. Hinc Petrus crebrò loquitur Omnium Apoſtolorum nomine, tanquam eorum anteſignanus, dux, & præſes. Hinc & primatum exercuit, proponendo congregatis in cœnaculo diſcipulis, ut duodenarii Collegii Apoſtolorum locus morte vacans Judæ proditoris replere-tur, quod executioni mandatum eſt, Mathia aſſumpto.

Cæterùm, cum Petrus non potuerit ſemper vivere,& Chriſtus voluerit, ut Regnum à ſe fundatum perenne foret, adeòque, ut Eccleſia ſemper eſſet duratura juxta illud Matth. 28. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*, debuit Petrus in officio ſuo Paſtorali, in ſpirituali Eccleſiæ Monarchia habere ſucceſſores, qui tot Nationes ad fidem converſas, & convertendas, ſuæque Eccleſiæ aggregandas in ejuſdem fidei,& Religionis unitate continerent, ſuo ſinguli Pontificatu durante; aliuſque alteri ſuccedens uſque ad extremum judicii diem. Quorſum enim fingatur, Chriſtum, majorem geſſiſſe curam paucorum fidelium tempore vitæ *Petri*, quàm immenſæ multitudinis à morte *Petri* uſque ad finem mundi crediture?

Petro ſuccedunt Romani Pontifices.

Tales ſucceſſores non alii ſunt, quam Romani Pontifices. Atque hæc concors fuit omnium Catholicorum & Latinorum, & Græcorum ſententia. In ſexta Synodo Act. 18. legitur: *Charta, & atramentum* (epiſtola) *videbatur*, & per Agathonem (Romanum Pontificem) Petrus loquebatur: & in fine Concilii Chalcedonenſis vocatur Leo *Sanctiſſimus, & Beatiſſimus Papa, Caput univerſalis Eccleſiæ*, Petri Apoſtoli prędıtus dignitate. Hiſce magnus ſuffragatur Auguſtinus loco non uno affirmans, ob mirabilem ab ipſa ſede Petri Romanorum Pontificum ſucceſſionem, ſe teneri, & foveri in gremio Eccleſiæ. Fuitne

ne illa Romanorum ſucceſſio Pontificum ab ejus temporibus ad præſens uſque ſæculum unquam interrupta ? ingentibus quidem Eccleſia crebro fuit procellis agitata , ſed in tot motibus ſemper immobilis ſtetit Pontificum ſeries.

Nullus Princeps ſæcularis poteſt eſſe caput Eccleſiæ in ditione ſua.

Porrò procul hìc exulet ſententia de Eccleſiæ capite, ſeu primatu , qui competeret alicui Principi ſæculari in ditione ſua . Poteſtas enim Principum ſæcularium naturalis tantùm eſt, & civilis ordinata ad conſervationem boni politici , proindè nullius Principis Laici poteſtas valet ſe extendere ad authoritatem capitis Eccleſiæ in terris ſuis. Hæc enim omnia ſupernaturalia ſunt, & alterius ordinis.

Quoad nomen Antichriſti, quod olim quidam diris furiis abrepti in Pontificem Romanum evibrarunt, ab eo modo abſtinent prudentiores , & moderatiores inter Sectarios . Sanè infames notæ , & characteres Antichriſti nullo prorſus pacto in Romanum queunt detorqueri Antiſtitem.

SOLA ROMANA DICENDA EST VERA CHRISTI ECCLESIA.

Sola Romana dicenda eſt vera Chriſti Eccleſia.

POſt luſtratos omnes, profligatoſque à *Simone Mago* ad hæc uſque tempora Errores , poſt expoſitam fidem noſtram , poſt expenſa etiam ſingulariter præcipua (licet in priſtinis crebrò ſectis refutata) Sectariorum dogmata, ſupereſt ponderoſiſſima,& princeps quæſtio,à qua ſcilicet ſalus dependet animæ, quænam ſit vera Chriſti Eccleſia , utrum Romana , an Sectariorum.

Hęc quęſtio ex ipſis Adverſariorum principiis dirimitur. Admittunt illi quatuor celeberrima Concilia Generalia Nicęnum , Conſtantinopolitanum, Epheſinum, Chalcedonenſe ; in Conſtantinopolitano autem Patres unanimiter profitentur, veram Chriſti Eccleſiam eſſe *unam* , *Sanctam* , *Catholicam* , & *Apoſtolicam*. Cæterùm hæ notæ eximiæ ſoli conveniunt fidelium multitudini , quæ cum Romano Pontifice indivulsè unita eſt ; ſola proinde Romana dicenda eſt vera Chriſti Eccleſia.

Age:

Age : ſcrutemur ſingulas.

Eſt *una* unitate capitis (quod eſt Pontifex) & doctrinæ. Omnium eſt eadem fides. Unde Romanæ applicandum eſt Eccleſię illud Apoſtoli ad Epheſios 4. *Unus Dominus*, una fides, *unum Baptiſma*. Una fides omnium SS. Patrum; mirificus illorum inter ſe conſenſus, licet ii diverſis temporibus & remotiſſimis in partibus vixerint, ac variis linguis ſcripſerint; ut Ignatius, & Joannes Chryſoſtomus Antiochię, Athanaſius Alexandriæ, Macarius, & Cyrillus Hieroſolymæ, Proclus Conſtantinopoli, Juſtinus Martyr Athenis, Gregorius Nazianzenus & Baſilius in Cappadocia, Ephrem in Syria, Cyprianus, & Auguſtinus in Africa, Epiphanius in Cypro, Ambroſius in Italia, Hieronymus in Palęſtina, Irenæus in Gallia, Oroſius, & Iſidorus in Hiſpania, Beda in Anglia. Hiſce adde omnia legitimorum Conciliorum, & Pontificum Decreta in omnibus fidei dogmatibus inter ſe convenientia: licet edita ſint à diverſis hominibus diverſis locis, temporibus, occaſionibus, & adversùs varias, imo crebrò inter ſe è diametro repugnantes hęreſes. Nonne illa doctrinę concordia eſt clariſſimum, apertiſſimum, & invictiſſimum unitatis argumentum?

At plura ſunt apud Catholicos, inquiunt Sectarii: *Object.* opinionum in ſcholis diſſidia. Quanta illic cernitur argumentorum pugna? ut Thomiſtę a Scotiſtis, ut hi ab illis diſſentiunt? quot deinde eruditi ſunt, quibus ſuas firmare ſententias placeat; alienas autem denſis quoque impetere voluminibus? an hęc concilientur cum celebri nota; *Eccleſia eſt* una?

Omninò, Sectarie. Quę in Scholis eo modo verſant *Reſp.* Theologi, res ſunt dubię, res Adiaphorę, quibus credendis nulla eſt neceſſitas, rejiciendis nulla hęreſis. Cave igitur Eccleſiam (cui eſt tunica *inconſutilis*) ob licitas hujuſmodi lites tibi ipſe effinxeris ſciſſam, diviſam, diſcordem, laceram, oppoſitas adoptantem ſententias. In punctis tantummodò Scholaſticis Theologi à ſe differunt, ac pro ſua quiſque aſſertione tanquam pro aris, & focis dimicat: dum verò agitur de quodam fidei articulo, tunc omnes Thomiſtę, Scotiſtę,

ſtæ, & poſt illos exorti Moliniſtæ, Nominales, cęterique idem omnino tenent, idem docent, idem profitentur.

Eccleſia quoque Romana eſt *Sancta* tum propter illibatam; quæ ſervat, & ſubditis proponit, dogmatum puritatem, tum propter vitæ Sanctimoniam, qua præditi ſunt illi, qui ſe ejus doctrinæ, & in fide, & in moribus omnis Erroris experti conformant. Certè omni tempore Eccleſia Romana Sanctos protulit: noſtri fuerunt ſacratiſſimi Martyres Romani Pontifices tres, & triginta, continenter pro fide interempti. Noſter fuit Ignatius per Leonum dentes puriſſimum Chriſti frumentum; noſter Polycarpus Smirnenſis Antiſtes, noſter Laurentius divino igne corporalem ſuperans. Noſtri fuere Confeſſores inclyti Hilarion, Antonius, Gregorius Thaumaturgus, Simeon Stylites ingentia nomina: noſtri Nicolaus, & Martinus Epiſcopi exerciti vigiliis, paludati ciliciis, jejunio paſti. Noſter Benedictus tot Religioſorum parens, aliique ſubſequentes. Superſedeo præfatis Doctoribus, quos certum eſt cum Eccleſiæ Filios, tum ſtrenuos illius fuiſſe propugnatores. Noſtrę etiam recenſendæ ſunt Virgines illæ perbeatæ Cæcilia, Agatha, Anaſtaſia, Barbara, Agnes, Lucia, Dorothea, Catharina, quæ decretam pudicitiam adversùs & hominum & Dæmonum tyrannidem invicte defenderunt. Noſtra Monica magni natura, piiſque lacrymis bis Auguſtini Mater. Noſtra Paula, quæ ex urbano Palatio, & opimis prædiis in Speluncam Bethleemiticam tantis itineribus peregrina cucurrit, ut ad Chriſti vagientis cunabula deliteſceret. Nec Eccleſiæ Romanæ defuerunt Principes, Reges, Cæſares. Video mihi occurrentes ex Germania Henricos, Eduardos ex Anglia, Ludovicos è Gallia, Hermenegildos ex Hiſpania, Wenceslaos è Bohemia, Leopoldos ex Auſtria, Canutos è Dania, Stephanos ex Hungaria. Quin imo profligatiſſimis ſęculis in ea viri floruere caſtigatiſſimis moribus orbis effecti prodigia. Hinc 1. Petri 2. Chriſtiani appellantur *genus electum*, *gens Sancta*,

Eccleſia etiam Sancta eſt, quia tota eſt divino cultui conſecrata, ejuſque Sacramenta, inſtituta, & ritus ſanctitatem redolent. Nec ejus integritati officit multorum pravitas miniſtrorum, utpote cum illa ex ejus doctrinæ Principiis, ut eſt Sectariorum doctrina ſubditis conſcientiæ habenas relaxans (de qua ſtatim) non dimanet; ſed illis apertè refragetur.

Tertiò appellatur *Catholica*, ſeu univerſalis; cum non ſit unius Regni, aut provinciæ terminis circumſcripta, ſed per univerſum, qua latè patet, orbem terrarum diffuſa. *Euntes in mundum univerſum prędicate Evangelium omni creaturæ* Marci 16. Sanè licet conglomerata Inferni, tyrannorumque poteſtas in ejus extirpationem ſæpè incubuerit, nulla tamen gens eſt, quæ hanc Romano-Catholicam Religionem vel non poſſideat etiamnum, vel aliquando non poſſederit, vel modò poſſidere non incipiat. Dum Lutherus partem Germaniæ dilacerat, Romana Eccleſia ſe extendit ad Orientem in India, ad Occidentem, in America, ad Septentrionem in Japonia, ad Meridiem in Braſilia, & innumeras ubique ſuis legibus ſubſternit animas. In omnibus hiſce partibus uti & apud Sinas, Perſas, Tartaros, Turcas, Peruanos, alioſque extremo ſub ſole repoſtos reperiuntur Templa, Altaria, Imagines Chriſti & Sanctorum: celebratur Miſſa, adminiſtrantur noſtra Sacramenta, ſervantur Feſta, & Jejunia; & publica exercetur fidei Romanæ profeſſio.

Poſtremò vocatur *Apoſtolica*, quia ab Apoſtolis promulgata eſt: *in omnem terram exivit ſonus eorum*. Pſal. 18. & à Petro Apoſtolorum Principe fundata, ejuſque Sanguine purpurata, & quia in eadem fide, quam ipſe annuntiavit, inviolata, immobilis, inconcuſſa, & ſine ulla Pontificum interruptione in hodiernum uſque diem perſeverat. Unde Eccleſia Romana nunquam amiſit eam fidem, quam hauſit ab Apoſtolis. Hinc fidiſſima ſemper habita eſt Traditionis depoſitaria. Hinc adverſus quaſcumque novitates illa toties effata profudit, *Nihil ſtatuendum, niſi quod* Traditum eſt. *Vitanda eſt novitas, tenenda eſt* Antiquitas. *Profana eſt novitas, ſacrata eſt vetuſtas. Deſinat novitas*

vitas inceſſere vetuſtatem. Hinc in obvios Errores toties illud intorſit Apoſtoli. 1. ad Timoth. 6. *O Timothee. depoſitum cuſtodi devitans profanas vocum*, id eſt, dogmatum, rerum, ſententiarum *novitates*. Enimverò quid eſt depoſitum? id quod tibi creditum eſt, non quod à te inventum, quod accepiſti, non quod excogitaſti, res non ingenii, ſed doctrinæ; non uſurpationis privatæ, ſed publicæ Traditionis, res ad te perducta, non à te prolata, in qua non Author debes eſſe, ſed cuſtos, non inſtitutor, ſed ſectator, non ducens, ſed ſequens. Hoc ſanè præſtitit Eccleſia; non nova inveniens, excogitans, proferens, inſtituens dogmata, ſed antiqua ſibi ab Apoſtolis credita, ab iis accepta, tradita, ad ſe perducta fideliſſimè conſervans. Illa ſemper ſequitur, ab iis nulla occaſione avulſa eſt, nec unquam avelletur. Rectè proinde Eccleſia Romana dicitur *Apoſtolica*, atque adeò, ut ex præmiſſis liquet, quatuor præfixas ſibi notas vendicat.

Sed an illæ etiam Congregationibus competunt Sectariorum? minimè verò.

Illorum ſecta non eſt *una*: partim quia Acatholici non agnoſcunt unum caput viſibile, partim quia in doctrina ſua, & pluribus fidei dogmatibus inter ſe diſcrepant; dum non tantum Calviniſtæ in Lutheranos, & viciſſim Lutherani in Calviniſtas, ac utrique in Anabaptiſtas, & Arianos inſurgunt, verùm etiam illi qui ſub eodem comprehenduntur titulo, mirum in modum quoad fidei articulos inter ſe digladiantur. Nonne aliud circa eadem dogmata ſentiunt, tenent, ac docent rigidi Calviniſtæ, aliud molles? aliud Gommariſtæ, aliud Arminiani quamvis Calviniano lacte enutriti? nonne aliud Lutherani puri, aliud Confeſſioniſtæ, aliud Mitigati? nonne aliud tenent hoc ſæculo & Lutherani, & Calviniſtę, aliud tenuerunt priori ſęculo, aliud ad initium utriuſque ſectę, aliud in ejuſdem progreſſu?

Non eſt *Sancta*; quia eorum doctrina plura continet moribus directè repugnantia, effręni concupiſcentię fuſas habenas laxantia, rectam extirpantia rationem, & infelicibus planè (ut termino mitiori utar) ſequelis referta. Ex innumeris pauca delibemus. *Impoſſibile eſt*

ſer-

ſervare Dei præcepta etiam cum gratia: ergo Deus eſt injuſtus, & crudelis imponens homini mandata impoſſibilia, ob quorum tamen tranſgreſſionem graviſſimis, & ſempiternis illum tormentis excruciat. *Propter nullum peccatum damnatur homo, niſi propter peccatum infidelitatis*: ergo non propter fornicationem, veneficia, inimicitias, homicidia, & reliqua enormia crimina contra apertam Apoſtoli ſententiam ad Galatas 5. *Omnia peccata ſunt æqualia, nec ullum datur, quod ſit veniale*: ergo verbum otioſum eſt ęquale reliquis peccatis: ergo & peccato blaſphemię, ergo & peccato incredulitatis, ergo & apoſtaſię à fide Chriſti: ſi ęquale his peccatis, ergo ęqualem meretur pœnam. *Omnia noſtra opera ſunt peccata*, & juxta eoſdem, *omnia peccata ſunt æqualia*, ergo omnia noſtra bona opera ſunt ęqualia peccata, ergo Deum orare erit ęquale peccatum, ac Deum blaſphemiis impetere, & Eleemoſynam dare pauperi erit ęquale peccatum, ac eundem pauperem tunica ſua ſpoliare. Quam deplorandę conſequentiæ! ſuperſedeo poſitioni huic, *Deus eſt author peccati*, quæ jam ipſis Sectariis horrorem incuſſit. An præfata poſſunt dogmata cum Sanctitate combinari?

Illorum ſecta etiam non eſt *Catholica*, utpote non per omnes mundi partes propagata, ſed paucis Europæ provinciis coarctata. Imo quamvis Acatholici ſibi conati ſunt, & etiamnum conentur arrogare nomen *Eccleſiæ Catholicæ*, & *Catholici* audire curaverint, & curent; nunquam id tamen obtinere potuerunt, nec poſſunt, ſed ipſi Sectarii vel inviti nomine *Catholicorum* intelligunt eos, qui ſunt ſub obedientia Romani Pontificis, & fidem Eccleſiæ Romanę tenent, credendo ea, quæ ſedes Petri credenda proponit. Ita olim obſervavit Auguſtinus lib. contra epiſtolam fund. cap. 4. *Tenet me in Eccleſia ipſum Catholicæ nomen, quod non ſine cauſa inter tam multas hæreſes ſic iſta Eccleſia ſola obtinuit, ut cum omnes hæretici ſe Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur; nullus hæreticorum vel Baſilicam tuam vel domum audeat oſtendere*

Certè

Certè ſectæ omnes à ſuis denominantur Authoribus, ut à Marcione Marcioniſtæ, ab Ario Ariani, à Luthero Lutherani, à Calvino Calviniſtæ; ſoli Romanę Eccleſiæ profeſſori nomen *Catholici* artribuitur; unde poſt ſeptemdecim evoluta ſæcula nunquam Deus permiſit; ut Romana ſedes ab iſta poſſeſſione deturbàta fuerit.

Denique, non eſt *Apoſtolica*; cum Lutherani, & Calviniſtę exorti ſęculo 15. ſuam ab Apoſtolis ad ſeipſos ſine ulla interruptione ſucceſſionem in lucem proferre nequeant. Ubi, Sectarii, majorum veſtrorum eandem ſectam profitentium ad Apoſtolos uſque deducta ſeries? non jam quæro, an multi omnibus retroactis ſæculis ad vos uſque, ſed an pauci aliqui, imo vel unus totam complexionem, *ſeu collectionem* doctrinæ veſtræ (hoc accuratiſſimè notandum eſt) tradiderit.

Sectarii ſuam ab Apoſtolis ad ſeipſos ſine ulla interruptione ſucceſſionem in lucem proferre nequeunt, quod per omnia ſæcula demonſtratur.

Antiquos omnes conſulite, qui quaſdam cuderunt aſſertiones nobis adverſas, vobis faventes. *Ptolomæus* vobiſcum docuit, *Deum præcipere homini impoſſibilia*. Sed an ille negavit *Purgatorium*, an numerum truncavit Sacramentorum; & duo tantùm vobiſcum admiſit, *Baptiſmum*, & *Euchariſtiam*? an in reliquis punctis vobis adſtipulatur? *Aerius* quidem Purgatorium vobiſcum exploſit: at ubi ille inficiatus eſt realem Jeſu Chriſti in Euchariſtia præſentiam: cultum imaginum, Sanctorum ſuffragia? nuſquam Gentium. Non igitur ab illis eſt veſtra fides. *Vigilantius* Sanctorum Reliquiis bellum movit. Illi hac in re conſentitis. Sed non ille vobiſcum in cœteris. Nec enim erat à Miſſæ Sacrificio alienus, nec v. g. orationes pro mortuis eliminandas eſſe dixit. *Eunomius*, *Arius*, *Macedonius* ſuſtulerunt vobiſcum Traditiones omnes, & omnia ſolis Scripturis volebant contineri. Sed an reſpuerunt, ut vos, Feſta Sanctorum, Jejunium Quadrageſimale, rationem Meriti, & alia quæ vos reiicitis? an aliunde non averſamini blaſphemiam ab Ario, & Macedonio vibratam in Filii, & Spiritus Sancti divinitatem? non itaque ab illis eſt veſtra Religio. Denique ferme ſingula, in quibus à nobis diſcrepatis, Authores habuere Errones aliquos è priſcis ſęculis, qui verò ſimul *omnia* doctrinæ veſtræ

ſtræ capita profeſſus fuerit, nec remotiſſimis illis temporibus extitit, nec omnino ante vos ullus.

Qui ſunt igitur parentes veſtri? *Græcoſne* proferetis? illi enim à Romana deſcivere Eccleſia, & diù eſt, quod Romanum Pontificem ejurarunt. Vos quoque obedientiam detrectatis Pontifici: ſed num in reliquis Græcos ſectamini? minimè verò. Græci de Tranſubſtantiatione, de Sacrificio Miſſę, de Invocatione Sanctorum, de cultu Imaginum nihil à nobis diſſentiunt. Vobis denique adeò non junguntur, ut vos palam hereſeos accuſent.

Qui rurſus ergo Authores veſtri? *Berengarium* allegatis, qui de Euchariſtia ſentit, ut vos ſentitis. Quid tum? an Berengarius ille moviſſe legitur controverſiam de purgatorio, de veneratione Imaginum, de poteſtate Pontificis? Fides igitur veſtra non eſt eadem, quę *Berengarii*.

An originem ducitis à *Petro* de *Bruis* inſigni Iconoclaſta? an in aliis ille rebus ſe vobis conformavit?

Ad *Waldenſes*, & *Albigenſes* modò confugitis. Sed hi oppidò ſeri ſunt parentes veſtri, cùm illi ſub finem ſeculi duodecimi, hi ſub initium decimi-tertii mundo innotuerint.

Videamus tamen, an ab eis verè deſcendatis. Num cum Waldenſibus creditis, *Chriſtianis interdictum eſſe juramentum, ita ut nunquam eis jurare liceat*? num cum illis ſuſtinetis, *Laicos poſſe Euchariſtiam conficere, non quidem prolatione verborum; quæ in cœna Chriſtus inſtituit, ſed recitationis Dominicæ*? an cum Albigenſibus in hoc Manicheos imitantibus creditis, *duos dari creatores; unum bonum, alterum malum*? an cum illis *reſurrectionem carnis* inficiamini? an *Baptiſmum eſſe inutilem* cenſetis *ad expianda peccata*?

Ad *Wicleffum* denique, & *Huſſium appellatis*. Sed hi ſanè quàm ſunt novitii! cum Wicleffus circa annum 1370. ſcripſerit: perieritque Huſſius anno demum 1415. nos autem ſucceſſionem quęrimus doctrinę ab *Apoſtolis* ad Lutherum uſque, & Calvinum: Sed duri non erimus. Explbremus; an utriuſque aſſertiones etiam ſint veſtrę. Ecce autem inter cæteras, has Wicleffi pro-

poſitiones. *Nullus eſt Dominus civilis, nullus eſt Prælatus, nullus eſt Epiſcopus, dum eſt in peccato mortali. Univerſitates, ſtudia, collegia, graduationes, & magiſteria in eiſdem, ſunt vana gentilitate introducta; & tantùm proſunt Eccleſiæ ſicut Diabolus. Deus debet obedire diabolo.* Hæc certè non ſunt veſtræ, an verò Wicleffus negavit purgatorium, invocationem Sanctorum, venerationem Reliquiarum: an duo tantùm vobiſcum admiſit Sacramenta?

Ad Joannem *Huſſium* progredior. Sed ecce illius doctrina fuit, Wicleffi ſententias, quas modò retulimus, magna injuria à Catholicis Doctoribus eſſe damnatas. *Condemnatio* (inquit propoſitione 25.) *Quadraginta quinque articulorum Joannis Wicleffi per Doctores facta, eſt irrationalis & iniqua & malefacta.* Sic igitur à Wicleffo, & ab *Huſſio* diſſentitis. His adde, quod Huſſius ſignanter docuerit, & propugnarit (ut vidimus ad ſæculum 15.) *numerum, & efficaciam Sacramentorum, confeſſionem Sacramentalem, extremam unctionem, orationes pro Defunctis, & interceſſiones Sanctorum.* Non itaque ab illo Eccleſiarum veſtrarum originem, aut *ſucceſſionem* deducere poteſtis, quocum in pleriſque fidei dogmatibus non conſentitis.

Unde ergo veſtra origo? quis totam hanc, quam profitemini, fidem Apoſtolicam conſignavit vobis? quis eam ab Apoſtolis accepit? quis acceptam continuavit, quis continuatam ad vos uſque perduxit? dico totam: fuerunt enim varii tum antiqui, tum recentiores Eccleſiæ Romanæ adverſarii, qui nonnullas doctrinæ veſtræ partes aut invenere, aut inventas poſt multa evoluta ſæcula, ſuſtinuere ſopitorum ſuſcitatores ignium; ſed qui *integrum* ſyſtema veſtrum, qui *univerſam collectionem*, corpus, complexionem dogmatum veſtrorum compaginarit, nullus omninò ante Lutherum, vel Calvinum repertus eſt. Itaque illi ſunt Filii ſine Patre; conſequens ſine antecedenti, domus ſine fundamento. Quos tandem ſani ingenii viros hæc ratio, prout cura ſalutis exigit, ponderata è veſtra, Sectarii, profeſſione non eruat? ſed cum fides ſit opus gratiæ, enixe Deus rogandus eſt, ut vobis lumen, quo errorum tenebræ fugentur, miſeri-

ſericorditer impertiri dignetur. Cum vos interim vel minimo ab *Apoſtolis* ad vos uſque ſucceſſionis veſtigio deſtituti ſitis, ſecta veſtra nullo prorſus pacto dici poteſt *Apoſtolica*: Proindeque, ut conſtat ex enumeratione partium, quatuor famoſæ notæ veſtris nequeunt Congregationibus adaptari.

At ecce, quia Sectarii ſine ullo fundamento ſunt, in ſuis vacillantes Principiis alia Patribus, & Concilio Conſtantinopolitano (quod tamen ut legitimum admittunt) ignota fabricant veræ Eccleſiæ ſigna, aſſerentes, non alias eſſe Chriſti Eccleſiæ diſcernendæ notas, quam veritatem, puri verbi Dei prædicationem, ſinceram, & legitimam Sacramentorum adminiſtrationem. Sed nonne ſimiles legitimæ Eccleſiæ aſſignare notas, manifeſta eſt petitio Principii? in hoc enim totius difficultatis cardo vertitur, quinam ſit ille fidelium cœtus, in quo ſola veritas, ſincera verbi divini prædicatio, & legitima Sacramentorum reperiatur adminiſtratio. Porrò hæc tria in eximiis quatuor notis continentur: Non eſt enim veritas cum reliquis, niſi ubi eſt unitas, ſanctitas, & doctrina à Chriſto accepta, & ab Apoſtolis ubique terrarum diſſeminata. Neceſſe eſt igitur, ut omnia ſua Sectarii vel repugnantes in quatuor notas reſolvant, quæ cum in Religione Romana eluceſcant, hęc ſola dicenda eſt vera Chriſti Eccleſia.

Accedit quàm maximè, nunquam Romanam in fide defeciſſe, aut erraſſe Eccleſiam, nec unquam deficere, aut errare poſſe; ſola illa proinde eſt vera Chriſti Eccleſia.

Age, illud demonſtremus.

In orbe Terrarum datur aliqua vera Chriſti Eccleſia à Chriſto fundata (hanc propoſitionem admittunt omnes omninò Religiones, & ſectę prѳter *expectantes*, de quibus ſęculo 17.) ſi datur talis Eccleſia, ergo à Chriſto debuit inſtitui ſapienter, ipſe enim fuit ſapientia ęterna. Et cum ſapienter ſit inſtituta, debebat inſtitui durans ſtabiliter juxta ipſius Chriſti doctrinam in Matth. 7. ubi ait: *Sapientem virum eſſe, qui ædificavit domum ſuam ſupra Petram, & deſcendit pluvia, & ve-*

nerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat ſupra Petram: ſi ita ſtabiliter eſt fundata, ergo non potuit deficere, & corruere ſive per imbres afflictionum, ſive per fluvios perſecutionum, ſive per ventos infrementium hęreſum, alias enim fuiſſet fundata ſupra arenam, & non ſupra Petram. Ad hoc ipſum alluſit Chriſtus, dum dixit Petro Matth. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Sanè cum Chriſtus ſit ſummè ſapiens, ſummè potens, & ſummè verax; omnis ejus abſoluta promiſſio debet adimpleri: cum ergo Chriſtus promiſerit, portas Inferi non pręvalituras adversùs Eccleſiam in *Petro* tanquam in firmiſſima rupe fundatam; ineluctabiliter dicendum eſt, adimplevilſe eum, quod promiſit: ergo portę Inferi hucuſque non prévaluerunt, nec deinceps prævalebunt: adversùs Eccleſiam ab ipſo in *Petro, (primo Romano Pontifice)* fundatam: prævaluiſſent verò, ſi Eccleſia ab ipſo conſtructa periiſſet; vel aliquando forent prævalituræ, ſi unquam eſſet peritura: Quamvis fluctùs perſecutionum intumeſcant, & hæreticorum machinæ Eccleſiam Petri vertici incumbentem impetant, allidentur ad hujus firmitatem Petræ, & planè evaneſcent. Unde errare nunquam poterit: Eccleſia enim *Dei eſt columna, & firmamentum veritatis.* Quomodò autem foret columna, & firmamentum veritatis, ſi unquam à veritate deflexiſſet, vel poſſet deflectere, & loco veritatis ſuſtentare poſſet Errores.

At audio: Romana Eccleſia ſæculo 6. defecit, erravit; a majorum degeneravit veſtigiis, tunc denſa errorum caligine involuta eſt.

Itanè verò? ergo mille annorum ſpatiò (qui ab eo tempore fluxere ad Lutherum uſque, & Calvinum) non fuit in orbe vera Chriſti Eccleſia; Eccleſia enim Chriſti nequit eſſe Eccleſia *Erronea*; ergo qui illis vixere ſæculis ante prædicationem Lutheri, & Calvini, omnes damnati ſunt, cum in falſa, ſeu Erronea Eccleſia non detur ſalus; ergo perierunt *Benedictus, Bernardus, Dominicus, Franciſcus*, aliique, qui poſt ſæculum ſextum in Eccleſia Romana ſanctitate vitæ

florue-

floruerunt. Hos tamen ſanctos fuiſſe, ipſi heterodoxi fatentur. Nam Totila quamvis Arianus ſummo honore proſecutus eſt *S. Benedictum*, & tanquam verum Dei ſervum veneratus eſt, ut ſcribit D. Gregorius libr 2. Dialogorum cap. 15. Calvinus etiam Inſtit. cap. 10. vocat *Bernardum* pium ſcriptorem; nemo autem pius, nemo ſanctus, ſine vera fide eſſe poteſt. Philippus etiam Melanchthon in Apologia art. 5. & 27. Confeſſionis Auguſtanæ appellat Sanctos *Bernardum*, *Dominicum*, *Franciſcum*. Rurſus: ſi tunc Romana erravit Eccleſia, ergo Nationes omnes Europæ, omnes majores veſtri, qui ex iis temporibus converſi fuerunt ab idololatria ad fidem Romano-Catholicam, damnati ſunt. Sæculo enim 6. converſi ſunt Angli ad fidem noſtram per Religioſos à S. Gregorio Magno ad hoc deſtinatos. Sæculo ſeptimo converſi fuere Francones à S. Kiliano, quem ad hoc Romanus Pontifex legarat. Sæculo 8. converſa eſt magna ex parte Germania per S. Bonifacium à Gregorio 2. ad hoc miſſum. Circa eadem tempora fidem ſuſcepere Brabanti, Flandri, Hollandi, Friſones, Weſtphali, cæterique vicini per hos Romanæ Eccleſiæ Filios S. Servatium, Eligium, Rumoldum, Amandum, Vedaſtum, Livinum, Remigium, Willebrordum, alioſque. Sæculo 9. converſi fuere Bulgari, Sclavi, Poloni, Dani, Moravi. Sæculo 10. & 11. converſi Hungari, nobiliſſimum Regis ſui Stephani prementes exemplum. Sæculo 12. fidem amplexi ſunt Norvegii per Adrianum quartum, priuſquam foret Pontifex. Si igitur longiſſimo iſto ſæculorum tractu Romana aberravit Religio; omnes tunc illius cultores, (hoc ingemino) perierunt.

Sed certè neque poſt *ſæculum* illum ſextum Romana ab avita fide defecit Eccleſia. Nonne inter alia, Chriſtus inviolabilem cuſtodiam ab Eccleſia retinendam, nonne infallibilem aſſiſtentiam ſuam, qua Eccleſia in perpetuum adversùs quaslibet conſervetur tempeſtates, & promiſit, & expreſſit Matth. 28. dum dixit: ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem Sæculi? ecce *ego vobiſcum ſum* non ſolùm

 per

per eſſentiam, præſentiam, & potentiam, ſicut quatenus Deus præſens ſum in omnibus rebus, nec ſolùm per gratiam, ſicut ſum cum omnibus juſtis, eis vitam impertiens ſpiritualem, ſed per ſingularem providentiam qua fiet, ut Eccleſia nunquam deficiat. *Vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi*. Quia ſemper ero cum Eccleſia, quam vos repræſentatis, proindeque ſum non ſolùm vobiſcum, ſed etiam cum omnibus ſucceſſoribus veſtris *uſque ad conſummationem ſæculi*; *ecce ego*, qui nuper dixi *non relinquam vos orphanos*, Joann. 14. *Ego*, qui dixi: *confidite*, *ego vici mundum* Joann. 16. *Ego*, in quem *Princeps hujus mundi non habet quidquam* Joann. 14. Hoc irrefragabili teſtimonio uſus eſt Auguſtinus Conc. 2. in Pſalm. 101. contra Donatiſtas, qui cum dicerent, Eccleſiam quæ toto fuerat orbe diſperſa, poſteà toto orbe periiſſe ob crimen Cæciliani Epiſcopi, & tantùm remanſiſſe in ea parte Africę, quę *Donato* adhęrebat (qua de re ſęculo 4. egimus) ita introducit Eccleſiam cum Chriſto loquentem. *Quid eſt quod neſcio qui recedentes à me murmurant contra me? Quid eſt, quod perditi me periiſſe contendunt? certè enim hoc dicunt, quia fui, & non ſum: annuntia mihi exiguitatem dierum meorum, quamdiu ero in iſto ſæculo? annuntia mihi propter illos, qui dicunt; fuit, & jam non eſt; apoſtatavit, & periit Eccleſia de omnibus gentibus; & annuntiavit*: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem Sæculi. En quomodò Auguſtiſſimus Auguſtinus per latera Donatiſtarum, vos confodiat, ò Sectarii, qui etiam cum illis effutitis: *Eccleſia Romana jam non eſt, ſed fuit: apoſtatavit, & periit*. Nonne Romanæ Eccleſiæ ſimiliter modò licebit exclamare? quid eſt, quod neſcio qui recedentes à mē murmurant contra me? quid eſt, quod perditi me periiſſe contendunt? nonne tu, Domine, dixiſti, *ecce ego tecum uſque ad conſummationem ſæculi*? profectò non dixiſti, ecce ego tecum ſum Quingentis annis, & poſteà te per aliquot (dum inviſibilis exiſtes) deſeram ſæcula uſque ad tempora Lutheri & Calvini virorum inſtaurationi Eccleſiæ deſtinatorum, ſed dixiſti diſertè, clarè, perſpicuè: *omnibus*

die-

diebus uſque ad conſummationem ſæculi. Non igitur Romana periit, aut erravit Eccleſia etiam poſt ſæculum 6. licet variis, iiſque graviſſimis quaſſata turbinibus; nec unquam perire, aut errare poterit. Illa proindè dicenda eſt vera Chriſti Eccleſia.

Cum autem extra veram Eccleſiam non detur ſalus, ut ipſimet adverſarii fatentur, invictè ſequitur, extra Romanam Eccleſiam nullam patere viam ſalutis.

At ecce, Sectarii his convicti argumentis commenti ſunt, quemlibet in ſua poſſe Religione ſalvari, cum inter Romano-Catholicos, Lutheranos, & Calviniſtas non ſit diſcrepantia, ut ajunt, quoad *ſubſtantiales* fidei articulos, ſed tantum quoad *accidentales*, in quibus ſine æternæ ſalutis diſcrimine ſit plena ſentiendi libertas.

Hæc eſt noviſſima (ſed & dixerat *Rhetorius* ſæculo 4. quemlibet in ſua poſſe fide ſalvari) hæc eſt noviſſima ab antiquis præformata Novatorum (qui ſemper variant) ſententia; ſed à veritate remotiſſima. Nonne eſt ſubſtantiale, & eſſentiale fidei punctum (ut cætera præteream) ſolum Deum eſſe adorandum cultu Latriæ, & qui illum Deo cultum exhibere detrectat, graviſſimam ſupremo eum Numini irrogare injuriam? igitur vel Romano-Catholicus idolatra eſt adorans in Euchariſtia panem pro vero Chriſti Corpore, ſi non ſit illic realis (ut falſiſſimè volunt Sectarii) Chriſti præſentia, vel Calviniſta reus eſt maximæ, & acerbiſſimæ adverſus Deum irreverentiæ, recuſans illic Deum, & hominem adorare, ſi ſit verum (ut eſt veriſſimum) Catholicorum dogma aſſerens in hoc admirabili Sacramento verè, & realiter Corpus Jeſu Chriſti ſub exiguis ſpeciebus Panis contineri. Nonne igitur differentia Catholicos inter, & Sectarios hoc in myſterio eſſentialis eſt? porro Catholici credunt, Pontificem Romanum eſſe caput Eccleſiæ, Eccleſiam eſſe judicem controverſiarum, utpote *columnam, & firmamentum veritatis*, illiuſque eſſe judicare de vero, & falſo ſenſu Scripturarum, & declarare, quænam ſit Scriptura Sacra, credunt etiam confeſſionem à Chriſto Domino eſſe inſtitutam pro unico remedio in peccatum

mortale poſt Baptiſmum lapſis: hæc omnia pertinaciter inficiantur adverſarii; nonne igitur diſſenſiones illæ ſubſtantiales, & capitales ſunt? imo quo pacto in 12. articulis Symboli Apoſtolici (quos paſſim ſubſtantiales Heterodoxi appellant.) quo pacto, inquam, dicere hæc queunt *credo Sanctam Eccleſiam Catholicam?* in hiſce enim verbis, *credo Sanctam Eccleſiam Catholicam*, includitur, *credo ſimul omnia, quæ Eccleſia credenda proponit*; unde veræ fidei cultor nulli articulo ab Eccleſia propoſito poteſt diſcredere. Hinc, dum dicitur ſeu obiicitur, ſalvari poſſe omnes, qui credunt 12. articulos Symbolo Apoſtolorum contentos, hoc ſolùm verum eſt, ſi credant ſecundùm verum, & legitimum ſenſum Eccleſiæ. Senſus autem Eccleſiæ quoad verba illa *Sanctam Eccleſiam Catholicam*, eſt ille: *Sancta dicitur Eccleſia, quia profeſſio ejus eſt Sancta, nihil continens falſum quoad fidei, & morum doctrinam.* Ergo omnia vera ſunt, quæ Eccleſia credenda proponit, ac proinde quilibet fidelis debet omnibus à Deo revelatis, & ut talibus ab Eccleſia propoſitis firmam, ac inconcuſſam adhibere fidem, & pariter debet eſſe paratus, & promptus ut credat explicitè, & ſincerè, quidquid Eccleſia credendum propoſuerit, & ut proiiciat Errores, quos Eccleſia vel damnat, vel damnavit, vel damnatura eſt. Ratio à priori eſt. Quia ſicut vera juſtitia ad ſalutem requiſita ſe debet ad omnia extendere mandata, *qui enim offendit in uno, factus eſt omnium reus*, Jacobi 2. ſiquidem hoc ipſo ſpernit legiſlatorem, qui non minùs unum, quàm aliud præcepit, ita vera, & genuina fides debet ſe extendere ad omnia divinitùs revelata, atque ut talia ab Eccleſia propoſita: unde qui inter articulos fidei diſtinguit; unum *eſſentialem*, alterum *accidentalem* vocans, & qui uni credit, alteri diſcredit, is contemnit authoritatem Dei revelantis, & fidei adverſatur diſſentiens alicui articulo ſibi ſufficienter propoſito: tunc autem ſufficienter ſibi eſt propoſitus, dum Eccleſia *columna*, *& firmamentum veritatis* declarat, articulum illum eſſe à Deo revelatum: ergo Eccleſiæ declaranti, aliquid eſſe à Deo revelatum, adhibenda eſt fides; ergo vera ſunt, quæ Eccleſia, ut revelata

nobis

nobis proponit credenda, ergo vera ſunt, quæ fidelibus proponit quoad *Purgatorium*, *cultum Sanctorum*, *Imaginum*, *Reliquiarum*, *Euchariſtiam*, *Confeſſionem*, *Juſtificationem*, *Meritum*, & reliqua Romanæ Eccleſiæ dogmata, ergo falſa ſunt omnia, quæ Sectarii vel fabricarunt olim, vel fabricant, vel unquam fabricabunt perverſæ ſuæ fidei ſyſtemata: circa unum enim & idem veritas, & falſitas combinari nequeunt; ergo in religione Sectariorum non datur ſalus, ergo in Romana, ergo extra Romanam Eccleſiam non eſt ſalus.

Quare tandem Sectarii ſalutis ſuæ curam ſeriò arripiant. Deſinant, ut conſcientiæ interdum latranti pabulum obiiciant, tam ſibi quàm nobis propitium Deum fingere, quemlibet in ſua fide ſalutem poſſe conſequi aſſerentes. Extra Romanam Eccleſiam non datur ſalus. Hoc illi conſiderent, expendant, diſcutiant, ponderent.

Sed & contemplentur illud, quod ipſimet Catholicos ſalvari poſſe profiteantur; Catholici autem firmiſſima fide credant, neminem extra Eccleſiam Romano-Catholicam ſalvari poſſe. Quæ ergo imprudentia eſt, cum Catholicis non ſtare, quos vos, ò Sectarii, poſſe ſalvari admittitis, ſed cum prætenſo Reformatis, quos Catholici ſalvari poſſe negant? cui non ſuadeatur tutior in periculoſiſſimo via diſcrimine? illa verò eſt tutior, quam probat utraque pars, licet ſibi adverſaria, quàm illa, quam una tantùm pars probat, altera etiam jurando reprobat. Sic nemo dubitat, quin utriuſque medici judicio medicina probata tutiùs accipiatur, quàm alterius judicio damnata ut mortifera. An igitur homo minorem pro anima, quàm pro corpore curam gerat? nonne pro illa princeps ſollicitudo habenda eſt? ſuſcipiatur igitur fides Romano-Catholica, quæ veſtro etiam judicio eſt tutior.

Hunc in finem non ampliùs fidei momenta ſpiritus privati lance librentur. In ſpiritum illum privatum, dum etiam in Sacris exiſtimat ſe fundatum paginis, omnes (ut hactenùs vidimus) Errores refunduntur. Audiatur Eccleſia, cujus eſt judicare de vero, & falſo ſenſu Scripturarum, quæque eſt Magiſtra veritatis.

Sed

Apoſtrophe ad Chriſtum pro converſione Sectariorum.

Sed quoniam fides eſt lumen Dei ; ad te Jeſu Chriſte ò lux vera, lux æterna, omnium illuminatrix hominum, ſupplices confugimus : te ex totis animæ viſceribus, præcordiis, medullis precamur ; ut lumen veræ fidei Sectariis infundere digneris. Quamquam illi a tua receſſerint Eccleſia ; tuæ tamen ſunt creaturæ, ad imaginem, & ſimilitudinem tuam efformatæ, pretio Sanguinis tui redemptæ, ad Cœleſtem Hæreditatem & conſortium tui Regni conditæ, & vocatæ. Non pereat tam præclarum opus tuum, quod tibi tanti ſtetit, quod æternas tibi referet laudes agnita veritate, quod ad Gloriam tuam in omne ævum ſplendebit. Diſcute tetram caliginem, quæ nunc mentem obſidet, incute illis metum acrem ignis inextinguibilis omnibus vera Religione deſtitutis præparati : iniice ardentem veritatis cognoſcendæ & ſalutis conſequendæ amorem. Reduc illos ad ovile tuum (in quo Majores ipſorum fuerunt) ut in eo ſalutari doctrinæ tuæ pabulo tum nutriantur, tum ei feliciter immoriantur.

Ceterùm opus hoc in gratiam veritatis unicè elucubratum ſedis Apoſtolicæ, ſeu Romanæ (quæ eſt doctrix, cuſtos, conſervatrix veritatis) judicio in omnibus ſubmitto.

FINIS.

IN.

INDEX ERRONUM
Alphabetice diſpoſitus.

Abailardus Petrus 201.
Abbas Joachim 220.
Abeliani 102.
Abſtinentes 53.
Acephali 115.
Aceſius 99.
Adalbertus Gallus 159.
Adamita 18. 291.
Adiaphoriſta 316.
Ægyptii 114.
Aerius 80.
Aetius 76.
Agapeta 100.
Agnoita 133.
Agoniclyta 154.
Agricola Joannes 318.
Albanenſes 243.
Albigenſes 221.
Alciatus Joannes 316.
Alexander Ærarius 16.
Almaricus 225.
Alogi 41.
de S. Amore Guilielmus 226.
Amſdorphius Nicolaus 317.
Anabaptiſta 320. 324.
Andreas Muſculus 318.
Andreas Oſiander 318.
Angelici 67.
Anglicana Eccleſia 333.
Anglicani Uncti 333.
Antitacta 19.
Antidicomarianita 83.
Antinomi 318.
Antitrinitarii 334.
Apelles 20.
Apollinaris 78.
Apoſtolici 48. 206.
Apotacti 48.
Aquarii 22.
Arabici 43.
Archontici 22.
Argentarius Theodotus 25.
Arius 70.
Armeni 140.
Arminiani 352.
Arminius 350.
Arnaldus de Brixia 204.
Artemon 41.
Artotyrita 24.
Aſcodrogita 24.
Aſculanus Ceccus 246.
Aſterius 99.
Atheiſta Lucilius 352.
Audaus 77.
Bardeſanes 24.
Bartholomaus Janovezius 247.
Barulenſes 220.
Baſilides 4.
Bedricus Huſſita 290.
Beguardi, & Beguina 244. 353.
Behaim Joannes 290.
Berengarius 188.
Bernardinus Ochinus 336.
Bertholdus de Rorbach 247.
Beryllus 67.
Beza 333.

Blan-

Blandrata Georgius 335.
Blaſtus Quartodecimanus 22.
Bocoldus Joannes 321.
Bongomili 199.
Bonoſus 100.
Boquinus Petrus 332.
Brentius Joannes 318.
de Brixia Arnaldus 240.
de Bruis Petrus 200.
Bucerus 326.
Buddas 50.
Bulingerus Henricus 332.
Celeſtius 104.
Cerularius Michael 177.
Cainani 21.
Calviniſta 332.
Calvinus Joannes 327.
Carolſtadius 325.
Caſtellio Sebaſtianus 332.
Cataphryges 24.
Cathari 207.
Caucobabdita 135.
Ceccus Aſculanus 246.
Cerdon 19.
Cerinthus 8.
Chazinzarii 153.
Chiliaſta 79.
Chriſtianocategori 159.
Chriſtolyta 144.
Circumcelliones 70.
Clancularii 324.
Claudius Taurinenſis 164.
Clemens Scotus 159.
Cleobius 16.
Coccejus 356.
Colarbaſius 41.
Colluthus 75.
Collyridiani 81.
Communia habentes 324.
Condormientes 324.
Confeſſioniſta 316.
Conrardus Worſtius 352.
Conſtantinus Copronymus 157.
Coriarius Theodotus 25.
Courcelles Stephanus 352.
Dæmoniaci 324.
Damianiſta 135.
David Anabaptiſta 323.
David de Dinando 225.
Davidis Franciſcus 336.
Dioſcorus 112.
Diotrephes 16.
de Dominis Marcus Antonius 353.
Donatiſta 67.
Doſitheus 16.
Dreſdenſis Petrus 279.
Dulcinus, & Margarita 243.
Durandus de Waldach 199.
Ebion 8.
Edmundus Richerius 357.
Ejulantes 325.
Elipandus 159.
Elxai 17.
Encratita 22.
Enthuſiaſta 81.
Eon 206.
Errantes circa diem Dominicum 357.
Ethnophrones 144.
Euchita 81.
Eunomius 76.
Euſtathius 77.
Eutyches 111.
Expectantes 355.
Fauſtus Socinus 337.
Felix Urgelitanus 159.
Flaccus Illyricus 317.
Flagellantes 246.

Flo-

Florinus 22.
Franciſcus Davidis 336.
Franciſcus Stancarius 318.
Fratricelli 228.
Fullo Petrus 114.
Galæcus Nicolaus 289.
Gallus Adalbertus 159.
Gaſpar Svvenckfeldius 319.
Gentilis Valentinus 335.
Georgius Major 318.
Gerardus Segarellus 228.
Gilbertus Porretanus 205.
Gnoſimachi 144.
Gnoſtici 17.
Gommarus 350.
Gortheus 16.
Gotheſchalcus 165.
Græci 177. 184.
Guilielmus de S. Amore 226.
Heiceta 153.
Helceſeitæ 17.
Helvidius 83.
Henricus Bulingerus 332.
Henricus Petrobruſſianus 201.
Heracleon 41.
Heribertus 186.
Hermanus Ruiſvich 292.
Hermogenes 26.
Hierax 53.
Hieronymus de Praga 278.
Hortenſes 324.
Hus Joannes 283.
Huſſitæ 291.
Hydroparaſtatæ 41.
Hymenæus 6.
Hypſiſtarii 100.
Jacobellus Miſnenſis 279.
Jacobitæ 115.
Jacobus Syrus 115.
Iconoclaſtæ 154.
Illuminati 353.
Illyricus Flaccus 317.
Impaſſibiles 132.
Inceſtuoſi 391.
Independentes 354.
Infernales 333.
Inveſtigantes 355.
Joachim Abbas 220.
Joannes Agricola 318.
Joannes Alciatus 336.
Joannes Behaim 290.
Joannes Bocoldus 321.
Joannes Brentius 318.
Joannes Calvinus 327.
Joannes Hus 277. 283.
Joannes a Laſco 332.
Joannes Matthias 321.
Joannes Philoponus 133.
Joannes Piſcator 352.
Joannes de Poliaco 245.
Joannes Roatius 290.
Joannes Spanebergus 319.
Joannes Venetus 191.
Joannes Wicleff 248.
Joannis Petrus 227.
Jovinianus 83.
Iſaurus Leo 155.
Julianus 105.
Knipperdolingus 322.
Lælius Socinus 336.
Lampetiani 154.
a Laſco Joannes 332.
Leidenſis Joannes 321.
Leo Iſaurus 155.
Leo Porphyrogenitus 158.
Libertini 325.
Librandus Lubbertus 352.
Liſoius 186.
Lolandus Waltherus 246.

Lub-

Lubbertus Librandus 352.
Lucanus 40.
Lucianus 41.
Lucifer 101.
Lucilius Atheiſta 352.
de Lugduno Pauperes 207.
Lutherani 316.
Lutherani Molles 316.
Lutherani Rigidi 317.
Lutherus 305. 307.
Macedonius 77.
Magus Simon 1.
Major Georgius 318.
Mahometh 136.
Malbotheus 16.
Manes 51.
Marcion 19.
Marcus 40.
Marcus Antonius de Dominis 353.
Margarita & Dulcinus 243.
Martyr Petrus 327.
Marſilius Paduanus 220.
Matthias Joannes 321.
Melanchthon Philippus 316.
Melchiſedechiani 25.
Menander 4.
Mennoniſtæ 323.
Metanſgimonitæ 76.
Michael Cærularius 177.
Michael Molinos 354.
Michael Servetus 334.
Millenarii 79.
Miſnenſis Jacobellus 279.
Molinos Michael 354.
Molles Lutherani 316.
Monothelitæ 138.
Montanus 23.
Mopſueſtenus Theodorus 103.
Muntzerus Thomas 321.
Muſculus Andreas 318.
Nazaræi 40.
Neſtorius 109.
Nicolaitæ 6.
Nicolaitæ Novi 191.
Nicolaus Amſdorphius 317
Nicolaus Diaconus 7.
Nicolaus Galacus 289.
Nicolaus Storkius 320.
Noetus 49.
Novatianus 46.
Novatus 46.
Novi Nicolaitæ 191.
Nudipedes 81.
Ochinus Bernardinus 336.
Oecolampadius 326.
Ophitæ 21.
Orebitæ 290.
Origenes 43.
Oſiander Andreas 318.
Oxomenſis Petrus 292.
Paduanus Marſilius 220.
Parermeneutæ 144.
Paſſibiles 132.
Patareni 207.
Paterniani 83.
Pattalorinchitæ 24.
Pauliciani 163.
Paulitæ 135.
Paulus Samoſatenus 49.
Pauperes de Lugduno 207.
Pelagius 103.
Pepuziani 24.
Petritæ 135.
Petrus Abailardus 201.
Petrus Dreſdenſis 279.
Petrus de Bruis 200.
Petrus Fullo 114.
Petrus Martyr 327.
Petrus Oxomenſis 292.

Petrus Joannis 227.
Philetus 6.
Philippus Melanchthon 316.
Philoponus Joannes 133.
Photinus 77.
Photius 166.
Pietiſtæ 369.
Pikardus Adamita 291.
Piſcator Joannes 352.
de Poliaco Joannes 245.
Politici-athei 355.
Porphyrogenitus Leo 158.
Porretanus Gilbertus 205.
Præadamitæ 366.
Prædeſtinatiani 131.
de Praga Hieronymus 278. 287.
Praxeas 25.
Precatores 81.
Presbyteriani 333.
Priſcillianus 81.
Proclus 24.
Pſeudo-apoſtoli 228.
Ptolomæus 22.
Puritani 333.
Quærentes 355.
Quæſtionarii 355.
QuaKeri 354.
Quartodecimani 22.
Queſnel 153.
Rebaptizantes 47.
Reordinantes 191.
Rhetorius 83.
Richerius Edmundus 357.
Rigidi Lutherani 317.
Roatius Joannes 290.
de Rorbach Bertholdus 247.
Roſcelinus 192.
Ruiſvich Hermanus 292.
Salbatharii 324.
Sabellius 49.
Saccophori 81.
Sacramentarii 325.
Samoſatenus Paulus 49.
Saturninus 4.
Sceptici 355.
Scythianus 50.
Sebaſtianus Caſtellio 332.
Sectarii 271. 448.455.
Secundinus 131.
Secundus 40.
Segarellus Gerardus 228.
Seleucus 26.
Semiariani 75.
Semipelagiani 108.
Sepulchrales 333.
Sergius 134.
Servetus Michaël 334.
Sethiani 21.
Severus 23. 115.
Simoniaci 191.
Simoniaci palliati 191.
Simon Magus 1.
Sociniani 337.
Socinus Fauſtus 337.
Socinus Lælius 337.
Spanebergus Joannes 319.
Spinoſa Politico atheus 355.
Stancarius Franciſcus 318.
StorKius Nicolaus 320.
Stephanus Courcelles 352.
SvvencKſeldius Gaſpar 319.
Syrus Jacobus 115.
Tanchelinus 199.
Tatianus 22.
Taurinenſis Claudius 164.
Tertullianus 41.
Thaboritæ 289.
Thebutes 16.
Theocatagnoſtæ 154.

Thes-

INDEX ERRONUM.

Theodorus Mopſueſtenus 103.
Theodotus Argentarius 25.
Theodotus Coriarius 25.
Theophronius 76.
Thiota pſeudo-prophetiſſa 164.
Thnetopſychitæ 154.
Thomas Muntzerus 321.
Timotheus 100.
Tremblantes 354.
Tritheitæ 133.
Troglodytæ 99.
Tudetchinus 191.
Turcæ 138.
Turlupini 247.
Valentinus 20.
Valentinus Gentilis 335.
Valeſii 43.
Venetus Joannes 191.
Ubiquitarii 318.
Vigilantius 101.
Vincentius Victor 102.
Uncti Anglicani 333.
Voetius 356.
Urgelitanus Felix 159.
de Waldach Durandus 199.
Waldenſes 207.
Waltherus Lolardus 246.
Wecilo 192.
Wicleff Joannes 248.
Worſtius Conrardus 352.
Xenaias 116.
Zachæus 100.
Ziska Thaborita 288.
Zwinglius 326.

INDEX

INDEX ALPHABETICUS

Materiarum circa quas ERRORES verſantur. Pro majori claritate ERRORIBUS ſubnectuntur ERRONES.

A D O R A T I O.

Angeli adorandi ſunt. Angelici pag. 67. *Ignis adorandus eſt*. Hypſiſtarii. 100. *Cain, Core, Dathan, & Abiron &c. adorandi ſunt, item ſerpens, qui Evam decepit, & Seth.* Cainani, Ophitæ, Sethiani. 30. *Corpus Chriſti non eſt adorandum ante ſumptionem*. Lutherani. 420.

Adam, Eva, Adamitæ.

Si Adam, & Eva permanſiſſent in juſtitia originali, non ſolùm non fuiſſet generatio per coitum, ſed nec ſexuum differentia. Almaricus 230 *Nuditas Adæ in ſtatu innocentiæ imitanda eſt.* Adamitæ 28. Novi Adamitæ Duce PiKardo 303. *Nihil quemquam debet pudere eorum, quæ à natura accepimus*. Turlupini. 262.

Adam non fuit primus homo à Deo creatus, ſed ante ipſum fuerunt alii homines, qui Præadamitæ vocabantur. Adam, & Gentiles mortui ſunt non quia peccaverint, ſed ex conditione naturæ, hoc eſt, quia corpus corruptioni ſubjectum habuerunt. Præadamitæ 367. 368.

Anima.

Anima rationalis non eſt forma Corporis. Petrus Joannis 239. *Anima non de nihilo, ſed de divina creata eſt ſubſtantia.* Victorinus 117. *Anima rationalis non creatur à Deo, ſed traducitur, ſeu generatur à parentibus*. Tertullianus 53. *Anima hominis ſimul cum corpore in morte hominis corrumpitur*. Arabici 54. Thnetopſychitæ 154. *Anima tranſit de uno corpore ad aliud corpus*. Simon Magus 11. Manichæi 65. *Animæ humanæ ejuſdem naturæ ſunt cum ſpiritibus Cæleſtibus. Animæ humanæ, quemadmodum Spiritus, Mundi corporalis creationi præexiſtunt. Omnes illæ animæ ſimul creatæ ſunt, ſed propter peccata ſua in corpus velut in carcerem detruduntur. Anima Chriſti ab initio ante corporales creaturas cum omnibus aliis ſpiritualibus creaturis creata eſt, & à verbo Dei aſſumpta, & demum circa finem ſæculorum carnem fuit induta*. Origenes 55. &c.

INDEX

Antichriſtus.

Antichriſtus die Pentecoſtes anni 1360. *venturus eſt*. *Adulti Chriſtiani, qui ſemel Antichriſti charactere inſigniti erunt; nunquam ampliùs ad fidem Chriſti redire poterunt. Judæi, Saraceni, & Infideles* omnes *ab eodem Antichriſto ſeducti, eo extincto, ad Chriſtum convertentur. Antichriſti tempore omnia Eccleſiæ Sacramenta, & incruentum Sacrificium ceſſabunt*. Joannes Janovezius 259. &c.

Apoſtoli.

Non fuit licitum Apoſtolis aliquid ſervare in craſtinum, nec ulla eſt ſpes ſalutis aliquid in craſtinum reſervantibus. Gerardus Segarellus Author pſeudo-Apoſtolorum. Cum hoc dogmate conveniunt Apoſtolici (ſęculi 3.) pag. 61. Apoſtolici (ſęculi 12.) ne novus de Apoſtolicis formetur articulus, invehebantur in nuptias 215.

Baptiſmus.

Baptiſmus eſt inutilis ad expianda peccata, unde non differt ab aqua fluviali. Albigenſes 229. *Hæc eſt forma Baptiſmi*: ego ſum aqua viva. Pauliciani 163. *Baptiſmus ab Eccleſia adhiberi ſolitus non eſt Baptiſmus Chriſti, ſed Joannis Baptiſtæ, Baptiſmus verò Bongomilorum eſt Baptiſmus Chriſti ob Spiritum Sanctum in ipſis reſidentem*. Baſilius Medicus Author Bongomilorum 208. *Gratia, & virtutes non infunduntur in Baptiſmo*. Petrus Joannis 240. *Nullus Baptizatur niſi ſalvandus*. Gilbertus Porretanus 215. *Baptizati ab hæreticis abſolutè ſunt rebaptizandi*. Rebaptizantes 60. Donatiſtę rebaptizabant omnes, qui à Catholicis ad illos deficiebant 85. *Parvuli non ſunt Baptizandi, quia carent actu fidei*. Petro-bruſiani 209. *Hinc adulti tantùm Baptizandi ſunt rationis capaces*. Anabaptiſtæ 243. *Neceſſarius eſt ad ſalutem ſolus Baptiſmus Sanguinis per proprii corporis flagellationem*. Flagellantes 258. *Parvuli non ſunt Baptizandi, niſi diebus publico conventui deſtinatis*. Calviniſtæ 398. *Baptiſmus non eſt neceſſarius ad deletionem peccati originalis, ſed tantùm ad conſecutionem Regni Cęleſtis*. Pelagiani 119.

Beatitudo.

Beatitudo conſiſtit in carnis deliciis. Cerinthus 14. Mahomet 146. *Deus non videtur per eſſentiam à Beatis*. Petrus Abailardus 211. *Chriſtus mille annis hic in terra cum Beatis regnaturus eſt*. Millenarii 93. *Beatitudo differtur juſtis uſque ad extremum diem judicii*. Græci 179. *Nec beatitudo, nec miſeria eſt perpe-*

tua.

tua. *Hinc & Beatitudo poteſt amitti, & è contra dæmones, & impii aliquando panis liberandi ſunt*. Origenes 46. & 58. *Homo poteſt hic ita finalem Beatitudinem aſſequi, ſicut eam in vita æterna obtinebit*. *Qualibet intellectualis creatura in ſeipſa naturaliter eſt beata, nec anima indiget lumine gloriæ ad Deum videndum*. Beguardi, & Beguinę 255. Ab his non multùm diſcrepant Meſſaliani 95. Illuminati 354. Quietiſtæ ibid. Pietiſtæ 369. Noviſſima Secta cujuſdam viſionarii in Gallia. 370.

Calceamentum.

Ob verba illa Domini dicta Moyſi Exod. 3. *ſolve Calceamentum de pedibus tuis*, quidam dixerunt *incedendum eſſe nudis pedibus*. Hinc tales appellati fuere Nudipedes 96.

Cantus, Canticum Canticorum.

Deus irridetur Cantibus Eccleſiaſticis. Henricus Petro-bruſianus 210. *Fruſtra in illis tempus teritur*. Waldenſes 219.

Canticum Canticorum eſt Cantilena impudica Salomonis cum Amaſia quadam ſua. Sebaſtianus Caſtellio Calviniſta 347.

Caro, Corpus humanum.

Caro à malo provenit principio: unde caro de ſe mala eſt. Manichęi 63. *Hinc inferiores partes Corporis humani à diabolo facta eſſe* arbitrabantur Paterniani 99. Hinc & Manichęi *nolebant in cibum adhibere carnem animalium, eâ idcirco manducari prohibentes*. 64.

Concupiſcentia.

Concupiſcentia eſt peccatum. Proclus 36. Sectarii 373.

Chriſtus.

Chriſtus non eſt Deus. Cerinthus, Ebion 15. Theodotus Coriarius 25. *Divinitas eſt in Chriſto, non per naturam, ſed per quamdam excellentem gloriæ participationem, quam per bona opera meruerat*. Paulus Samoſatenus 49. ita proludens Photino 90. *Chriſtus non eſt ab æterno*. *Non eſt æqualis Patri*. Arius 86. *Filius eſt ſimilis Patri, non tamen ei conſubſtantiali*. Semiariani 87. *Filius ſic eſt in Patre, ut vas minus in majori*. Metangiſmonitę 89. *Chriſtus eſt Dei virtus eo pacto quo dixit Moyſes locuſtam, & Bruchum eſſe magnam Dei virtutem*. Aſterius Arianus Epiſcopus 99. *Chriſtus eſt purus homo, ſed dicitur verbum Dei, quia verba Dei annuntiavit, quomodò Joannes Baptiſta dicitur vox*. Sociniani 350.

Chriſtus non fuit verus homo, ſed tantum phantaſticus. Saturninus 12. *Chriſtus non eſt natus de Maria, ſed per Mariam oſten-*

ſus. Gnoſtici 27. *Chriſtus de Cælo corpus attulit, & ſic nihil aſſumpſit de Beata Virgine, ſed per eam quaſi per fiſtulam tranſiit*. Valentinus 29. *Chriſtus per corpus Virginis tranſiit ſicut lux vitrum pertranſit*. Mennoniſtæ 345. *Chriſtus aeream ſibi carnem contexuit, eamque in aſcenſu ſingulis reddidit elementis*. Apelles 29. Manichæi negarunt Chriſti humanitatem, eò *quod caro* juxta ipſos *mala eſſet* 63. *Chriſtus non eſt Crucifixus, ſed Simon Cyrenæus, qui angariatus ſuſtulit Crucem*. Baſilides 13. A Baſilidis blaſphemia parum differt Mahomet 15.

In Chriſto eſt duplex perſona, una Dei, alia hominis. Neſtorius 125. *In Chriſto eſt una tantùm natura (ſcilicet divina) in quam caro in ipſo momento Incarnationis converſa eſt*. Eutyches 129. Hinc ſequebatur, *Chriſtum eſſe paſſum ſecundùm divinam naturam*. à Petro Fullone Sacro Triſagio, *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis*, additum eſt hoc: *qui paſſus es pro nobis* 131. Hinc Theopaſchitæ. ibid. His ſuffragatur Andreas Muſculus Lutheranus 340. *Verbum aſſumpſit ſolam carnem non animam: ſed Verbum fuit loco animæ, nec Verbum aſſumpſit intellectum, ſed rurſus Verbum fuit loco ejus* Apollinaris 92. *In Chriſto eſt unica voluntas, ſcilicet divina*. Monothelitæ 146. *Chriſtus vixit, dum miles ejus latus lancea aperuit*. Petrus Joannis 240. *Chriſtus præ doloris magnitudine in Cruce de ſua ſalute deſperavit*. Bertholdus de Rorbach 259. *Chriſtus aſcendens carnem in ſole poſuit*. Seleucus 40. *Chriſtus cum ſola deitate & reſurrexit, & in Cœlo aſcendit*. Chryſtolite 150. *Chriſtus non eſt mortuus pro redemptione omnium hominum*. Gotheſchalcus 173. Boquinus 347. *Chriſtus ex neceſſitate defectus corporales ſuſcepit*. Paſſibiles 133. *Corpus Chriſti non fuit verè ſubditum corporalibus defectibus, ut v. g. ſunt fames, ſitis, mors, & hujuſmodi*. Impaſſib. 134. *Per Chriſti deſcenſum ad inferos intelligitur ejus quies in ſepulchro*. Sepulchrales 347. *Dominus Jeſus deſcendens ad inferos pios, & impios ſimul indè eduxit*. Clemens Scotus 161. *Chriſtus deſcendit uſque ad locum damnatorum, ibique in anima ſua dira damnatorum tormenta perpeſſus eſt*. Infernales 348. *Chriſtus ſecundùm humanitatem eſt tantum Filius Dei adoptivus*. Felix Urgelitanus, & Elipandus 162. Præluſerat eis Neſtorius. *Chriſtus eſt juſtificator humani generis ſecundùm ſolam divinam naturam excluſa humana*. Andreas Oſiander 339. *Chriſtus Dominus eſt juſtificator noſter ſolummodò*

dò

dò ſecundùm naturam humanam, excluſa divina. Franciſcus Stancarus 340. *In Chriſto non fuit Spiritus timoris Domini*. Abailardus 211. *Melchiſedech non fuit purus homo, ſed Chriſtus*. Melchiſedechiani, Duce Theodoto Argentario. 39.

Confeſſio.

Confeſſio auricularis non eſt admittenda. Sectarii 401. Præiverant Archontici omnia negantes Sacramenta 31. *Si homo debitè fuerit contritus, omnis confeſſio exterior eſt ſuperflua, & inutilis*. Wicleff 264. *Aliquis confeſſus viris Religioſis habentibus licentiam audiendi confeſſiones tenetur eadem peccata iterum confiteri proprio parocho* 256. *Non à Chriſto inſtituta, ſed ab hominibus invecta eſt confeſſio Sacramentalis*. Petrus Oxomenſis 303.

Confirmatio.

Non datur Sacramentum Confirmationis. Novatiani 60. Sectarii 399.

Creatura.

Creatura, ſeu mundus creatus eſt ab Angelis. Simon Magus 9. *Creatus eſt à 7. Angelis*. Saturninus 12. *Creatura ſive mundus non à Deo, ſed ex ſeipſo fortuitò conditus eſt*. Heribertus, & Liſoius 193. *Creaturæ corporales profluunt à malo Deo*. Manichæi 63. *Creaturæ ſpirituales, ſeu Angeli non ſunt creati à Deo*. Hermanus Ruiſvich 305.

Moiſes capite primo Geneſeos enarrat Gentilium creationem, & cap. 2. Creationem Adami primi patris non omnium hominum, ſed ſolùm Hebræorum Præadamitæ 367.

Decimæ.

Decimæ non debent dari Sacerdotibus Romanæ Ecclesiæ, quia non ſunt pauperes ſicut Apoſtoli. Gerardus Segarellus 241. *Decimæ ſunt puræ Eleemoſynæ, & poſſunt Parochiani propter peccata ſuorum Prælatorum ad libitum ſuum eas auferre*. Wicleff. 267.

Deus unus, & Trinus.

Sunt duo Dii, unus bonus, alter malus. Cerdon 29. Manichæi 62. *Novum Teſtamentum benigno Deo vetus maligno adſcribendum eſt*. Albigenſes 221. Ad materiam de Deo referendi ſunt famoſi *Æones* Valentini, 20. & Nicolaitarum, diverſo modo explicati 6. His accedit commentum Baſilidis 5. *Deus eſt corporeus*. Tertullianus 53. Audiani, ſeu Anthropomorphitæ 77. *Deus eſt materia prima*. David de Dinando 231. *Deus eſt mutabilis. Deus non eſt immenſus* ſeu *ubique*. Conrardus Worſtius Calviniſta 358. *Deus*

neſcit mala, quæ ſub terra fiunt. Waltherus Lolhardus 257. Deus non eſt ens infinitè perfectum, ſed aliud non eſt, quàm virtus naturæ Spinoſa Politico-Atheus. 361.

In divinis tantùm eſt una perſona tribus gaudens nominibus. Sabellius 61. Trinitas eſt triplex monſtrum. Michael Servetus 334. Hinc Antitrinitarii 335. Tres ſunt in Trinitate naturæ. Joannes Philoponus Author Tritheitarum 135. In divinis eſſentia generat eſſentiam. Joachim Abbas renovans Tritheiſmum 220. Filius non eſt Dei verbum Alogi 41. Filius ut homo penitus neſcit diem judicii. Agnoitæ 134. Spiritus Sanctus non eſt Deus. Macedonius 91. Spiritus Sanctus non procedit à Patre, & Filio. Greci 173. Deus non eſt deitas. Relationes in divinis ſunt aſſiſtentes, ſive extrinſecus affixæ, & ita non ſunt realiter idem, quod ſua eſſentia. Gilbertus Porretanus 214.

Diluvium.

Diluvium Noeticum, non fuit univerſale ſuper omnem faciem terræ, ſed ſolummodò ſuper civitates, & Palæſtinæ Provincias. Preadamitę 368.

Eccleſia.

Eccleſia conſtat ex ſolis bonis, non malis. Donatiſtæ 85. Eccleſia eſt prædeſtinatorum univerſitas. Unde Paulus nunquam fuit membrum diaboli, licet fecerit actus quoſdam actibus Eccleſiæ malignantium conſimiles. Joannes Huſſius 294. Plures propoſitiones ejuſdem furfuris vide ibid. & 296. Eccleſia Romana erravit à ſeculo 6. Sectarii 452. Waldenſes 216. His affinia habet Wicleff. 271. Viri Eccleſiaſtici nullas poſſidere poſſunt divitias. Arnaldus de Brixia 213. Wicleff 265. Vide illic plures propoſitiones Wicleffi circa idem ſubjectum. Non eſt obediendum Prelatis Eccleſiaſticis, ſed tantùm Deo. Waldenſes 216. Reiiciendæ ſunt omnes ceremoniæ in Eccleſia Romana adhiberi ſolitæ. Waldenſes 219. Rex eſt ſummum caput Eccleſiæ Anglicanæ. Anglo-Calviniſtæ. 348.

Eleemoſyna.

Conferens Eleemoſynam Fratribus eſt excommunicatus eo facto. Wicleff 275. Illicitum eſt Religioſis vivere de Eleemoſynis. Unde illi debent manibus laborare. Paupertas habitualis licita eſt, non actualis. Guilielmus de S. Amore 231. &c.

Epiſ-

Epiſcopus.

Epiſcopus non eſt ſimplici Sacerdote ſuperior. Aerius 94. Marſilius Paduanus 220. Sectarii reiiciunt *Epiſcopos* 405. *Nullus eſt Dominus civilis, nullus eſt Epiſcopus, dum eſt in peccato mortali.* Wicleff 2[illegible]0. &c. Ioannes Hus 282.

Euchariſtia.

Infandam materiam circa Euchariſtiam adhibebant Gnoſtici 17. *Materia Euchariſtiæ eſt Panis ex infantis Sanguine, & farina confectus.* Cataphryges 36. *Illius materia eſt panis, & caſeus.* Artotyritæ 37. *Sola aqua in Altaris Sacrificio offerenda eſt.* Aquarii 33. *In eo aqua minimè vino miſcenda eſt.* Armeni 148. Græci 184. *Sacramentum Euchariſtiæ nequit confici in pane azymo.* Græci 179. *Laici poſſunt conficere Euchariſtiam recitatione orationis Dominicæ.* Waldenſes 217. *Iſtis verbis conficitur Euchariſtia*: accipite, manducate, & bibite. Pauliciani 163. *Corpus, & Sanguis Chriſti non ſunt in Sacramento Euchariſtiæ verè, & realiter, ſed tantùm in figura.* Berengarius 194. Wicleff 262. Calvinus 408. *Cum Chriſti Corpore in Euchariſtia etiam eſt ſubſtantia panis.* Berengarius 195. Lutherus 420. *Corpus Chriſti eſt ubique ex vi unionis perſonalis, adeòque & in pane ante conſecrationem.* Joannes Brentius Ubiquitariorum Parens 340. *Non eſt fundatum in Scriptura, quod Chriſtus Miſſam ordinaverit.* Wicleff 204. Sacrificium Miſſæ reiiciunt etiam Sectarii 421. *Præcepta eſt à Domino Communio ſub utraque ſpecie, proinde Laici nequeunt privari uſu calicis.* Huſſitæ 292. Sectarii 426. *Sacro-Sancti Corporis, & Sanguinis Chriſti perceptio nihil prodeſt ad ſalutem perpetuam.* Tanchelinus 209.

Eunuchus.

Ad Deo benè ſerviendum, oportet, ut quiſque caſtratus, ſeu Eunuchus ſit. Valeſii 55.

Excommunicatio.

Excommunicatio Papæ, vel cujuſcumque Prælati non eſt timenda, quia eſt cenſura Antichriſti. Wicleff. Vide illam pag. 269. cum aliis poſitionibus huc ſpectantibus. *Excommunicati ſine reconciliatione recipi poſſunt.* Wecilo 198. Hujus alia propoſitio ibid. eſt huic affinis. Vide infra *prædicatio*.

Fatum.

Fato, & ſideribus converſatio hominum eſt imputanda. Bar-

deſaniſtæ 38. *Chriſtus ex neceſſitate aſtrorum & pauper natus eſt, & turpem mortem obiit*. Ceccus Aſculanus 257.

Fides.

Nihil eſt credendum, quod excedit virtutem noſtri intellectus. Abailardus 212. *Fides nihil facit ad ſalutem*. Hermannus Ruiſvich 304. *Non ſunt neceſſaria ad ſalutem bona opera, ſed ſufficit fides*. Simon Magus 10. Eunominus 76. Sectarii 447. *Licet ſimul exercere Paganiſmum cum fide noſtra*. Ethnophrones 149. *Ex fide Lutherana, Calviniſtica, Anabaptiſtica, & Romana fides una & Orthodoxa conflari poteſt*. Antonius de Dominis 359.

Fornicatio.

Fornicatio peccatum non eſt, ſed potiùs naturæ beneficium. Sergius 70. *Fornicatio & adulterium ſunt opus beatitudinis meritorium*. Tanchelinus 209. *Licitus eſt promiſcuus fœminarum uſus*. Nicolaitæ. 13. Gnoſtici 26. Condormientes (Anabaptiſtæ) 324.

Gratia.

Liberum arbitrium poteſt ſine gratia Dei facere opus bonum vitæ æternæ meritorium. Gratia neceſſaria non eſt ad ſimpliciter, ſed tantùm ad faciliùs promerendam vitam æternam. Gratia datur ſecundùm merita. Pelagius 121. &c. *Initium fidei, & bonæ voluntatis eſt à nobis. Libero arbitrio adſcribendum eſt, quòd unus præ alio finaliter perſeveret*. Semi-Pelagiani. 123. &c. *Homo in hac vita poteſt talem perfectionis gradum aſſequi, ut reddatur penitus impeccabilis, nec ampliùs in gratia proficere poſſit*. Beguardi, & Beguinæ. 253. *Æqualis à Deo omnibus hominibus tribuitur gratia tam peccatoribus, quàm juſtis*. Noviſſima ſecta cujuſdam viſionarii in Gallia. 370.

Hæreticus.

Quilibet poteſt ſalvari in ſua fide, unde omnes Hæretici rectè ambulant. Rhetorius 98. Huic aſſertioni affinia docent Sectarii pag. 457. *Hæretici non poſſunt puniri morte*. Joannes Hus 300.

Jejunium.

Jejunandum eſt die Dominica. Euſtathius 90. *Non eſt obſervandum jejunium Quadrageſimale, aut alia ſtata jejunia*. Aerius 94. Sectarii. *Jejunium nullius eſt meriti apud Deum*. Waldenſes 218. *Jejunare non oportet hominem, nec orare, poſt-*

poſtquam gradum perfectionis (imaginariæ) *fuerit aſſecutus*. Beguardi, & Beguinæ. 254.

Imago.

Non ſunt veneranda Chriſti, & Sanctorum imagines. Xenaias 131. Iconoclaſtæ 161. Chriſtiano Categori ibid. Claudius Taurinenſis 171. Bongomoli 199. Sectarii 378.

Indulgentiæ.

Papa non habet poteſtatem concedendi Indulgentias. Waldenſes 217. Vvicleff 271. Sectarii 393.

Infernus.

Nullus eſt infernus, ſed ille, qui habet peccatum mortale, habet in ſe infernum, ſcilicet vermem conſcientiæ. Almaricus 230. Hermannus Ruiſvich ſimpliciter negat *infernum*. 305.

Juramentum.

Chriſtianis interdictum eſt juramentum, ita ut nunquam illis jurare liceat. Vvaldenſes 218. *Juramenta illicita ſunt, quæ fiunt ad roborandos contractus, & commercia civilia*. Wicleff 274. Anabaptiſtæ. 344. E contra Pricillianus ſuſtinuit, *mendacium non eſſe peccatum etiam juncto perjurio*. 96 Huc pertinet Error Helceſeitarum dicentium; *non eſſe peccatum ore negare fidem dummodò quis corde in fide permaneat*. 26.

Juſtus, Juſtificatio.

Juſtus in omni ſuo opere peccat. Sectarii 447. *Non juſti, ſed imperfecti eſt hominis ſe in virtutibus exercere, quia anima juſti*, ſeu *perfecti dimittit à ſe virtutes*. Beguardi, & Beguinæ 254. *Homo ante lapſum non habuit juſtitiam originalem*. Sociniani. 350.

Homo juſtificatur eadem juſtitia, qua Deus eſſentialiter juſtus eſt. Andreas Oſiander Lutheranus 339. *Homo juſtificatur per juſtitiam Chriſti nobis imputatam, qua peccata dumtaxat teguntur*. Sectarii. 383.

Lex.

Lex vetus obſervanda eſt cum lege nova. Cerinthus, & Ebion 14. Nazaræi 40. *Lex vetus fuit mala*. Marcion 29 Manichæi 65. *Colendum eſt Sabbathum* (quod ſpectat ad legem veterem) *more Judæorum ſpreta die Dominica*. Sabbatharii Anabaptiſtæ 346. Hypſiſtarii 100. *Paſcha debet celebrari more Judæorum luna 14. Menſis primi*. Quartadecimani. 32. *Ab adorato vitulo aureo tantùm incæpit Oeconomia*, ſeu *Lex Cæremonialis. Fideles veteris legis propter Sacrificii expiatorii dilationem fuerunt impuri, ſordidi*,

didi, habuerunt non redempti peccatum, & conſcientiam peccati. Tres ſunt leges, ſeu Teſtamenta, æternum, vetus, & novum. Cocceius 362. &c. *Ad bona opera divina legis non obligantur homines Evangelici.* Joannes Agricola Dux Antinomorum. 339.

Liberum arbitrium, Libertas.

Homo non eſt liberi arbitrii. Simon Magus 10. *Homo neceſſitatur ad agendum: benè quidem ex bono principio, malè autem ex malo principio: proinde non eſt liberi arbitrii.* Manichæi 65. Sectarii ex alio principio ſcilicet ex lapſu Adæ dicunt *hominem non eſſe liberi arbitrii, ſed illud per originale extinctum eſſe peccatum, hominemque neceſſitari ex concupiſcentia ad malum, ex gratia ad bonum.* 389. *Omnia de neceſſitate abſoluta eveniunt.* Vvicleff 273. Vide etiam ſupra *fatum.*

Gabella, Tributa, Vectigalia non ſunt ſolvenda, cum Chriſtus nos libertate ab iis eximente donarit. Joannes Behaim Tympaniſta. 303.

Malum.

Deus eſt author mali. Florinus 32. Sectarios hujus modò doctrinæ pudet 447. Florino adſtipulantur Libertini 46. *Creatura corporales de ſe ſunt mala.* Vide ſupra *Caro. Mala pœnæ non ſunt à Deo.* Colluthus 88.

Maria Virgo.

Beata Virgo Maria non eſt dicenda Mater Dei, ſeu Deipara, ſed tantùm Chriſtipara. Neſtorius 128. *Mater Chriſti non fuit Virgo poſt partum.* Helvidius 97. *Maria Dei Genitrix eſt meretrix.* (Horreſco referens) Albigenſes 229. *Virgo Maria Mater Dei, ut Deus colenda eſt.* Collyridiani. 96.

Martyrium.

Non licet tempore perſecutionis fugere Martyrium. Montanus 35. *Licitum eſt ſeipſum occidere, ut quis coronam Martyrii accipiat.* Circumcelliones 85.

Meritum.

Homo nequit mereri, cum per hoc injuria inferatur meritis Chriſti. Sectarii 385.

Mulier.

Mulieres Presbyteratus, & Epiſcopatus ſunt capaces. Pepuziani 37. *Mulieris oſculum (cum ad hoc natura non inclinet) eſt pecca-*

peccatum mortale, actus autem carnalis (cum ad hoc natura inclinet) peccatum non eſt. Beguardi & Beguinæ 255. Vide etiam *Heicetas* ſaltantes cum mulieribus 153.

Nuptiæ.

Nuptiæ ſunt illicitæ, cum actus Matrimonialis ſit à Satana. Saturninus 12. Encratitæ, ſeu Tatianus 22. Marcion. 29. Manichæi tollebant *nuptias, quòd per eas caro* (juxta ipſos de ſe mala) *propagaretur* 64. *Matrimonium licitum eſt, ſed non copula*. Abeliani. 118. *Nuptiæ ſunt fornicatio palliata*. Durandus de Vvaldach. 208. *Secundæ nuptiæ non ſunt licitæ, ſed ſcortationes*. Montanus 35. *Nuptiæ* (ſeu Matrimonium) *non ſunt Sacramentum*. Sectarii 405. *Per adulterium ſolvitur Matrimonium etiam conſummatum*. Græci 185. *In nova lege, poteſt frater defuncti fratris uxorem ſibi matrimonio jungere*. Clemens Scotus 161. *Licitæ ſunt nuptiæ in* 4. *gradu conſanguinitatis*. Inceſtuoſi. 197. *Nuptiæ ſunt æqualis meriti apud Deum, ac virginitas*. Jovinianus 98. Vide etiam Agapetas *prætextu vitæ ſpiritualis diſpari ſexui ſinè Matrimonio cohabitantes*, 100.

Occidere.

Nullus homo juſtè occidi poteſt novæ legis tempore, cum Novum Teſtamentum id non dicat. Nicolaus Galæcus, Thaborita 303. *Ne quidem in bello unus alium poteſt occidere, unde bellum Chriſtianis illicitum eſt*. Anabaptiſtæ. 344.

Oratio.

Oportet continuò orare, imo ſola oratio ſufficit ad ſalutem. Homo capax eſt per juge orationis Sacrificium ſanctiſſimum oculis corporeis videndi Trinitatem. Meſſaliani 95. Non multum ab his diſcrepant Illuminati 353. Pietiſtæ 369. Noviſſima ſecta cujuſdam viſionarii in Gallia 370. *Non valet genuflexio, dum orationes fundimus*. Agonyclitæ 160. *Orationes privatæ majoris ſunt ponderis apud Deum, quam communes*. Zachæus 100. *Ordinatio divina quibuſdam orationibus impediri poteſt*. Ægyptii 130. *Oratio præſciti* (ſeu mali) *nulli valet. Speciales orationes, applicata uni perſonæ per Prælatos, vel Religioſos non plus proſunt eidem, quàm generales*. Vvicleff 272.

Ordo.

Ordo non eſt Sacramentum. Sectarii. 404. *Ordinati à Simoniacis ſunt reordinandi*. Reordinates. 195.

Pon-

Pontifex.

Romanus Pontifex non eſt caput Eccleſiæ. Græci 180. Wicleff 271. *Petrus non fuit caput Sanctæ Eccleſiæ Catholicæ. Non eſt Scintilla apparentiæ, quòd oporteat eſſe unum caput in ſpiritualibus regens Eccleſiam*. Joannes Hus 296. Sectarii 439. &c. *ſi Papa* (ſeu Pontifex) *ſit præſcitus & malus, & per conſequens membrum diaboli, non habet poteſtatem ſuper fideles*. Wicleff 270. *Papa non eſt manifeſtus, & verus ſucceſſor Petri Principis Apoſtolorum, ſi vivit moribus contrarius Petro. Papa, vel Prælatus malus eſt æquivocè Paſtor, & verè fur & latro*. Joannes Hus 298. Qui & illic plures habet propoſitiones ejuſdem fuliginis. *Pontifex ſine Concilio nihil magni momenti motu proprio poteſt decernere*. Richerius 365.

Peccatum.

Non datur peccatum originale in parvulis. Pelagius 119. *Peccatum originis eſt ipſa ſubſtantia animæ rationalis*. Flaccus Illyricus dictus idcircò ſubſtantialiſta 338. *Propter nullum peccatum damnatur homo niſi propter peccatum infidelitatis*. Sectarii 447. *Omnia peccata ſunt paria*. Jovinianus 98. Sectarii 447. *Peccatum non ſupplicio, ſed præmio dignum eſt*. Antitactæ 29. *Is cui ſemel remiſſa ſunt peccata, non peccat ampliùs*. Uncti in Anglia 348.

Gentiles omnibus vitiis dediti erant, & tamen non peccabant; Peccatum enim non imputabatur cum lex non eſſet. *Præadamitæ* 368.

Pœnitentia.

Poſt primam pœnitentiam, quæ agitur in Baptiſmo, peccans non poteſt iteratò per pœnitentiam reſtitui. Novatiani 59. Aſterius 99. His ſuffragatus fuit famoſus Lucifer Calaritanus 101. *Non ſunt abſolvendi pœnitentes, niſi peractâ priùs pœnitentia*. Petrus Oxomenſis 304.

Præceptum.

Deus præcipit impoſſibilia. Ptolomæus 30. Sectarii. 447.

Prædeſtinatio.

Sicut Deus quoſdam ad vitam æternam prædeſtinavit, ſic etiam alios ad mortem æternam prædeſtinavit, cogitque homines interire, Gotheſchalcus 172. & Prædeſtinatiani 132. Vide Errores Joannis Hus titulo de Eccleſia, 294.

Præ-

Prædicatio.

Illi, qui dimittunt prædicare verbum Dei propter excommunicationem hominum, ſunt excommunicati, & in Dei judicio traditores. Dei habentur. Licet alicui Diacono, vel Presbytero prædicare Verbum Dei abſque authoritate ſedis Apoſtolicæ, ſive *Epiſcopi Catholici*. Wicleff 268. Et Joannes Hus 301. &c. *Quilibet ſine ulla perſona, ac ſexus diſtinctione eſt legitimus verbi Dei præco*. Independentes 359.

Prophetia.

Prophetiæ ſunt falſa. Apelles 29. *Prophetiæ veterum Prophetarum conſiſtunt in eo, quod hi imaginationem habuerint fortiorem communi, & illa Moyſis in eo, quod excellentiori præditus fuerit intellectu*. Spinoſa 361.

Purgatorium.

Non datur purgatorium, fruſtra proinde oratur pro Defunctis. Aerius 94. Sectarii 395.

Reſurrectio.

Non eſt futura corporum reſurrectio. Simon Magus 10. Albigenſes 221. *Reſurrectio mortuorum* (ſpiritualis) *jam facta eſt*, unde negabatur *reſurrectio corporum*. Hymenæus, & Philetus 13.

Reliquiæ.

Non ſunt colendæ Sanctorum Reliquiæ. Vigilantius 116. Sectarii 380.

Religioſi.

Religioſi viventes in Religionibus privatis non ſunt de religione Chriſtiana. Sancti inſtituendo religiones privatas ſic inſtituendo peccaverunt &c. Wicleff 275.

Sacerdos.

Sacerdos amittit poteſtatem conſecrandi, ſi peccatum mortale commiſerit. Waldenſes 216. Wicleff 264. *Licitum eſt Clericis in Sacris Ordinibus* (*etiam Sacerdotii*) *conſtitutis habere uxores*. Novi Nicolaitæ 196. Idem tenent Sectarii.

Sancti.

Sancti pro nobis non orant, adeòque fruſtrà à nobis invocantur. Vigilantius 116. *Invocatio Sanctorum eſt idololatria*. Sectarii 374. Ideòque etiam tollunt Feſta Sanctorum. 381.

Satiſ-

Satisfactio.

Per ſatisfactiones noſtras Chriſti ſumus ſatisfactioni injurii. Sectarii 390.

Scriptura Sacra.

Non datur Scriptura Sacra. Heribertus, & Liſoius 192. *Scriptura Sacra non eſt attendendum, utpote quæ non ſit Verbum Dei.* Svvenckfeldius 343. *Scientia Scripturæ Sacræ Chriſtiano inutilis eſt, Deus enim nihil aliud ab homine exigit, quam bonam actionem.* Gnoſimachi 149. *Quilibet Scripturam Sacram juxta propriam opinionem interpretari poteſt.* Parermeneutæ 151. Sectarii 436. *Sectarii ad Montani exemplum non recipientis Acta Apoſtolorum varios Scripturæ Sacræ libros reiiciunt* 34. *Quilibet habet lumen ſufficiens, ut Scripturam intelligat.* QuaKeri 360.

Silentium.

Pattalorinchitæ *ſuperſtitioſè naribus, vel ori palum, aut hujus defectu digitum apponebant, ut ſic ſtrictius ſervarent Silentium* 24.

Simonia.

Donum Dei poteſt pecunia comparari. Simon Magus 9. *Licitum eſt vendere beneficia Eccleſiaſtica, ut prælaturas, Canonicatus &c.* Simoniaci 195. *Epiſcopatus ſine ſimoniæ crimine emi poſſunt à principibus, dummodò conſecratio gratis accipiatur.* Tudetchinus, & Joannes Venetus Simoniaci Palliati 198.

Studia Generalia.

Univerſitates, Studia, Collegia, Graduationes, & Magiſteria in eiſdem, ſunt vana gentilitate introducta, & tantùm proſunt Eccleſiæ, ſicut diabolus. Wicleff 273.

Subditus.

Subditi, ſeu populares poſſunt ad ſuum libitum Dominos delinquentes corrigere. Wicleff 267.

Templum.

Templa omnia diruenda ſunt, nulla enim ſunt deputata, vel neceſſaria loca ad orandum. Petro-Bruſiani 210.

Timor Domini.

Timor Domini caſtus non eſt futurus in Beatis. Abailardus 211.

Unctio Extrema.
Unctio Extrema non eſt Sacramentum. Sectarii 403.

Votum.
Perfectius eſt vivere ſine voto, quàm cum voto. Gerardus Segarellus 242. Lampetiani vota condemnabant Monaſtica 154. Quod & factitant Sectarii.

Uſura.
Non eſt peccatum dare aliquid ad uſuram. Græci 185.

FINIS INDICIS.

Digitized by Google

FACULTAS ORDINIS.

TEnore præſentium, noſtrique Authoritate Officii Facultatem facimus Eruditiſſimo Patri F. Franciſco Van-Ranſt *Ord. Præd. in Alma Univerſitate Lovanienſi S. T. Licentiato, & Studii Generalis Antverpienſis Regenti* Typis mandandi librum *de Erroribus omnibus à Simone Mago ad hæc uſque tempora per Doctorem Angelicum prædamnatis*, dummodò prius à duobus Theologis graduatis reviſus, & approbatus fuerit, aliaque ſerventur de jure ſervanda. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Datum Antverpiæ in Conventu noſtro Sancti Pauli Ord. Præd. 15. Decembris 1716.

F. HIERONYMUS T'SERAERTS *Ord. Præd. ſtrictæ Facultatis Theologicæ Lovanienſis Doctor, ac Profeſſor Regens, & Provincialis.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google